

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM

SCRIPTORES

TOMUS VIGESIMUSTERTIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

24170

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,

ALIARUMQUE INSIGNIUM

BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE DE LYON

TOMUS VIGESIMUSTERTIUS.



MEDIOLANI, MDCCXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILL.MO COLLEGIO.
JCC. JUDICUM. COM.
ET. EQUITUM.
MEDIOLANI.
VERAE. NOBILITATIS. PRAESTANTIA.
RELLIGIONE. PRUDENTIA. LITERIS.
ET.
ILLUSTRIUM. VIRORUM. FASTIS.
CLARISSIMO.
DOCTRINARUM. OMNIUM. ATHENAEO.
ROMM. PONTIFICIBUS. MAXX. ATQUE. IMPP.
OB. EGREGIA. MERITA.
INSIGNIBUS. HONORIBUS. AC. PRIVILEGIIS.
DONISQUE. DONATO.
MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.
PRAECIPUO. PATRIAE. SUAE. ORNAMENTO.
XXIII. RER. ITALIC. TOMUM.
AMORIS. ET. OBSEQUI. PIGNUS. AETERNUM.
D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google



ILL.^MO COLLEGIO
JCC. JUDICUM COM. ET EQUITUM MEDIOLANI.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

Si quid umquam, ILL.^MI VIRI, *ad vos allatum eſt, quod ad Collegii veſtri dignitatem, ad Patriæ ornamentum, atque ad ipſas excolendas literas plurimum conferre poſſe judicaveritis, id ego ſane citra magniloquentiæ notam confidentiſſime propono communi Palatinorum Sociorum nomine in hac ampliſſima Rerum Italicarum collectione, quæ vetuſtos eos continet hiſto-*

Digitized by Google

ſtoriarum Scriptores, quorum pars magna tenebris hactenus obruta delituerat, blattis tineiſque per ſummam injuriam brevi corrumpenda, in univerſæ gentis noſtræ perniciem.: peritura namque fuerant ſinceriora vetuſtatis monumenta, vel majoribus noſtris incognita, vel minus quàm oportuerat obſervata, vel non ſemel factionum ſtudio mirum in modum depravata potius, quàm novis elegantioris ſtili coloribus expolita, atque illuſtrata, ut vobis ipſis exactiſſimi judicii Viris rudiorum Hiſtoricorum noſtrorum ſimpliciſſima ſcripta conferentibus cum elegantioribus poſterioris ævi de una eademque re commentariis illico apparebit.

Auctorem habet collectio noſtra Ludovicum Antonium Muratorium clariſſimi nominis Virum, qui diu apud nos vetera monumenta, & Ambroſianæ Bibliothecæ theſauros in otio perſcrutatus, unde ampla ſibi Scriptorum copia in hanc ſeriem derivavit, bonorum omnium officiis ob ejus doctrinam aſſidue cultus, eam in Urbem hanc mentem induit, ut Mediolanenſibus monumentis præcipua diligentia conquiſitis, in hanc potiſſimum Italiæ partem Langobardici Regni corona, ſoli ubertate, ac rebus in ea geſtis nobiliſſimam totis viribus illuſtrandam incumberet. Hinc factum eſt, ut plures Hiſtorici Mediolanenſes pene revixerint, quos vulgus ne nomine quidem antea cognoverat, ac memoria priorum temporum diſtinctius, atque uberius in utilitatem univerſorum Civium ſit reſtituta.

Si

Digitized by Google

Si quæ autem utilitas ab hoc opere in ceteros, plurimam ſane in Collegium veſtrum manare dicendum eſt, quod ſparſa ubique contineat præclara teſtimonia nobilitatis ac doctrinæ Majorum veſtrorum, qui graviſſima Reipublicæ negotia domi foriſque per omnem ætatem feliciſſime geſſerunt, Imperatoribus, Regibus, Ducibus, ac Patriæ cariſſimi. Habet & memoriam ampliſſimarum dignitatum, quibus unus aut alter ex Collegis veſtris, vel univerſum Collegium, ob egregia ſingulorum facta, & Cœtus præſtantiam, ab omnibus fere Principibus eſt honeſtatum. Habet & clariſsima nomina veſtratium Virorum, quos ob feudales conſuetudines in certam ſcriptamque normam digeſtas, tamquam præcipui juris conditores in Scholis, & in foro colimus, publicamque ſcriptis eorum auctoritatem tribuimus tamquam Romani juris inſtauratoribus conſultiſsimis. Habet etiam & aliorum, qui condendis, aut iterum concinnandis municipalibus legibus operam dederunt, quique novas Conſtitutiones, quas vocant, difficile ſane argumentum, ob compoſitum, ut ita dicam, Sacerdotium cum Imperio, ſimplicitate quidem ſermonis, & prudentiæ maturitate maxima excogitarunt. Habet poſtremò Pontificios faſtos Eccleſiaſticarum dignitatum, quibus ex Collegio veſtro plurimi donati ſunt, & egregiam univerſo Chriſtiano nomini, ac Pontificiæ Romanæ Sedi operam navarunt. Legatorum a latere, ut vocant, Nuntiorumque munere ad omnes Europæ Reges, vel ad ipſa

Digitized by Google

Eccleſiæ Catholicæ Concilia optime functi. Quod ſi omiſſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ceteriſque minoribus dignitatibus, eos omnes, qui ſacra purpura illuſtres enituerunt, recenſere velim, jam ſatis non eſſet iis enumerandis epiſtolæ modus, omniumque famam in ſolis Birago, & Trivultio S. R. E. Cardd. complectar, in quorum unum profanæ ſimul, & Eccleſiaſticæ dignitates confluxerunt a Gallis Regibus, a quibus eximio S. Michaëlis torque donatus, ad Magni etiam Cancellarii Franciæ munus, atque ad ſummam rerum poteſtatem fuerat elevatus. Alter verò Aragoniæ, Siciliæ, Sardiniæque Prorex, ac deinde moderatis in Inſubria eadem poteſtate rebus, eo ceteris omnibus felicior eſt æſtimatus, quod in Patria ſua regios faſces prætulerit, ipſumque Romanum Pontificem ſacro regioque diademate coronaverit.

Quod ſi quis animadvertat quot ex Collegio veſtro in Conſilia Principum noſtrorum, & exterorum evocati fuerint, quotque Senatui Mediolanenſi, qui prope ad Romanum ob doctrinæ ac prudentiæ gravitatem accedit, vel præfuerint, vel ingenti virtutum laude famam auxerint, quotque in ceteris Magiſtratibus domi foriſque bene rempublicam rexerint, in eam certe ſententiam ultro feretur, ut in Cœtu veſtro coaluerit artium doctrinarumque omnium ſeminarium, ſacræ ac civilis prudentiæ ſchola, neque mirabitur amplius Duces noſtros atque Imperatores cum ipſis Romanis Pontificibus in confe-

ren-

Digitized by Google

rendis Cœtui nobiliſſimo privilegiis & honoribus propemodum certaſſe; cum hi vos a tributorum onere ultro levaverint, atque offi ia in urbe clariora Collegio veſtro perpetuò addixerint, qualia ſunt Vicarii Proviſionum, quem vocant, & Judicum Prætori collateralium, Provicarii menſæ nummariæ S. Ambroſii, Ædilis, & Auditoris in Magiſtratu tuendæ publicæ ſaluti Præfecto, itaut nullus propemodum ſit civilis ordo, ſine opera & conſilio Collegarum. Romani verò Pontifices, quos inter PIUS IV. *è Medicea familia, a quo poſt commendatam publicis litteris inſtitutionem in Collegio veſtro ſibi traditam, data ſunt aurea nobilitatis inſignia, id inter ceteras honoris & dignitatis prærogativas præcipue conſtituerint, ut ex Collegio veſtro unus ex XII. Viris in Sacræ Rotæ Auditorio perpetuò ſedeat, & alter agendis cauſis in Pontificio Conſiſtorio intra numerum cooptetur, quo Mediolanenſis Collegii inſtituta in ipſa Roma, ſacroque Senatu ad Eccleſiæ utilitatem propagentur.*

Hæc itaque præcipuè fuerunt in cauſſa, ut Palatini Socii, quos inter ex veſtratibus plures, iique bonis omnibus litteris præſtantiſſimi, & operæ noſtræ pars maxima, in officium amoris, & obſequii excitaremur, ac XXIII. Collectionis noſtræ Tomum Illuſtriſſimo Collegio veſtro dedicaverimus, ut poſteris etiam ſit perenne monumentum, quanti fecerimus gratiæ amoriſque veſtri viciſſitudinem, & cognoſcant, ſi quid boni tot exantlatis laboribus in vulgus emiſimus, Cœtui eti-

Digitized by Google

etiam veſtro deberi, quod auctoritate ac conſilio univerſorum, ſtimuliſque ſingulorum ſit olim incœptum, ac, Deo favente, quamprimum abſolvendum. Quæ cùm ultro Palatini Socii profiteamur, hoc unum expetimus ardentiſsimè, ut ea humanitate, qua Nobiles Eruditoſque Viros decet, donum hoc noſtrum accipiatis, meque communi Sociorum nomine honoris ergo ſiſtentem præ ceteris nomini veſtro Illuſtriſſimo deditum præcipuæ gratiæ favore, tutelæque veſtræ præſidio foveatis, quod inſtantiſsimè rogo. Valete.

Dabam Mediolani IV. Kalendas Octobris MDCCXXXVI.

Digitized by Google

Nomina, Cognomina, & Dignitates DD. JurisConſ. Illuſtriſſimi Collegii Mediolani, Equitum, & Comitum.

ABBATES BIMESTRES

CArolus Antonius de Medicis Marchio Melegnani, ac pertinent., Eques, & Commendatarius S. Stephani, Judex ad ſignum Galli.

Hieronymus Caſtillionæus Marchio Caſtillioni, Regius Feudat. Caroni Corbellarii, Gornati ſuperioris, Somadei, & pertinent. in Plebe Caſtri Seprii, nec non Peſſani, cum ſuis pertinent. in Plebe Gorgonzolæ Ducatus Mediolani, Cæſareus Comes Palatinus, ex LX. Decurionibus, Judex ad ſignum Equi.

Carolus Antonius Applanus ex Regiis Vicariis Generalibus Status Mediolani.

Jo. Baptiſta Caymus.

Hieronymus Maria Aliprandus Comes Palatinus ex Privilegio Caroli IV. Imperat.

Hieronymus Barbovius Com. Caſalis Morani, ex Condominis Pumenenghi, Calcianæ inferioris.

Antonius Petraſancta Comes, ex Feudatariis Burgi Canturii, & pertinent., ac ex LX. Decur.

Paulus Camillus Moneta.

Marcellinus Corius Comes, Almæque Urbis Gubernator Abbas SS. Petri, & Pauli in Eccleſia Solaroli Monaſteroli Cremonenſis, S. Mariæ de Calnago, S. Spiritus in Territorio Olgii, S. Jacobi in Territorio Orſenghi Diœc. Novarien., & S. Andreæ in Civit. Novariæ, SS. Bartholomæi, & Siri in Territ. Baſſignanæ, S. Cæciliæ in Provincia Montisferrati, S. Ambroſii in Metropolit., SS. Caroli, & Juſtinæ, & Cleric. nuncupat. in Eccl. Paroch. S. Andreæ Creſpiatici Glaræ Abduæ in Diœc. Papiæ, nec non perpetuus Commendat. Abbatiæ S. Mariæ de Carate Plebis Aliati Ducatus Mediol.

Fabritius Benignus Boſſius Marchio Caſtri Muſſii, Lacus Larii, Terrarumque Gonti, Crodæ, Sertiæ, Campagnani, Puſchiavi, ac Alteſtain Dominus, & Vallis Boſſiæ, Cæſareus Comes Palatinus.

Carolus Boſſius Epiſcopus Viglevani.

Petrus Antonius Chalcus Regius Ducalis Senator.

Marcus Antonius Cruceius.

Franciſcus Orrigonus Marchio, & Feudat. Vedani Plebis Caſtri Seprii, Abbas, & perpetuus Commendatarius Abbatiarum S. Laurentii ad Putheum Novarienſis, nec non S. Mariæ de S. Auguſtino loci Calellarum in Statu Mediol, & S. Franciſci Xaverii Burgi de Nove.

Petrus Cotta Regius Feudatarius Vallis Cuvii.

Joannes Hurtado de Mendotia Manricus Archipresb. Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolani, & Vicarius Monialium.

Hieronymus Parravicinus Marchio, ac Reg. Feudatarius Machædii Plebis Deſii, ex Conſervatoribus Patrimonii.

Fabricius Puſterla Com., Feudat. Venegoni inferioris Pleb. Caſtri Seprii, & Eques S. Stephani.

Aloyſius Aliprandus Canonicus inſignis Colleg. S. Nazarii Mediol., ac Prothonot. Apoſtol.

Gaſpar Meltius Marchio, & Reg. Feudat. Cliveſii, & pertinen., Comes Palatinus, & ex LX. Decurionibus, & Quæſtor Illuſtriſs. Magiſtratus Reddit. Ordin. Status Mediol.

Antonius Maria Meltius Regens, Marchio, & Princeps, ex Ceſareo Diplomate Comes Palatinus, Abbas Præpoſitus Tituli SS. Simonis, & Judæ extra Mœnia Novariæ, Prothonot. Apoſt., & Sereniſſimi D. Electoris Palatini Intimus Conſiliarius, Conſervator Judex Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ, & Reg. Oeconomus Generalis.

Jo. Antonius ex Capitaneis de Arſago.

Carolus Caſtillionæus Marchio Caſtillioni, Reg. Feudat. Caroni Corbellarii, Gornati ſuperioris, Semadei, & pertinentiarum, ex Condominis Venegoni ſuperioris in Plebe Caſtri Seprii, nec non Peſſani, & pertinen. in Plebe Gorgonzolæ, Cæſareus Com. Palatinus, & Præſes Illuſtriſs. Magiſtratus Reddit. Ord. Status Mediol., Regens, & de Excelſo Secret. Conſilio.

Carolus Franciſcus Landrianus.

Julius Cæſar Roma.

Carolus Cajetanus Stampa de Leyva Abb. S. Antonii Oppidi Valentiæ, S. Petri Erbæ Amaræ, Commendat. S. Siſeni Romagnani in Agro Novarienſi, Comm. S. Abundii, utriuſque Signaturæ Refferendarius, Prælatus Domeſticus Sanctiſs. D. N., Archiep. Calcedonienſis, & Secret. Congregat. Cler. & Regul.

Paulus Camillus Carcanus.

Fabius Dugnanus Comes, ac Reg. Feudat. Cornaredi, S. Petri ad Ulmum, Monzorii, aliarumque Terrarum, & pertinentiarum eidem ſubjectarum.

Julius Dugnanus Reg. Feudat. Terrazani in Plebe Trenni, ac Dugnani Pleb. Deſii.

Rolandus Vicecomes ex Condominis Maſſini, Invorii inferioris, Paruzarii, Montrigiaſchi, & pertinentiarum.

Antonius Aliprandus.

Hieronymus Suarez de Ovalle.

Alexander Caſtillionæus ex Regiis Feudatariis Garlaſchi Principatus Papienſis, & Marani Novarienſis, Cæſareus Com. Palatinus, & Reg. Capit. Juſtitiæ in toto Mediol. Dominio.

Digitized by Google

Jo. Baptiſta Vicecomes Reg. Feudat. Carinati, & Montis Solarii, Abbas S. Crucis Mediol., Commendat. Abbatiæ S. Bartholomæi Vallis Ombroſæ in Provincia Novarienſi, & Prioratus SS. Gabrielis, & Hyppoliti in Provincia Cremonenſi, Sacræ Rom. Rot. Auditor.

Jo. Antonius Trivultius.

Ermes Redenaſchus Marchio Turris Inſulæ in Provincia Montisferrati, nec non Capſinæ Boſſiæ in Provincia Lumellina, ex Condominis Villanterii Principatus Papiæ ex LX. Decurionibus, ac Quæſtor Illuſtriſs. Magiſtrat. Redd. Ord. Status Mediol.

Franciſcus Maria Cribellus RR. Capuccinorum Ordinis.

Hercules Marlianus Comes, Feudatarius, ſeu Vicarius perpetuus Oppidi Marliani, ac pertinentiarum, Abbas Prioratus S. Jo. Baptiſtæ ad Altare Majus in Eccleſia Parochiali loci Lambrati Plebis Segrati, Canonicus nuncupat. Eccleſiæ Præpoſit. S. Stephani loci Segrati Mediolanen. Diœc., Prior S. Proſperi Mediol., utriuſque Signaturæ Refferendarius, & Prothonot. Apoſt. Supranumerarius.

Joſeph Rozzonus Comes.

Arialdus Alciatus.

Cæſar Crucejus Reg. Advoc. Fiſcalis in toto Mediol. Dominio.

Franciſcus Sclaphenatus Comes, & Regius Feudatarius Bucinaghi, & Roncelli, & ex Condominis Vilanterii.

Jo. Antonius Applanus.

Albertus Vicecomes de Aragonia Feudatarius Olegii Caſtelli, ac Invorii ſuperioris, ex Condominis Invorii inferioris, Paruzarii, Montigiaſchi, & pertinent., ac Caſtelletti ſupra Ticinum, & Liſſantiæ.

Jo. Maria Vicomercatus.

Jo. Baptiſta Trottus Comes Sanctæ Julettæ, & pertinent. ultra Padum Principatus Papiæ, ex LX. Decurionibus, & Reg. Duc. Senator.

Marcus Franciſcus Carcanus Reg. Feudatarius Nicorvi in Comitatu Viglevani.

Conradus Confalonerius.

Cajetanus Caſtillionæus, Ceſareus Com. Palatinus, Archidiaconus Eccleſiæ Metropol. Mediol.

Joſeph Beſutius.

Jo. Baptiſta Porrus.

Joſeph Jo. Baptiſta Bimius Blancus.

Carolus Albertus Guidobonus Cavalchinus Reg. Feudatarius Carbonariæ, Sarezani, S. Victoris, S. Georgii, & Silvæ in Agro Derthonenſi, Sacrique Romani Imperii Baro, Archiepiſcopus Philippenſis, Solio Sanctiſſimi D. N. Papæ Aſſiſtens, Abbas S. Pauli extra muros Civitatis Derthonæ, Abbas Commendatarius S. Petri de Molo Diœceſis Derthonenſis, Abbas Commendatarius perpetuus SS. Gottardi, & Agathæ in Agro Modoëtienſi Diœceſis Mediolanenſis, Advocatus Conſiſtorialis, Signaturæ Juſtitiæ Votans, Secretarius Congregationis Concilii in Alma Urbe.

Franciſcus Lampugnanus.

Alexander de Buſſero Eccleſiæ Metropol. Canonicus Ordinarius.

BENEDICTUS ERBA ODESCALCUS S. R. E. Presbyter Cardinalis Titul. SS. Duodecim Apoſtolorum, Archiepiſcopus Mediolani, SS. Petri, & Caloceri de Civate Diœceſis Mediolanenſis Commendatarius.

Hieronymus Biragus Publicus Civilis Facultatis Profeſſor in Scholis Canobianis.

Antonius Maria Vicecomes.

Jo. Baptiſta Benignus de Comite Judex in Prætorio Papiæ.

Jo. Maria Aliprandus Prætor Mediolani.

Hieronymus Caſatus Comes, & Feudatarius Burgi Lavizarii Comitatus Novariæ, & ex LX. Decurionibus.

Hieronymus Marinonus.

GIBERTUS BORROMÆUS S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Alexii, Epiſcopus Novariæ, Abbatiæ SS. Petri, & Pauli Vicoboldoni Commendatarius, nec non & alterius Abbatiæ ſub Titulo eorundem Sanctorum in Monteforte, Almi Collegii Borromæi Ticinenſis perpetuus Adminiſtrator, & Collegii Ambroſiani perpetuus Conſervator, ac Comes Aronæ &c.

Pius Antonius Mirabilia Cribellus Publicus Legum Interpres in Scholis Palatinis.

Fabricius Joachimus Mirabilia Prothonot. Apoſtol. Canonicus Ordin. Metropolit. Mediol.

Pompeus Ludovicus Porrus.

Aloyſius Cajetanus Bripius Marchio, & Reg. Feudat. S. Mariæ in Prato Caſalis Majochi, Surdi, Roncholi, Inſulæ, Balbiæ, & pertinentiarum.

Carolus de Capitaneis de Scalve Vicarius Proviſionum.

Angelus Aloyſius Mirabilia Mantegatia Marchio, & Feudatarius Liſcati.

Marcus Barbavaria ex Feud. Gravellonæ Comitatus Viglevani.

Gabriel Verrus Comes, ac Reg. Feudatarius Lucini, & S. Petri de Donate in Plebe Septalæ, Eques, & Commendatarius S. Stephani.

Franciſcus Xaverius Meltius Comes Burgi Mazentæ, ac pertinentiarum, Quæſtor Illuſtriſs. Magiſtratus Reddit. Extraordin. Status Mediol., & ex LX. Decurionibus.

Philippus Vicecomes Comes Burgi Lonati Putheoli, ex Condominis Sommæ, Agnadelli, & pertinentiarum, Feudatarius Corgeni, Dominus Seronæ.

Albericus Archintus Comes Sacri Romani Imperii, Abbas, & Commendatarius S. Mariæ Braydenſis, Prothonot. Apoſtol. de numero participantium, & Ponens Conſultæ.

Joſeph Antonius Ciconea Comes, & Feudatarius Tornenghi, & Caſtri Peltrenghi in Agro Novarienſi.

Phi-

Digitized by Google

Philippus Beſutius. De Oſmate
Horatius Beſutius.
Joannes Conradus de Olivera Marchio, Reg. Feudat., & Comes Buffaloræ Glaræ Abduæ Ducatus Mediolani, & pertinentiarum, Provicarius Binci D. Ambroſii.
Cabrius Caſatus Pub. Logicæ Lector in Scholis Canobianis.
Carolus Franciſcus Ciconea Mozzonus Comes, ex LX. Decurionibus.
Federicus Aliprandus Comes Palatinus ex Privilegio Caroli IV. Imperatoris, ac Canonicus Inſignis Collegiatæ S. Nazarii Mediolani.
Bartholomæus Ruglerius Areſius Prælatus Domeſticus, Referendar. utriuſque Signat. S. D. N., & ex Congregationibus Rev. Fabricæ, & Sacræ Viſitationis Apoſtolicæ, & boni Regiminis.
Carolus Maria Recalcatus Marchio, Reg. Feudatarius Baſiliani, & Monaſterii Baſiliani, ac pertinent., Plebis Pontiroli, Liber Baro, Comes, & Eques Sacri Rom. Imperii.
Jo. Andreas Chriſtophorus Beſutius Maddius.
Jo. Baptiſta Puſterla, ex Feudatariis Fregaroli.
Gaſpar Lancellottus Biraghus Canon. Ordin. Metropolitanæ Mediolani.
Joſeph Putheobonellus Canon. Ordin. Metropolitanæ Mediol.
Julius Maria Ottolinus Prætor Civitatis Novariæ.
Joſeph Balſamus Marchio Feud. Zeli Sorigoni Pleb. Roſati, ac Terdobiati Comitatus Novarienſis.
Paulus de Rido de Silva.
Hercules Sola Comes.
Antonius de Rido de Silva.
Ludovicus Archintus Comes Sacri Romani Imperii, Regius L. T.
Ambroſius Fagnanus ad honorem Cubicularius S. D. N.
Galeatius Boſſius Marchio Caſtri Muſſii Lacus Larii, Terrarumque Gonii, Crodæ, Sertiæ, Campagnani, Puſchiavi, ac Alteſtain Dominus, & Vallis Boſſiæ, Cæſareus Comes Palatinus, & ex LX. Decurionibus.
Joſeph Ciconea Comes, ac Feudatarius Tornenghi, & Caſtri Peltrenghi, & Confeudatarius Bergoli, ac Turris Burmidæ Comitatus Aſtæ.
Sigiſmundus Calchus Vicarius Prætorius.
Jo. Baptiſta Moneta.
Jo. Petrus Orrigonus Marchio Elli, Dulzaghi, & pertinent. Pleb. Garlati, Feudatarius Vedani Plebis Caſtri Seprii,
Jo. Antonius Caſtillionæus Comes, ex Regiis Feudat. Garlaſchi in Agro Lumellinæ, & Marani Novarienſis, Cæſareus Comes Palatinus, ac Vic. Præt. Cremonæ.
Jo. Baptiſta Braſca Vicecomes.
Antonius Maria de Herba Marchio Mondonici, Variſellæ, Coltiani &c., Abbas Commendatarius S. Barnabæ de Gratafolio.
Antonius Variſius de Roſate Comes Burgi Roſati, & ejus Plebis, & pertinent.
Gaſpar Carolus Ordonius de Roſales Marchio Caſtrileonis, Comes Vaylati, Feudatarius Roſæ, Opii, & pertinent. in Ducatu Mediolani.
Franciſcus Reſta Com.
Jo. Georgius Valerianus de Serponte Marchio, & Reg. Feudatarius Miraſolis.
Bartholomæus Olivatius Publicus Græcæ, Latinæque Eloquentiæ Lector in Scholis Palatinis Mediolani.
Antonius Burrus Com., & Reg. Feudatarius Loci S. Stephani, ejuſque pertinentiarum Plebis Corbettæ.
Joannes Alphonſus Corius Vicecomes Com., & Reg. Feudatarius Robiati, Paderni, ac pertinentiarum.
Joſeph de Landriano Feudatarius Caſtri Burgi, ſeu loci de Vidigulfo, & pertinentiarum.
Jo. Petrus Lucinus Marchio Beſati in Principatu Papienſi, ac Reg. Feudat. Gudi Maſſarii in Plebe Roſati, & Oſnaghi in Plebe Miſſaliæ Ducatus Mediolani.
Joannes Areſius.

Digitized by Google

ELENCHUS
TOMI VIGESIMITERTII.

ANTONII HYVANI Sarazanenſis Commentariolus de Bello Volaterrano Anno MCCCCLXXII. à Florentinis geſto, nunc primùm prodit è Codicibus Manuſcriptis *Comitum Guidonum*, & *Bibliothecæ Strozzianæ*. Pag. 1.

LEODRISII CRIBELLI libri duo de expeditione Pii Papæ Secundi in Turcas, nunc primùm luce donati è Manuſcripto Codice *Philippi Argelati* Sac. Cæſ. C. M. à Secretis. 21.

JACOBI VOLATERRANI Diarium Romanum ab Anno MCCCCLXXII. uſque ad Annum MCCCCLXXXIV. nunc primùm editum ex Manuſcripto Codice *Bibliothecæ Eſtenſis*. 81.

AUGUSTINI *Patritii Senenſis* deſcriptio adventus Friderici III. Imperatoris ad Paulum Papam II. è Muſeo Italico *Johannis Mabilonii*. 203.

ANNALES DE RAIMO, ſive brevis Hiſtoria Rerum in Regno Neapolitano geſtarum ab Anno MCXCVII. ad MCCCCLXXXVI. Auctoribus *Ludovico Seniore*, & *Juniore de Raimo*, nunc primùm prodeunt è Manuſcripto Codice *Ignatii Mariæ Comi* Nobilis Viri Neapolitani. 217.

ANTONII GALLI Genuenſis Opuſcula Hiſtorica de Rebus geſtis Populi Genuenſis, & de Navigatione Columbi, nunc primùm in lucem efferuntur è Manuſcripto Codice Genuenſi. 241.

HISTORIA MONTISFERRATI ab origine Marchionum illius tractus uſque ad Annum MCCCCXC. Auctore *Benvenuto de Sancto Georgio*, Comite Blandratæ. In omnium commodum nunc recuſa. 305.

EPHEMERIDES SENENSES ab Anno MCCCCL. uſque ad MCCCCXCVI. Italico Sermone ſcriptæ ab *Allegretto de Allegrettis*, nunc primùm luce donantur è Manuſcripto Codice Viri Clariſſimi *Huberti Benvoglienti* Patritii Senenſis. 763.

ANNALES BONONIENSES *F. Hieronymi de Burſellis* Bononienſis Ordinis Prædicatorum ab Anno MCDXVIII. uſque ad MCDLXXXXVII. nunc primùm prodeunt ex Manuſcripto Codice Bononienſi. 863.

ANDREÆ NAUGERII Patritii Veneti Hiſtoria Veneta Italico Sermone ſcripta ab origine urbis uſque ad Annum MCDXCVIII. nunc primùm tenebris erepta è Mauuſcripto Codice *Bibliolhecæ Eſtenſis*. 919.

INDEX Rerum, & Nominum. 1219

Digitized by Google

ANTONII
HYVANI
SARAZANENSIS
COMMENTARIOLUS
DE BELLO VOLATERRANO

Anno MCCCCLXXII. à Florentinis gesto,

Nunc primùm prodit

E Codicibus Manuscriptis

COMITUM GUIDONUM,

ET

BIBLIOTHECÆ STROZZIANÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ANTONII HYVANI COMMENTARIOLUM DE BELLO VOLATERRANO

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ANno Christi 1472. Volaterras vetustissimam Etruriae Urbem dira calamitas paene ad excidium pertraxit. Detectae in ejus agro copiosae Aluminis fodinae, unde multae opes in Cives illos exspectabantur, ut est humanarum rerum vicissitudo, in eorum perniciem conversae, bellum & denique direptionem miserae Civitati peperere. Causſam tantis motibus dedere aut ipsorum Civium dissidia, uti in hoc Opusculo nunc mihi evulgando proditur; aut Florentinae Reipublicae cupiditas, quae lucri partem ex Alumine sibi deberi contendebat, uti alii Scriptores memoriae prodiderunt. Progressum verò & exitum contentionis hujus literis consignavit *Antonius Hyvanus Sarazanensis*, qui rem gestam sub oculis habuit; ejusque Commentariolum, hactenus in paucis Codicibus conclusum, publici nunc juris facere statui. Patriam Scriptoris hujus jam Lector tenet. Is autem eo tempore floruit, quo Civitates Italicae Cancellarios sibi deligebant, Latinis Literis probe excultos. Neque in Hyvano laus ista desiderata est. Quare Anno 1466. is a Volaterrana Republica adlectus est Cancellarius suus, eoque munere aliquot per annos deinde est functus. Atque id constabit ex ipsis literis, quas ille ad Volaterranos scripsit, adhuc adservatis in ejusdem Civitatis Archivo, Codice XXXI. Deliber. Consil.

Magnifici, ac potentes Domini Colendissimi. Quum ab ineunte adolescentia pro conditione humanarum rerum, qua mortalibus diuturna quies abnegatur, variis temporibus Italiam peragrare didicerim, restabat mihi visere, ac diligenter contemplari Urbem vestram, loci naturâ inclitam & vetustate memorabilem. Quod quum dudum peroptassem propter cognitionem antiquarum rerum, nec eò divertendi hucusque mihi facultas data esset, nunc peropportunam occasionem oblatam video. Nam quum vestrae Dominationes pro sua incomparabili humanitate dignatae sint mittere ad me electionem Cancellariae suae Civitatis, debeo sane illis plurimùm; ac suis Civibus, Viris integerrimis, ingentes habeo gratias, quòd ejusmodi munere me dignum censuerint. Vereor equidem, tanto oneri me imparem fore. Sed ne videar deficere animo, aut parvipendere, quae procul dubio magnifacere teneor, ipsam Electionem suscipio, polliceorque, me statuto tempore sub conditionibus propositis ad obeundum munus esse accessurum. Difficillimum sane fuit mihi deserere magnificum Principem meum Dominum Ludovicum de Campofregoso, Equitem clarissimum, bis quondam moderatorem Genuensis imperii vocatum a gravissimis Civibus ob singularem ejus modestiam & aequitatem in omnes, quamvis postea saeviente fortunâ depulsum. Sed quoniam annuit innata ejus humanitas, ut & vestris Dominationibus, & mihi satisfaceret, eo libentius liberiusque voluntati me vestrae accommodavi, exsequuturus quaecumque mihi praeclarus vester Magistratus injunxerit, cui me plurimùm commendo.

Sarazanae die XXII. Januarii MCCCCLXVI.

Servitor V. E. Antonius Yvanus Sarazanensis.

De Hyvano nihil aliud dicendum habeo. De Opusculo quidem adjiciam, satis elucere, illud curâ Florentinorum compositum fuisse, ut spargeretur per Italiam, atque ita siniſtrae famae invalescenti de eorumdem Tyrannide & violentiâ occurreretur. Certe Auctor, quantâ potest arte, in Cives Volaterranos culpam conjicit calamitatis, & acta quaeque Florentinorum emollit. Attamen is ego sum, qui ejus narrationi fidem minime negandam, & Commentariolum benevole accipiendum

Digitized by Google

piendum reor : Adhibiti propterea ſunt quatuor MSti Codices. Primus ac praecipuus, quamquam alicubi mutilus, ſpectat ad nobiles viros Comites Guidones, olim Volaterris, nunc Florentiae habitantes. Alter Sarazanae in Patria Auctoris repertus eſt. Duos quoque ſuppeditavit celebris apud Florentinos Bibliotheca Strozziana. In primi Codicis margine, manu tamen diversâ, adnotata erant Magiſtratuum Volaterranorum nomina, quae retinenda cenſui. Interim exiguam hanc grati animi mei teſſeram Volaterrani Cives habeant, & praeſertim nobiles viri Incontri & Inghiramii, quorum ſingularem humanitatem, & mores candidos, atque ad beneficentiam compoſitos, quum ſemel ad eorum Urbem divertiſſem, ego ſenſi, & numquam obliviſcar.

ANTO-

Digitized by Google



ANTONIUS HYVANUS SARAZANENSIS NICOLAO SUO S. D.



AUfugiendi torpentis otii, & fidei ſervandæ gratiâ, huc me recepi, Nicolae optime, ad exercendũ Cãcellarię munus. Primo quidem acceſſu ad rem exercendã omnem curam ſtudiumque converti; deinde vero nactus aliquantulum otii, mutui amoris noſtri memor, de ſitu & qualitate hujus vetuſtiſſimæ Urbis, ac Civium moribus, aliquid ſcribere decrevi: nam etſi Volaterranum nomen peritiſſimis non modo viris, ſed vulgo etiam innoteſcat: tamen, quia Urbs ipſa ſemota mihi eſſe videtur à frequenti exterorum commercio, conditiones ejus ignotas etiam eſſe ſigillatim arbitror. Quare ut & amicitiæ officio ſatisfaciam, & intra tot occupationes tuas aliquam poſſis in legendo captare voluptatem, ſic habeto.

Volaterranus ager, agro Senenſi, Florentino, Piſano, & Populonico finitimus eſt. Urbs ipſa in excelſo monte ſita ceteris collibus agri ſui tamquam Pinus eminentiſſima inter humiliores arbores præſidet. Diſtat enim à mari noſtro Hetruſco quindecim millia paſſuum. Ex ea non ſolùm agri Civitatum, de quibus ſupra memoravi, ſed ipſæ Piſæ, ager Lucenſis, Lunenſiſque, ager Januenſis, & Inſula Capraria, & Corſica, facillime proſpiciuntur. Plana ſatis eſt Urbs, & oblonga, ſtratas amplas, & latericias habens. Ambitus murorum duo millia paſſuum complecti videtur; & hi

A ſtructi quidem ſaxo quadrato, per altiſſimas rupes inſignem pro magnitudine operis reddunt Civitatem. Amplior admodum ipſe ambitus eſſe conſuevit; nam ex Septentrionali latere alia diruta mœnia, & ſane . . . . . rum magnitudine admiranda, quæ ſtantibus nunc mœnibus . . . . . bantur: Sed ludibrio fortunæ ſævientis diminuta Populo Civitas, ut facilius cuſtodiri poſſet, ad breviorem gyrum, ut cernitur, redacta eſt. Forum publicum hæc præcipue continet: Ædem Cathedralem beatiſſimæ Virgini dedicatam; Palatium Dominorum Priorum, in quo ipſi magnifice ſatis reſident,

B & quorum ductu conſilia publica celebrantur; Palatium Præfecti Florentini, cujus officium eſt cuſtodire Urbem, malos inſectari, punire delinquentes, intereſſe Conſiliis publicis, audire quæ tractantur; Palatium Prætoris Urbani, cujus officium eſt civilia jura dicere, & in facinoroſos animadvertere; Domum Cancellarii publici egregiam; Domum Præceptoris Grammatices; horrea publica, Cellas collocandi ſalis quamplures, & quidem præſtantis. Præfectus à Florentinis ſingulo ſemeſtri mittitur: verùm judicatur à Judicibus hujus Populi, antequam recedat. Prætor urbanus, Con-

C ſervator Legum, qui ad tempus, & pro neceſſitate eligitur, Cancellarius, & ceteri Officiales exteri a Civibus eliguntur, quibus, & Præfecto etiam Florentino ſtipendia ex publico Ærario congruis temporibus facillime reſpondent. Habent hi Cives Caſtella viginti, quibus imperant, Rectoreſque ſtatuunt ex numero Civium, quos volunt. Suis Legibus vivunt, & quum opus eſſe videtur, veteres abrogant, novas conficiunt. Reditus Ærarii publici eſſe dicuntur aureorum decem millium anno ſingulo ex puteis Salinariis, Sulphure,

Vi-

Digitized by Google

Vitreolo, Paſcuis, & Vectigalibus. Ex hujuſmodi cumulo annuatim ſervandi fœderis gratiâ Florentino Populo aureos circiter mille pendunt; ceteros ad uſus publicos convertunt. Urbanos autem Magiſtratus hos eſſe intellexi: Priores octo aſſiduam reſidentiam in Palatio facientes, Tubatoribuſque quatuor, ac decenti familiâ honeſtatos; quibus alii octo ſingulis duobus menſibus pro more legeque ſuccedunt: Collegas eorum duodecim, Vexilliferos, & Præfectos regionum decem, Conſiliarios pleni dominii octoginta, Conſules quatuor Mercantiæ, Vectigalium Præſides duos, Salinarios duos, Præfectos abundantiæ quatuor, Quæſtores pecuniæ publicæ tres, Præſides murorum viarumque Civitatis, & Arcium Volaterrani agri quatuor; atque plures alios ad res tum urbanas, tum divinas, quos enumerare ſupervacaneum foret. Habent quoque plura Balnea in diverſis locis agri ſui, videlicet, ut ajunt, ad curandas corporum ægritudines varias accommodata; Lacunas quoque ſulphureas aquæ ferventiſſimæ, atque, ut referunt, interdum omni humiditate penitus exhauſtas, varios ac diſſonos reddentes mugitus, quarum fumi elatiſſimi quotidie hinc cernuntur; diſtant enim ab Urbe decem millia paſſuum. Et ſane perhorreſco, quum in adeo tetram atque formidoloſam naturæ oſtentationem proſpicere contingit.

Hi more Florentino Rempublicam adminiſtrant, ſatis quieti ſunt, & . . . . . (*)

Opus quidem haud minus utile, quàm gratum poſteris antiqui Scriptores eſſe putaverunt, ſi rerum geſtarum memoriam traderent, velut exemplar ſequuturæ vitæ, quo præſentia præteritis comparentur. Nam in omni deliberatione, conſiliiſque capiendis plurimum rerum præteritarum memoria confert. Nonnulli de motu ſyderum, alii de rerum cauſis, plures de morum præſtantia, præceptiſque ſcripſerunt. Præclara omnia, & quidem utilia humano generi, cum propter ingenuos mores, & Juſtitiæ diſciplinam, tum ob ea, quæ ad Medicinam pertinent. Sed his, qui & Principatus regunt, & regna moderantur, & Rei publicæ utiliter gerendæ, ſtudiiſque militaribus intenti ſunt, maxime illuſtrium factorum memoria convenit, ut adhibita conſimilium rerum comparatione, aut imitari, aut effugere diſcant, quæ vel profutura ſint, vel nocitura dignoſcantur. Hoc igitur tempore ſuborta Volaterrana calamitas me ſibi hoſpitalitatis jure miſerantem, & gravioribus curis vacuum, impulit ad ſcribendam Hiſtoriam tanti motus, qui omnem Italiam variis rumoribus complevit, ejuſque fama uſque ad exteras nationes penetravit. Nam & ipſe diſſenſionum initiis affui honeſte compoſitionis adhortator, & media percepi ab amicis viris bonis eidem malo implicatis, qui exitum externi etiam Populi noverunt. Sed anteaquam progrediar, nonnulla de vetuſtate, de ſitu, ſtatuque præterito ejuſdem Urbis paucis abſolvam, ut ſi quid ex his ad Hiſtoriam pertinebit, haud in occulto relinquatur.

Urbem Volaterram inter Piſas, & Senas, Florentiam, & Etruſcum mare in excelſo monte ſitam (ut antiquitatum indagatores putant) condidere Populi, quos Thyrrenus à fratre pulſus ex Mæonia & Lydia in Etruriam advexit. Conſtat enim, illos in eadem Provincia Urbes condidiſſe, inter quas Volaterram, cui & Populonia finitima erat, connumerari poſſe arbitramur. Fuit hæc murorum ambitu, & ſaxorum magnitudine inſignis, cujus maxima pars vergebat in plagam Septemtrionalem. Deinde, ut eruditi profitentur, finito ſociali bello poſt longam obſidionem capta viribus Populi Romani, atque diſiecta, propter habitatorum inopiam ad brevem gyrum in vertice montis redacta eſt. Cernuntur adhuc veſtigia murorum mirandi operis, quæ nonnullos colles, valleſque per loca declivia & prærupta complectebantur. Arcem Etruriæ, Urbem inexpugnabilem, Volaterram periti rei militaris appellavêre.

Hanc Cicero arduis quæſtionibus Romæ vexatam adverſus maxime Tribunitiam Poteſtatem patrocinari conſuetus, Volaterranos Cives optimis Romanis Civibus adæquavit. Hæc, ut teſtantur ſacræ Literæ de vita D. Juſti Præſulis, furori Gothorum per Italiam debacchantium non ſuccubuit, quamquam credibile videtur, eidem Longobardos imperitaſſe, qui ad Ticinum Regiâ conſtitutâ, Etruriam, Flaminiam, Samnium, quatuor ſupra ducentos annos ſub variis Regibus poſſederunt. Poſt vero illam barbariem, quæ Italiam ſummis calamitatibus afflixit, quali ſit functa libertate, aut quis in ea principatum gefſerit, non habeo compertum, niſi fortè Cæſares, ut quidam ſentiunt, ex Germania in Italiam deſcendentes jura Volaterrani regiminis ad Præſules ejuſdem Urbis tranſtulerunt. Verùm ad ea tempora pervenit, quibus (**) pauci ſuæ gentis potentes improborum numero, quos vulgo appellavêre *Scalamicos*, Civitatem, Civiumque colonos rapinis, latrociniiſque vexabant. Incoluere hi adjacentia Oppidula, nulli operi bono intenti, quibus omne ſtudium erat, ut à Civibus, eorumque colonis ſubſidia extorquerent. His tamdem pulſis agro Volaterrano 27. die Septembris in feſto Sanctorum Coſmi & Damiani, cujus diei annua ſolemnitas in publico Palatio fieri conſuevit, in Civitate Belfortum Familia Principatum ea conditione obtinuit, ut in ſummo Magiſtratu ejuſdem Familiæ perpetuo quiſpiam admitteretur. Hæc gubernandi ratio, quam Civitas pulſis raptoribus ad eos reprimendos tolerabat, uſque ad tempora Bocchini Belfortis perſeveravit. Is tamdem quum tyrannidem quamdam & vim à ſuis cognatione proximioribus exerceri pateretur, juſſu Populi captus, & capite damnatus, Familiæ ſuæ perpetuum exilium reliquit. Crebra tunc inter Tuſciæ Civitates bella gerebantur. Jam Florentini valebant opibus, & gloriâ rei militaris. Volaterrana Urbs, ut ſcribit in Hiſtoriis Leonardus Aretinus, armis devenerat in poteſtatem Populi Florentini: ſe Socios, aut ſaltem Commendatos Volaterrani aſſeverabant; an vero Sociali jure fruerentur, non ſatis exploratum habeo. Florentini Arcem, Urbiſque cuſtodiam tenuere, Præfectumque misêre ſingulo ſemeſtri, qui animadverteret in facinoroſos, & publicis conſultationibus intereſſet. Volaterranis conducendi Prætorem,

(*) *Heic deſiderari videntur duæ paginæ. At opem heic ferent MSti Strozzii, in quibus quum diverſum habeatur exordium, æqui bonique faciat Lector, ſi & iſtud adjungam.* Muratorius.

(**) *Hinc MStus Codex Comitum Guidonum, concors cum reliquis, narrationem proſequitur.* Muratorius.

rem, & alios ad exercenda publica negotia exteros viros libera poteſtas erat. Caſtella circiter XX. poſſidebant, & in Ærarium publicum vectigalia conferebantur; & ſummum Magiſtratum octo Virorum, qui Priores Populi appellabantur, in Palatio publico non ſine aſſidua dignitate retinebant, quorum ductu Reſpublica gerebatur.

Quum inter hæc Florentiæ de pecunia ingenti a Civibus exigenda, & conferenda in publicum tractaretur, eſſetque decretum, ut & Civium, & Sacerdotum, ac ſubditorum omnium Florentinæ ditionis bona ſcriberentur, ob evitandas fraudes, (nam ſæpe quidem eveniebat, quod qui tributis Ærario perferendis pro facultatibus tenebantur, ſimulatis artibus prædia, vel domos, non re, ſed nomine tranſtulerant ad immunes) Volaterrani decretum repulerunt, veriti, ne poſt rerum ſuarum haud conſuetam ſcriptionem ad tributa cogerentur. Utrimque diſceptationibus habitis, conantibuſque illis, quibus exſequutio publici decreti commiſſa erat, diſcerni bona, & his, qui ad contributionem tenebantur, juſta onera imponi, Urbe tamdem Volaterrani Florentinum Præfectum expulerunt. Quam profectò ignominiam quum ægre tuliſſet Populus Florentinus, & illos armis redigendos in priſtinam poteſtatem decreviſſet, comparato exercitu, & prope Volaterram ad tria millia paſſuum perducto, paucos poſt dies ex compoſito receptâ Urbe Cives impunitos dimiſerunt. Dederat enim antea pœnas Juſtus Antonini, qui quum ſuburbanam plebem ad arma concitaſſet, in Palatio Civium paucorum gladiis confoſſus, ac in Forum præcipitatus fuerat. Paucos poſt annos accedente in Italiam Sigiſmundo Cæſare pauci Volaterrani de Urbe Cæſari dedenda pertractarunt. Eo cunctante apud Senenſes, miſſiſque, qui Urbem introducerentur, armatis, patefacta ac ſimul irrita proditio eſt; quod quia ſine publico conſenſu gerebatur, de reis captis, Populo acquieſcente, ſupplicium ſumtum. Sequuta ſunt diverſis temporibus bella, quæ Philippus Maria Vicecomes Inſubrium Dux, & Alphonſus utriuſque Siciliæ Rex potentiſſimi hoſtes intulere Florentinis. Utroque bello Volaterrani multa incommoda perpeſſi, fidem ſervarunt, & amiſſa Caſtella receperunt, ope & viribus Populi Florentini.

Labentibus annis poſt longa pacis otia, & vexatam peſtis contagione Civitatem, Benuccius Capaccius Senenſis à Volaterrano Magiſtratu effodiendi metalla, & Alumina facultatem rogans (nam ejuſmodi fodinis, ſalinaribus puteis, vitreolo, & ſulphure abundat ager Volaterranus) & pretium, & conditiones obtulit. Magiſtratus verò citatis Collegis, quatuor Civibus ejuſdem ordinis mandat, ut rem cum Benuccio diſcutiant, referantque, quid eis addendum, vel detrahendum videatur. Hi haud longe poſt reverſi, additis novis conditionibus, ejuſmodi negotium utile, honorificumque fore Civitati affirmavere. Reſidebant Priores octo, Collegæ duodecim. Ad ſuffragia ventum eſt; quum ceteris faventibus duo adverſarentur, inquit Salvaticus Guidius, alter ex Collegis adverſantibus, non licere tunc de petitione tractari, quia lex prohiberet, ante diem tertium educendi novi Magiſtratus obtineri petitionem ullam, quæ gratiam, aut miſericordiam contineret. Proſpecta lex *de Officio publici ſcribæ*, redacta in novum volumen, quæ in manibus erat, haud obſtare videbatur,

A quum in ea ſcriptum eſſet, gratiam & miſericordiam, copulatis & non alternatis dictionibus; nam in petitione, quam Benuccius exhibuerat, de miſericordia non agebatur. Et eo minus grata erat audientibus Salvatici vox, quo magis obſiſtebat, quia inter Populares opinio erat, illum non pro communi bono, ſed pro evitando ſuo privato incommodo, diſceptare, quum dubitaret, inveniri res effodiendas in agro ſuo, & per conditiones, de quibus agebatur, ſe ad illius venditionem adſtringi. Producta deinde in publicis Conſiliis petitio, & à pleriſque laudata, redditis ſuffragiis obtenta eſt, velut res commodum & honorem allatura Civitati. Erat in ea cautum, quod ſi
B Benuccius adjungeret ſibi ſocios ad obeundum opus, eos infra certum tempus nominare ac patefacere teneretur. Nonnullos nominavit, paucis elapſis menſibus, Florentinos, & Senenſes, Volaterranoſque duos Benedictum ſcilicet Riccobaldum, & Paulum Inghiramium, inter quos de cœpto jam diſpendio, & futura utilitate pactum exſtiterat. Fuere tunc, qui dicerent, petitionem haud fuiſſe obtentam, ſecundùm leges Civitatis; nam etſi publicæ utilitati proſpectum exſtitiſſet, ægerrime tamen ferebant ſcribæ populares Volaterrani, Paulum fuiſſe adſcitum Benuccii ſocium in re, quam ſibi opes allaturam ſuſpicabantur. Is enim ab eis manifeſto jam odio habebatur, ferebaturque,
C illos adversùs eum paucis renuentibus conjuraſſe, quia paulo antea interfuiſſet conditæ legi adversùm ſcribas omnes Volaterranos in conſequendis Magiſtratibus, quorum pauci acquieſcebant, & ipſe legis auctor habebatur. Nonnulli præterea Optimates vexabantur cupiditate lucri, quum fodinæ ingentem Aluminis vim oſtendere viderentur. Alii, quod in publicis fuerat ſancitum Conſiliis, bona fide ſervandum hortabantur; ſalubri quorum ſententiæ livor edax, & ulciſcendi cupiditas obſiſtebat. Lex, de qua ſupra diximus, in novum redacta volumen, quod fuerat in manibus, Benuccio ſociiſque favebat. Sed ubi
D de ipſis ejiciendis poſſeſſione agitari cœptum eſt, productum vetus volumen, ex quo lex traducta fuerat in novum, alternatas dictiones continebat. Lex alia oſtendebatur, qua cautum erat, bona publica dono dari non licere, niſi ex ſummo ſuffragiorum conſenſu. Et quum ſcribæ adverſantes obtentam liberaliore ſuffragio petitionem publica vectigalia minuere aſſeverarent, reſpondebant Conductores, non eſſe dono data, de quibus pactum erat annuarium pretium; nec fodinas conductas detrahere quicquam à vectigalibus, quum antea nihil ex eis vectigalium percepiſſent. Alia item lex afferebatur, quæ in deſuetudinem venerat, prohibens locari bona publica, niſi per eadem ſuffragia, quibus donarentur. Huic quidem
E legi conſuetudo vetus obſtabat, nam & aliæ locationes liberaliore ſuffragio fieri conſueverant. Sed inter cetera querebantur conductores, ea proferri contra ſe, quæ tempore petitionis obtentæ, aut ſaltem ante conſecutam poſſeſſionem, certaque diſpendia ſubticeri non debuiſſent, quum præſertim deliberationi affuiſſet ſcribarum, & Civium frequens numerus, qui quum ſuarum legum aut conditores, aut ſæpe inſpectores exſtitiſſent, illas ignorare non putarentur. Adversùs vero ſcribam publicum, qui admiſerat ſuffragia, & publicas conſultationes adnotaverat, afferebantur quædam paucis incitantibus nequiter, quæ ad evertenten-

tendam locationem pertinerent, quamquam à bonis & prudentibus viris perſpectum erat, ſcribam Virum doctum & honeſtum ad ea perſpexiſſe, quæ Reipublicæ manifeſtam utilitatem afferebant, parum ab inſipientibus cognita. Varius igitur erat rumor in Civitate; Popularium ſtudia jam ſeditionibus implicabantur. In hoc rerum diſcrimine majus pretium Conductores obtulere Civitati, ut facultatem effodiendi liberaliter illis traditam liberaliori pretio compenſarent. His auditis celebrata ſunt Conſilia publica, in eiſque delecti Octo Viri (*) ad novam dumtaxat compoſitionem ineundam; quæ, quoniam & honorem & utilitatem Reipublicæ augebat, à publico Scriba maxime probabatur. Sed hi parum proſpicientes quieti Civitatis, ad infringendam locationem animos converterunt. Succeſſit in Priorum Magiſtratu Franciſcus Contugius homo inquieti animi, Paulo infenſus, cujus audaciæ quum nimium fidei credula Plebs adhibuiſſet, contentio crevit, demumque ad Florentinos Principes deducta res eſt.

Poſſidebant Conductores, & ad opus conficiendum gravi jam diſpendio premebantur. Durum & aſſiduum erat utrimque certamen. Apud Volaterranos interea Octo Viris delectis ad componendam controverſiam additi fuere Viri duodecim, (**) quibus de jure procedendi permiſſa eſt publica poteſtas. Hi quum primum convenere (quia eodem, quo Franciſcus Contugius morbo laborabant) de ſpoliandis poſſeſſione per vim Conductoribus agitarunt; & convocatis agreſtibus armatis Conductorum operarios fodinis ejecerunt, ædificiaque vaſtantes, ſe redegiſſe fodinas in poteſtatem Populi arbitrabantur. Hanc temeritatem indigne ferentes Principes Florentini, reclamantibus Conductoribus vim inferri, quum de jure diſceptandum foret, ſigniferum ſtipatorem miſerunt, à quo pulſis priſtina poſſeſſio reſtitueretur. Prohibuere, qui Rempublicam Volaterranam adminiſtrandam ſuſceperant. Augeri tunc cœpit indignatio Florentinæ Majeſtatis; nam ſupra ejuſmodi motus nonnulli Volaterrani, quibus minus imperabat ratio, quàm voluntas, verba contumelioſa ſuperbe proferebant. Alii, quibus placebant quieta conſilia, quum & lenire concitatos animos, & remedia utilia Reipublicæ in medium afferre conarentur, minis territi, veluti Patriæ hoſtes habiti ſunt. Erat ea tempeſtate Præfectus Volaterranus Reſtorus Antonii Civis Florentinus, juſſu cujus quatuor ex ſeditionis auctoribus Florentiam iere, ea conditione relegati, ne portis egrederentur. Succeſſit per ſuffragia Reſtoro Bernardus Corbinellus cum ampliore poteſtate. Rem acerrime adversùs turbatores gerebat apud Florentinos Principes Paulus Ingheramius; erat enim vir ampli cordis, linguâ promtus, aſpectu non contemnendus. Hujus quippe ſententias Benedictus Riccobaldus ætate major, ſed mitior ingenio, ſequebatur. Favebant ceteri Conductores. Præterea quum Bernardus Præfecturam iniiſſet, plures ſeditionis auctores Florentiam ire juſſi, reluctabant; ſed à Prioribus Populi habita concione, ut parerent conſultum eſt. Hi eodem modo relegati, atque odio compulſi ſæpe magis acerbe quàm ſapienter cum adverſariis publice diſceptabant. Variis tunc ſuſpicionibus Volaterrani vexabantur. Apparuit hoc potiſſimum tempore Stella cometes, & quidem horribilis dudum viſa, quæ certiſſimum fuit indicium Volaterranæ calamitatis. Aſtrologi quoque de inferiores in Principes futuro ejuſdem anni motu nonnulla prædixerant. Conductoribus interim reſtituta eſt fodinarum poſſeſſio. Quum verò Benedictus & Paulus in patriam rediiſſent, exceptos avide ab amicis faventibus, ceteri ſic furtim, ac demiſſis vultibus intuebantur, ut vix eorum aſpectus & verba ſuſtinerent; eòque inferior pluribus erat Pauli adventus, quo ex Florentia ſecum duxerat aliquot corporis cuſtodes, quos illi ductos ad vim inferendam ſuſpicabantur. Fama fuit, tunc plures egiſſe clam de Pauli, & paucorum ſibi fautorum nece, quum die quadam poſt ſacra celebrata è Templo Divæ Mariæ Virginis egreſſuri eſſent. Hanc atrocem inſaniam caſus prohibuit, & aliam alio paravit eventu. Nam quum ante necis futuræ diem armatus cum paucis Urbem ingreſſus eſſet Gaſpar quidam homo audax & impurus, qui dudum ex Flaminia Volaterranum agrum frequentaverat, eſſetque hic Paulo ſuſpectus, quia ſuis duobus adverſariis amplæ familiæ conjunctiſſimus erat, arma Paulus induit, ſuoſque convocat, cauſſam exponit. Statuerat cum paucis clam Urbe diſcedere, adversùm ſe plura moliri ſuſpicatus; at mutato conſilio ſtipatus armatorum catervâ, Florentini Præfecti Atrium ingreditur, velut locum tutum, quem nemo adoriri auderet. Eodem Præfecti juſſu multi Cives ex primariis acciti pro rei novitate pleriſque ſuſpicionem attulerunt, quum præſertim eò armati conveniſſent. Tunc cœptum eſt per Vicos Urbis ad arma conclamari, concitari Plebs, effringi portas, per quas ſuburbanis liberius ingreſſus pateret; literas deinde ſcribi ex Palatio Priorum (pleriſque tamen ex ipſis ignorantibus) juſſu quarum agreſtes armati ad Urbem confluerent. A paucis interim per forum diſcurritur. Qui cum Paulo erant, in eos impetum faciunt. Diremit nox prœlium ſimul cum paucis intercedentibus, qui furentes animos lenire conabantur. Illi ſe in Palatium Populi, hi verò in atrium Præfecti receperunt. Interea ſuburbani, & reliqua Urbis multitudo Forum occupant; circum Præfecti atrium crebris ignibus vigilias imponunt; diſcedunt atrio accerſiti Cives; in Palatium veniunt; rei novitatem admirantur. Sequenti luce agreſtium armatorum manus, quæ in Forum confluxerat, Præfecto, & ceteris, qui cum eo remanſerant, terrorem maximum incuſſit. Exanimatus ferme Paulus videbatur, quum voces audiret crebras, ut ipſe Populo traderetur. Dum tumultu & armis omnia ſtrepunt, tanti facinoris auctores ad confirmandos agreſtium animos exemtiones pollicentur, gravatiſque alieno ære ſpem amplam addunt futuræ mox liberationis ex publico Decreto. His ita ſe habentibus, increbuere

(*) Nomina octo Virorum: Nofrius Antonii Paſquini: Leonardus Franciſci: Ser Pr Lucæ: Franciſcus Antonii de Incontris: Petrus Juſti de Tanis: Salvaticus Mercatantis: Nicolaus Thomaſi: Octavianus Ser Antonii.

(**) Nomina Virorum Duodecim: Ser Dinus Juſti Ser Naldini: Marcus Ricciardi Covaze: Baptiſta Ormanni Stephani: Baſtianus Gentilis de Guidis: Ser Franciſcus Ser Bonfigli: Johannes Antonii Zachi: Nicolaus Bartholomæi Nicolai: Antonius Johannis Ser Guidi: Ser Michaël Joachini de Incontris: Ser Franciſcus Pauli Ser Vintæ: Ser Baſtianus Chriſtophori de Borſellis: Tavianus Gianello Pichinenſi.

Digitized by Google

buere voces poſtulantium, ut Paulus in poteſtatem Populi veniret. Renuebat Præfectus; qui verò interim componendis rebus operam dederant, omni ſpe concordiæ amiſsâ, deſtiterunt. Reſonabat clamoribus forum; ſtrepitus augebatur. Præfectus verò circumſpectis tot undique difficultatibus, daturum ſe Paulum offert, modò de illius vita ſalubriter decernatur. Conclamatum eſt, paucis irritantibus, quod ſine ulla conditione deſcenderet in Forum, ubi verba impetuoſa de ſui nece audiebantur. Monitus interea Præfectus, ut ad Priores Populi ſe conferret, obſequutus eſt, & evitandi furoris, & leniendæ plebis gratiâ. Quum verò plurimùm deteſtaretur ejuſmodi motus, & Pauli ſalutem efficaciſſime rogaret, in Atrium, unde diſceſſerat, impetus fit. Inter ceteros cum Paulo remanſerant Romeus Barlettanus, cujus omnia pæne ſtudia fuerant in exercenda liberalitate, Bartholomæus Minucius vir honeſtæ converſationis, & in Civitate divitiis potens, Johannes Pauli frater, & Blaſius Liſcius, qui cum ſeditionis auctoribus haudquaquam ſentire voluerat. Facto igitur in Atrium impetu, ſuccenduntur, & effringuntur portæ. Romeus primo congreſſu interfectus eſt à debitore, cui pecuniam crediderat, ac etiam ex ſublimi loco in forum miſerabiliter projectus. Cum telo Paulus in latebram ſeceſſerat, qui demum repertus, & in anguſtia loci vitam telo protegere conatus, igne, fumo, ſulphure mixtis interiit; cujus quoque cadaver ignominioſe atrio dejectum oculis furentum patuit: triſte quidem ſpectaculum pluribus, gratum paucis, quibus ulciſcendi libido fuerat. Dum hæc gerebantur, Bartholomæus cum amico, veſte mutata, pecuniâque oblatâ uni ex ſequentibus, per diverticula ſubterfugit. Johannes atrii Turrim adjutus conſcenderat, qui ex foro ſagittis inſectatus, haud longe poſt acceptâ ſuæ ſalutis fide publica, quum per funiculum deſcendiſſet, in cuſtodiam Prætori urbano datus eſt. Blaſius verò in ſupremam cujuſdam camini partem ſe proripiens, ſeque ſuſtinens in anguſto loco, quantis potuit viribus, longo diei ſpatio cunctatus eſt. Hinc facto pro ſalute ſua voto, ubi ceſſavit furor, ex camino deſiliens, Lauretum agri Piceni, ut votum ſolveret, contendit.

His ita ſecutis, & Conductoribus fodinarum poſſeſſione iterum pulſis, cum omni publica poteſtate decem Viri (*) ut paucis placuit, creantur. Hujus novi Magiſtratus princeps fuit Benedictus Antonii Juriſconſultus, ætate, ac faſtu; quàm moribus, ac ſapientiâ gravior. Relegati ſunt hoc Magiſtratu creato per diverſa Etruriæ loca Bartholomæus Minucius, & Aloyſius frater adoleſcentulus, Benedictus Riccobaldus, & filii, Johannes Ingheramius Pauli frater, Octavianus Romei filius adoleſcens, & alii plures, inter quos fuit Johannes Segherius vir mitis ingenii, liberalis quidem, & omni humanitate plenus. Is quia in conciliandis animis furentum, & comprimenda ſeditione operam dederat, ſuſpectus habebatur, fueratque paulo ante vitæ periculo proximus: quod & prope Sebaſtiano Borſello evenit. Is quoque, quum ad eamdem operam eſſet intentus, poſt accepta vulnera vitam fugâ tutatus eſt. Magno eâ tempeſtate pretio habebantur Giannes, & Mancinus Incontrii adoleſcentes inquieti animi, Gigantinuſque homo plebejus, & impudens, qui dudum inops quæſtus gratia tabernam vinariam exercuerat. Propterea felices illi Populi ſunt, qui tutelam eorum non in muris aut turribus ponunt, nec hominibus impetuoſis credunt, ſed bonorum Virorum conſiliis, & ſapientum ſententiis gubernantur. Dum ergo quæ ſupra memoravi apud Volaterranos aguntur perlatus ad Urbem Florentiam rumor, Civium animos ad varias cogitationes erexit. Movebat eos una ex parte ratio neceſſariæ punitionis ob acceptam ſui Præfecti contumeliam, & Romei, Paulique necem, velut in ipſo Florentini Populi domicilio factam. Altera verò ex parte Urbem Volaterranam naturâ & opere munitam non fore capiendam viribus arbitrabantur. Acceſſere ſtatim Legati ad Magiſtratum Florentinum à Viris illis decem creati, miſſi ex Priorum auctoritate cum hujuſcemodi mandatis; quorum fuit primum, ut ſi quid evenerat de ſuorum Civium nece, id facile toleraret Populus Florentinus, quia quum fuiſſent Volaterrani Cives, in eos animadvertere licuiſſet Populo Volaterrano. Aliud fuit, quod Civibus ſuis relegatis in Urbe Florentia, patriam repetendi libertas daretur. Tertio expoſuerunt, conſtituiſſe Volaterranum Populum, ut ad ſe dumtaxat Aluminum fodinæ pertinerent. Sed quum inſolens oratio Legatorum Magiſtratui & Civibus videretur, verba temporibus accommodata tulerunt; ideo non diſcedebant ab armis, qui tumultuoſi erant, omniſque Civitas inter ſpem & metum ſuſpenſa erat. Decem autem Viri, quos dominationis libido incenſerat, indignati relegatorum liberationem haud fuiſſe impetratam, vigilias circum Urbem imponi, exploratores mitti, arma, & commeatum afferri omni ſtudio curarunt. Terrebat eos conſcientia facinorum ſuorum, & omnia in malam partem conjectare, omnia ſuſpicari formidareque cœperunt. Eò miſſus eſt Antonius Rodulphus inſignis Eques Florentinus, qui demulceret Popularium animos, & ad quietem Priores, decemque Viros hortaretur. Obvia Civium pars, & caterva plaudentium puerorum honorifice illum ad Palatium publicum perduxerunt, ubi liberaliter ac benigne habitus paucos poſt dies Florentiam rediit. Quum interea decem Viri nihil remiſſius agerent, quo eorum diffidentia pateret, nam & Portarum claves, quæ in poteſtate Præfecti eſſe conſueverant, ad eos referebantur, & Tabellas eò tranſmiſſas ad ſe quoque deferri mandaverant, ut quæ ſcriberentur non ignorarent, apud Florentinos de Volaterrana defectione ſuſpicari cœptum. Eo tum, & cum ampla poteſtate Petrus Malegonnella Præfectus miſſus (nam Præfecturæ mutandæ tempus advenerat) quæ in dies gerebantur Florentino Magiſtratui annuntiabat.

Inter hæc Laurentius Medices, Petri filius, Coſmi nepos, vir ſummæ auctoritatis, opibus potens, & clarus gloriâ virtutis, in Sacrario Templi, quod Reparatæ dicitur, Volaterranos relegatos benigne allocutus, eos adhortabatur, ut bono animo ſint, ſuadeantque ſuis con-

(*) Nomina decem Virorum: Dominus Benedictus Antonii Paſquini de Broccardis: Magiſter Johannes Michaël Ser Petri de Contugiis: Gaſpar Angeli de Marchis: Ludovicus de Tignoſellis: Antonius Ludovici de Incontris: Jacobus Acconcius: Bartholomæus Comucci: Laurentius Salveſtri: Paulus Alexandri: Guidaccius Nannis de Daccia.

concivibus, ne nimium properent, neve nova moliantur, aut inquirant; facile futurum, ut gratiam inveniant apud Florentinum Populum, monetque, operam dent, ut fides inconſtantiæ præferatur; nullum enim eſſe in Italia Principatum, nullam Rempublicam aptiorem ad tutandos conſervandoſque Volaterranos, quàm optima in illos voluntas, & finitima potentia culminis Florentini. Alios magnos Potentatus abeſſe procul, quos minime ſperandum eſſet Urbem illam niſi cum ſervitute ſuſcepturos. His auditis conſultum eſt, per literas relegatorum accerſiri quempiam ex decem Viris, auditurum à Florentino Magiſtratu, quod ad Volaterranam ſalutem pertineret. Miſſus igitur Jacobus Acconcius, qui haud in ultimis decemviratum gerebat. Hæc ſuis concivibus renuntianda percepit; mittendos fore ad Florentinum Magiſtratum Legatos publicos, qui de inſolenter geſtis aperte veniam peterent, & eâ impetratâ (quod eſſet facillimum) relegati dimitterentur, Volaterranuſque Populus ab omni metu & ſuſpicione punitionis liber eſſet. Hic mandata renuntians, quum eſſet omni fiduciâ vacuus, utpote gravatus conſcientiâ geſtorum, addit, ſatis fore Magiſtratui Florentino, ſi datâ ceteris veniâ, de duobus tantummodo ſupplicium ſumeretur. Et quum ſimulate nomina ſubticeret, velut ſibi non declarata, ſic auxit illis diffidentiam & metum erga illos, qui ſeditioſe omnia egerant, ut in concione de Legatis mittendis non decerneretur. Quod quum Florentiæ auditum eſſet, quatuor ex relegatis operam ſuam polliciti, facile impetraverunt acceſſum in Patriam, vera dumtaxat mandata expoſituri, curaturique, ut ea perficerentur, quæ ſatis pro tempore utilia eſſent, quietemque afferrent Patriæ fluctuanti. Jam decem Viri Legatos clam per Italiam miſerant, Prætorem urbanum, & Octavianum Silveſtri ad Ferdinandum Regem; Jacobum Nerium ad Venetos; Dinum Naldinum ad Senenſes. Gigantino Plumbini provincia obtigit. De ſubſidio implorando, de bello gerendo, deque Urbe dedenda (ut fuit ſuſpicio) tractabatur. Accedebant huc hortationes Gerii exulis Florentini, plura, quàm ejus ferret ſors, pollicentis. Hic noctu clam decem Viros allocutus, vehementi oratione leves eorum animos in ſpem magnam futuræ libertatis, maximorumque præmiorum erexerat; affirmavit enim, ſi à Republica deficerent, ventura eis præſto auxilia, mittendamque ad eos pecuniam: quorum omnium ſumma ſibi, ac ceteris exulibus Florentinis cura relinqueretur, quum & ipſi pro Patria, pro libertate, pro ſuis denique fortunis pugnaturi eſſent. Verba hæc, & alia hujuſmodi ab homine nullius auctoritatis leviſſimi homines ita ſuſceperunt, ac ſi ſtatim dictis facta reſpondiſſent. Quo autem facilius in Populo ſuas legationes, & hujuſmodi colloquia diſſimularent, operam dedere, ut Priorum juſſu concio frequens haberetur, in qua de conſilio capiendo ſuam quiſque ſententiam diceret. Quum Priores à convocatis Civibus conſilium peterent, & pariter omnes velut ſtupidi conticerent, Gabriel Riccobaldus vir providus, ac ingenio & lingua velox, rogatus ſententiam dixit. Is quum omnes cogitationes, omneſque apparatus rerum novandarum diſuaſiſſet, commemorans vires & exercitus Philippi Mariæ Inſubrium Ducis, Alphonſique Regis utriuſque Siciliæ, diverſis temporibus in Etruria ceſſiſſe opibus & ingenio Populi Florentini, finem dicendi fecit. His auditis Priorum juſſu, nullâ morâ interjectâ, omnis concio diſſoluta eſt, & ipſe mox à Prioribus decemque Viris accerſitus audire verba coactus fuit, minantia ſibi capitis pœnam, ſi deinceps ejuſmodi diſſuaſionibus uteretur.

Dum hæc geruntur, ex Florentia relegati quatuor cum mandatis parandæ quietis applicuerunt. Quum illis de reditu gratularetur Civitas, & ipſi primum Decem Viris cauſam adventus exponerent, juſſi, ut conticerent, Florentiam contra fidem datam non rediere. Auxit ſane hoc ludibrium indignationem Principibus Florentinis, qui & cognitis legationum cauſis, & interceptis literis, quibus ceteri relegati monebantur, ut confeſtim clam abirent, & in Patriam per tutiora itinera maturarent, non fore amplius cunctandum cenſuerunt, permoleſte ferentes eum Populum à Volaterranis ludificari, qui pro communibus fortunis, & pro libertate Italiæ opulentiſſimis Regibus, potentiſſimiſque Tyrannis obſtitiſſet. Capti ergo primum relegati, & in ſuprema Palatii publici parte in cuſtodiam traditi. Convocato deinde frequenti Civium numero, & patefactis machinationibus deprehenſis, omnium ſummo conſenſu bellum contra Volaterranos decernitur, vigintique præſtantes viri deliguntur, quibus omnis belli moles permiſſa eſt. Hi primum decretum facile pecuniam contrahere, ſtipendia dare; accerſiri undique pedites, arma expedire, incumbere machinis, exploratores mittere, parare commeatum, & quæ uſui bello forent, die noctuque ſummâ curâ cogitare, inquirere, conficere. Dux belli gerendi Federicus, Urbinatum Princeps illuſtris, & peritiſſimus rei militaris, deligitur. Huic Legati adjiciuntur Bongiannes Gianfigliatius Eques Florentinus, & Jacobus Guicciardinus, viri clari, quorum auſpiciis, conſilio, & ope in tanta varietate rerum agendarum uteretur. Præterea Donatus Acciajolus vir Philoſophus, & generoſæ Familiæ, ſed maximæ facundiæ pollens, ad Senenſes Legatus mittitur, daturus apud eos omnem operam, ut ſe ab inſtanti bello continerent. Interea miſſi peditum ductores per agrum Volaterranum cum magna manu prædas agere, Caſtella per deditionem capere, omnem regionem excurſionibus infeſtare. Volaterrani autem, Præfecto Florentino apud eos agente in Palatium publicum perducto, etſi eſſent in tanto rerum diſcrimine pecuniæ inopes, ac rei bellicæ ignari, tamen, quia Urbs naturâ, opere, commeatu, fontibus, armis munita erat, in eamque agreſtes homines vini, & frumenti copiam, aliaque ſuarum fortunarum plura, velut ex naufragio in portum advexerant, tolerare bellum, & ſimul protrahere tamdiu exiſtimabant, ut auxilia exſpectare poſſent, atque interim Florentini diuturno ac gravi diſpendio afficerentur. Ex modicâ igitur pecuniâ publicâ in paucos dies conduxere pedites octingentos. His Ductores quinque præerant, inter quos Venetus, & Matricius pluris habebantur. Eos tamdem in Urbe, non aſſuetâ voracitati militum, apud Cives imbelles, & ignaram mali Plebem receperunt. Federicus interim belli Dux cum valida equitum ac peditum manu in agrum Volaterranum ex patrio Principatu accelerat, contractiſque in unum copiis, per epiſtolam Priores ac Decem Viros hortatur, ut pacem, quàm bellum malint; operamque ſuam polli-

Digitized by Google

pollicetur ad impetrandam gratiam, si Florentino Populo depositis armis obsequantur. Paucos post dies, illis in sententiæ pertinacia permanentibus, rogantibus tamen, ne prædia vastarentur, castra movet, Urbique appropinquat ea parte, quæ ad Orientem spectat, ad quam difficilis erat undique aditus. Verùm quia prope mœnia in opportuniori loco, ubi maxime aquarum copia esset, castra locanda videbantur, eam regionis partem, velut minus incommodam Federicus, & Florentini Legati delegerunt. Extra Portam Silicem, quæ ad Orientem vergit, subjacet Vallis, cujus altitudo spatium fere duorum stadiorum complectitur. A dextra est via saxo strata, per quam obliquo itinere ad Templum Divi Lazari descensus patet: à læva profundior Vallis à superiori angusto exitu, & alto rupibus per declivia loca inter duos colles ad Eram Fluvium ducit. Juxta verò Divi Lazari templum colles duo eminentiores exstant; inter utrosque via, quam supra diximus, tortuoso itinere Senas petens. Exercitus per hanc ascensurus erat; ex sublimiori verò colle in locis opportunis quum scaturiant perpetui fontes, collem hunc Volaterrani occupant, aggeribus & tabulatis firmant, commeatum & arma comportant, præsidio muniunt. At Federicus, Florentinique Legati, quum quæ à Volaterranis agebantur cognovissent, adoriri collem, & militum virtutem experiri statuuntur. Dux ipse instructa acie militibus ascensum imperat, cohortes deligit, quibus collem aggrediendi primum negotium dat. Hinc quum militum animos erexissēt brevibus verbis in spem victoriæ, conclamatum est; impetus fit. Præsidia collis arma expediunt, concurrunt ad opportuna loca, sagittis, telis, lapidibusque, hastisque oblongis res geritur. Sub ipsis jam tabulatis pugna erat, saxa involvuntur, propugnacula ruunt hastis oblongis disjecta. Inter tot adversa conscendunt milites, alius alium adhortatur. Hinc favebat exercitus, illinc Volaterrani mœnibus prospectabant. Ad gladios ventum est; tum metus ingens Præsidia incussit, fugam arripiunt, capiuntur multi; superatur collis, & armis, quæ Volaterrani in eum locum congesserant, potiuntur.

Federicus his prospere gestis castra locat, opportuniora loca Urbi opposita expeditis cohortibus firmat; reliquam exercitus partem per subjacentes colles castrametari jubet. His Florentiæ relatis, quum maxime Popularium animi suspensi tenerentur, gaudium ingens ortum est. Gratulabunda Civitas erecta in spem ampliorem Urbis potiundæ, hortari, festinare, machinas, tormenta submittere cœpit. Volaterrani autem post amissum Collem, & ex suis plures captos, fracti animis, ab ea Urbis parte se intra mœnia continebant. Inter se rumor varius, debilitata spes, contentiones crebræ. Turbarunt hæc & Senensium animos, qui etsi publice ab auxilio Volaterranis ferendo abstinerent, tamen facile patiebantur in Urbe sua scribi pedites, qui per occulta itinera Volaterras ingrederentur, & à paucis concivibus quædam privatim subsidia præstari. Et quamvis eos Florentinus Legatus ab omni metu exercitus comparati optimis rationibus liberare conaretur, tamen & ipsi pedites miserunt, qui Castellis suis agro Volaterrano finitimis præsidio forent. Galeatius Maria clarissimus Insubrium Dux sexcentum interim auxiliatores magni roboris in castra mittit. Eò-

A dem equitatus insignis, & peditum copia ex agro Romano convenere. Aucto igitur exercitu Templum Divi Andreæ, quod est sub ipsis mœnibus ad jactum lapidis, occupatum est. Hic Insubrium statio. Hinc miseranda Urbis direptio subsequuta, Volaterranam rem, prope attritam simultatibus atque discordiis, fregit penitus atque disjecit. Rebus ita dispositis, levia extra Urbem interdum prœlia committuntur; nam urbani pedites quandoque portâ egrediebantur, quæ in maritimam tendit, Silici portæ proxima, & per alias quoque portas furtim prædabundi vagabantur. Dum tormentis quatiuntur mœnia, dum Volaterrani reparandis ruentibus muris intendunt, certiores B facti, nullum Italiæ Potentatum auxilia illis missurum, Decem-virorum temeritatem, Plebis insolentiam, paucorum adolescentum levitatem, ac ultinoum auctores apertius calumniari detestarique cœperunt. Eò jam ventum erat, ut magis de Urbe dedenda, quàm tutanda, pæne singuli cogitarent. Nullum inter eos exstabat certum imperium, cui ad regendam ejusmodi molem Cives, Plebs, præsidiaque parerent. Crebræ per Urbem rixæ, concursationes, trepidationes erant. Duce Guiduccio Nannis agricultore, quem maxime suburbana plebs sequebatur, Johannis Bartholini Florentini adolescentis crudelissima cædes subsequitur; cujus quippe casum horret animus, C & enarrare pudet, nescioque qua mente scelus tam atrox, tamque dirum spectaculum oculi hominum ferre potuerunt; Inter tot difficultates creati sunt à Decem-Viris Nicolaus Bonamicus opifex, & Gigantinus caupo, hisque ad Urbem tutandam permissa publica potestas; qui quum per celebriores vicos sceptra gestantes obequitarent, & militare munus militiæ ignari obire conarentur, ludibrio habiti destiterunt: Alii quoque Duces creati homines infimæ sortis eumdem exitum habuere, nam si qui alicujus auctoritatis aderant, suspecti à Decem-Viris habebantur. Quum denique pedites conducti pretio ab ærario exhausto stipendia frustra postularent, nec à Civibus tributa nisi per vim, & ea quidem minimo exi- D gerentur, tum peditum ductores cum nonnullis Civibus privatim per nocturna colloquia de Urbe tradenda Federico, & Florentinis Legatis, agere cœperunt. Inter hæc Matricius, cui Decem-Viri plurimùm confidebant, cum peditum suorum parte clam in castra descendit. Trepidatio in Urbe major facta; nulla cuique fides; nullus jam honos habebatur. Fuere præterea in hac summa rerum difficultate plures ex plebe infima, qui de cæde præstantissimorum Civium cogitarent.

Federicus interea nihil remissius agere; interdum strenui militis, & sæpius providentissimi Ducis officia obire; die noctuque agere, E moliri omnia, quæ majorem Volaterranis metum incuterent. Quum denique Decem-Viri statum Civitatis in summò discrimine conjectum cernerent, seque suis pæne omnibus odio esse intelligerent, nec evadendi ulla spes adesset, per internuntia secreta de Urbe dedenda statuunt. Sequenti nocte in Arcem, quam occupaverant, Gabrielem Malespinam honorificè in Castris habitum cum delectis militibus introducunt. Venetus, qui & ipse paulo ante clam in castra descenderat, deque Urbe tradenda tractaverat, quum ejus custodiam simulans voces audivit in arce faventes nomini Florentino: ipse id, quod erat, suspicatus

Digitized by Google

(nam eo ignaro de deditione conventum fuerat) se proditum à custodibus queri cœpit; statimque advolans ad eam murorum partem, quæ prope Templum Divi Andreæ tormentis disjecta erat, Insubres introduxit, ostentans ingentem illis, ac sibi, modò festinent, prædam fore. Hos & major peditum copia, quæ maxime eodem loco habebat castra, sine cujusquam imperio per angustum aditum subsequitur. Nondum dies illuxerat, quum primo ingressu per Urbem sine tumultu vagarentur, & obvii Cives ex composito ingressos putarent, nam in forum jam maxima eorum pars quietè pervenerat, multisque jam erat Civibus nota deditio. Venetus primum, qui se in tradenda Urbe spretum putarat, prædæ avidior, & mox ceteri, vim illaturi, per vicos discurrunt. Clamor undique ingens factus est. Aufugit Civium pars per eam Portam, quæ vergit in Occasum. Alii capiuntur; in Palatium publicum pauci se recipiunt. Domorum postes effringebantur; strepitus horrendus, ac miserabilis erat; fugiebant mulieres, ingenui pueri, ingenuæque puellæ. Pars in Palatium publicum, pars in templa, quibus proximiores erant. Militum clamoribus, miserandis mulierum vocibus, puerorum gemitu, lacrymis, furore, direptione omnia complebantur. Jam dies advenerat; Palatium paucis resistentibus expugnabatur.

Tum Federicus, Legatique vix cum equitatu ingressi per portam Silicem, quæ firmata machinis effringi facile non poterat (nam ingressus per disjecta mœnia in angusto & arduo loco equitatui minime patebat) per Urbem in forum advolant, vim à Palatio repellunt. Per vicos, ut eorum quisque melius poterat, opem ferebat afflictis; verùm sine Duce, sine imperio res gerebatur. Fiebant per Urbem digladiationes, atque cædes militum; equites, peditesque permixti variis excursionibus agebantur. Non de victoria, non de probitate, sed de abducenda præda, de domibus retinendis certamen erat. In tanto rerum discrimine, quum furentibus animis modus adhiberi non posset, Legatos Federicus consulit, ac publice mandari jubet, quod quicumque miles, adveniente Vesperarum horâ, Urbe non erit egressus, capite puniatur. Venetus interim quum in potestatem Federici, Legatorumque venisset, laqueo suspensus periit, in forumque projectus à nonnullis Volaterranis ignominiosè habitus est. Summa fuit Federico, & Legatis cura mulierum omnis ordinis, omnisque ætatis; diligenti enim studio in locis, in quæ profugerant, servabantur; & si quæ per vicos, domosque apparebant, ad eadem loca erant perductæ, casus acerbitatem deplorantes, & sparsis crinibus, extensisque ad cœlum manibus, illorum incusantes inepta consilia, qui propriæ salutis immemores tantum infelicitatis, jacturæ, dedecoris, atque mœroris inflixerant miseræ Civitati. Ingens erat prædæ vis, quæ in castra, & per alia diverticula ferebatur; & eo quidem ingentior, quo agrestium maxima pars plurimum supellectilis in Urbem contulerat. Dum hæc agerentur, & impietate militum etiam templa spoliarentur, Terræmotus Urbem, & castra concussit. Fama est, quod ante Terræmotus initium tiro quidam ex Templo Divi Franciſci ſacram Euchariſtiam, in parvo Tabernaculo ſervatam, impudenter abſtulerat, & exire templum nequiens, velut luce privatus, Tabernaculum, & alia, quæ rapuerat, iracundus contumelioſe projecit. Sunt pie credenda, quæ ad Religionem pertinent. At ſi naturam ſequimur, paucos ante dies aſſiduis imbribus madefacta Volaterrana regio, & mons ille cavernoſus, in quo Urbs ædificata eſt, Terræmotum edere potuerunt. Exhauſtâ univerſâ Civitate, ac ſuburbiis, quum hora Veſperarum adveniſſet, quod per Præconem Federicus mandari fecerat, ſervatum eſt, ademtâ militibus facultate inquirendi per loca ſubterranea, & ſecretiora ædium, in quibus antea plures meliora quædam abſconderant. Deductæ ſunt miſeræ mulieres ad vacuas domos cum parvis liberis; Priores Palatio ejecti; Decem-Virorum auctoritas extincta: quæ omnia poſt decretum contra Volaterranos bellum infra dies circiter XL. ſunt confecta. Paulatim redibant, velut ex latebris exanimati Cives, quorum aliquot conſcientiâ ſcelerum, & metu pœnæ Florentinas vires effugerunt. Referta erant longis agminibus per Etruriam, & uſque in Galliam Ciſalpinam itinera ſarcinis Volaterranæ prædæ, non ſine mœſtitia Populorum, univerſæque Florentinæ Civitatis, cujus dumtaxat conatus fuerat, ut rebellantem Urbem ſalvam in liberam ſui poteſtatem redigeret.

Volaterrani plerique Legatorum operâ, & commiſeratione quadam viginti Virorum Florentiæ creatorum ad gerendum bellum (inter quos fuit Laurentius Medices, de cujus amplitudine ſupra memoravi) ad redimendas res, officinaſque replendas, pecuniâ ſunt adjuti. Et quò ad Patriam non deſerendam animos firmarent, per novam legem prohibiti fuere à domibus prædiiſque vendendis. Paucos poſt dies qui fuerant ſeditionis auctores, qui novandis rebus intenderant, qui crudelitatibus faverant, pars relegati per Urbes & oppida Florentinæ ditionis, pars ad carceres publicos damnati ſunt. Et Fodinarum poſſeſſio conductoribus reſtituta.

Hunc habuit exitum miſerum & infelicem Volaterrana res levitate & perfidia paucorum, quibus in tam diuturno otio, in tanta rerum ubertate, in tanta denique ſecuritate, quid eſſet civilis diſſenſio, quid cædes Optimatum, quid prædiorum vaſtitas, quid everſio publici regiminis, quid Patriæ direptio, quid publicum dedecus, quid egeſtas privatorum, experiri libuit. Populus autem Florentinus & Arcem ampliori munimento firmare, afflictumque Civitatem placabilitate, ac largitatibus reparare ſtuduit. Utque in ſpem meliorem Volaterrani adducerentur, Laurentius Medices ad eos conſolandos acceſſit, honorifice habitus pro tenui fortuna ſubactæ ac direptæ Civitatis. Miſeri tamdem Cives, qui quondam inter ſe placide jocari conſueverant, inter tot mala, ſpemque allatam benignitatis Florentinæ, pro joco habuere Jacobum Bardinum virum ſenem, & conſilio gravem, ac in civili contentione factioſis adverſarium, qui ſæpe vehementer in tanta rerum jactura, ſe & Gallinas, & Urceolos amiſiſſe querebatur.

FINIS.

Digitized by Google

LEODRISII
CRIBELLI
LIBRI DUO
DE EXPEDITIONE
PII PAPÆ SECUNDI
IN TURCAS,

Nunc primùm luce donati

E MANUSCRIPTO CODICE

D. PHILIPPI ARGELATI

S. C. C. M. A SECRETIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

T. 23. ad elog.



Digitized by Google

IN LEODRISII CRIBELLI LIBRUM DE EXPEDITIONE PII PAPAE SECUNDI *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

VItam Sfortiae celeberrimi militum Ducis, a *Leodrisio Cribello* Mediolanensi conscriptam, publici juris dudum feci in Tomo XX. Collectionis hujus. Nunc alterum illius Opusculum, numquam antea typis traditum exero, ad postrema Pii II. gesta dignoscenda non inopportunum. Poposcisset sane institutum meum, ut huc inferrem *Commentarios rerum memorabilium Pii II. Pontificis Maximi, a Johanne Gobellino*, ut fertur, sive potius ab ipsomet Pio elegantissime conscriptos, quum ibi luculentâ ac fusâ narratione pleraque eximii illius Pontificis acta referantur. Verùm abstinui, tum quod non semel Opus illud Typographorum curâ commune Eruditis factum fuit, tum etiam quod non mediocris molis Liber mihi, ad umbilicum laboris hujus properanti, quamdam terroris speciem incussit. Jamdiu enim vereor, ne literatis viris aut oneri aut molestiae sit in tot Tomos jam producta haec ipsa mea Collectio. Accedit quod adjungendi subinde fuissent *Commentarii Jacobi Cardinalis Papiensis*, egregium sane Opus, per quod Pii Vita atque Successoris Pauli II. mirum in modum illustratur. Immo quisquam expetere potuisset, ut & *Epistolas* jamdiu evulgatas ejusdem Cardinalis Papiensis ad eorum temporum Historiam summe consentaneas, ac magni faciendas adnecterem. Sed numquamne modus mihi habendus? Quare satis sit Lectori nuper accepisse Vitam Pii II. a Campano compositam, & accipere nunc Cribelli Opusculum, cui aliquod e novitate pretium futurum puto. MStum verò Codicem, unde illud exscripsi, suppeditavit mihi D. Philippus Argelatus a Secretis S. C. C. M. CAROLI VI. Rom. Imperatoris, saepius a me laudatus. Neque opus esset, ut de Cribello quidquam aliud afferrem, quando in Praefatione ad Vitam Sfortiae satis de illo actum est. Attamen unum silere nolo, scilicet inter Epistolas nuper memorati Cardinalis Papiensis *Jacobi Ammanati* secundam Libri primi scriptam fuisse ad *Leodrisium Cribellum Mediolanensem*, in qua Ammanatus testatur, se ab eo accepisse *Epigramma*, & *Apologiam*, quae sibi multum probata fuere. Leodrisius a tanto Cardinali laudatus, habet quod sibi gratuletur, & a nobis saltem non disparem exigat laudem.

Digitized by Google

Digitized by Google



LEODRISII CRIBELLI DE EXPEDITIONE PII PAPÆ SECUNDI IN TURCAS.

INCIPIT LIBER PRIMUS.



Erſuaſus ſum multis, ut cœptam adverſus impios Chriſtianæ Religionis hoſtes Turcas expeditionem, ductu, operâque, & ſupremo conatu Pii II. ſummi Pontificis, quem hac tempeſtate, veluti certum obicem adverſus furentem procellam, imperſcrutabilis Dei providentia reſervavit, quantâ poſſem adnixus diligentiâ, literis mandarem, accepturus ex amplitudine rei conſcribendæ ſplendorem illum, quem, ſi ſtudio par ingenium fuiſſet, ſuſcepti operis dignitas, & hiſtoriæ ſanctimonia quædam, nihil humile nihil vanum admittentis, expoſcit. Nam quid vel à me dignius fieri potuit, quàm tantæ expeditionis præſenti periculo neceſſariæ, exemplo memorabilis, magnitudine verò illuſtris, ſeriem poſteritati conſecrare? vel certius conſcribi, quàm id, cujus initiis, ſanctiſſimiſque edictis, ante ipſos Pontificis oculos, dum belli hujus primordia eventuſque auſpicaretur, intereſſe mihi contigit, & quæ ſequuta exinde ſunt, diligentius adnotare? Tu verò, Pie Pontifex, ſi quando hæc in aures

A tuas penetraverint, Scriptori ſedulo veniam dabis, ſi clariſſimæ res geſtæ tuæ, & divina illa eloquentia, qua ceteris mortalibus omnibus æquo ac majeſtatis gradu longiſſime præſtas, minus idoneis verbis explicabuntur. Nam ſi digniſſimum te, tuiſque rebus Scriptorem quæris, te ipſum, nec alium deinceps quemquam habiturus es. Aureum profectò futurum opus, ſi per arduas, multipliceſque curas tuas, & ægri moleſtias corporis, liberum tibi eſſet exemplo Cæſaris, vel, ut de noſtris loquar, Euſebii, aut Auguſtini, luculentiſſimum tuum ſcribendi ſtilum in his etiam gerendis rebus exercere. Sed quoniam hoc à te munus iis, quæ dixi, acrioribus quam vellem,
B quamque Reipublicæ noſtræ Chriſtianæ expediat, impedimentis aufertur, experiar Deo præſide, tuaque favente Sanctitate, quid in his poſſit fidelis Scriptoris diligentia. Quamvis & nonnullis ex tot doctiſſimis viris, qui tibi famulantur, honeſtarum Artium ſupremo parenti, communis fortaſſe futurus ſit iſte labor. Id enim nihil detrahet de rei claritate. Et in re incerta huic ſtudio meo, tuæ vigilantiæ animique magnitudini dedicato, deeſſe mihi turpe duxi. Prius autem quam maximæ omniumque difficillimæ rei, quam aggreſſus es, initia attingo, pauca de Saracenis prius, poſt de Turcorum origine, & ut ad tantum culmen eorum opes creverint, qui nunc Chriſtianorum omnium cervicibus imminent, Ro-

Digitized by Google

manamque terrent Eccleſiam, perſtrinxiſſe juvabit.

Suſcepta fuit à Saracenis primum, qui ſunt Arabiæ Populi, omni hominum memoria latrociniis maxime dediti, portentuoſæ ſuperſtitionis execrabilis veſania, quam Mahomet Pſeudo-Propheta diſſeminaverat: homo viliſſime natus, Abdimenopolis cujuſdam Iſmaëlitæ filius dictus, idolorum cultor, in Mecha Civitate; pupilluſque relictus in ſumma rerum inopia, quum adoleviſſet, Hadigræ mulieri viduæ & prædiviti operam ſervilem in agendis aſinis primum, deinde camelis, locavit: factuſque mox inſignis præter ceteros latro, viduam ipſam furtivo cognitam ſtupro, propalam poſtea uxorem duxit. Atque ita congeſtis qualicumque arte vel fortuna opibus, tyrannidem affectare cœpit Heraclio imperante, paulo poſt Gregorii I. magni Pontificis tempora. Hic ergo, velut Anaſtaſii Bibliothecarii Romani translatio è Græco in Latinum tradit, tum præterea Roberti Ketenenſis Anglici, & Petri Toletani ex Arabico ſermone interpretatio, & Petri item Cluniacenſis Abbatis, quorumdamque Latinorum teſtantur Opera, quamvis gladio, & graſſatorum catervâ ſtipatus, terribilis jam vicinis omnibus immineret, multis tamen repugnantibus, multa adverſa expertus eſt. Inter quæ, accepto etiam in adverſa facie vulnere, deformatus eſt, dextro brachio, humeroque ferme abſciſſo. Et quia quod affectabat, vi ſola minus conſequi ſe poſſe animadverteret, à nefandis artibus auxilium petiit. Quum enim audiſſet, apud multas nationes Prophetas in ſummo pretio habitos fuiſſe, magnum ſe Dei Prophetam ad ſalutem hominum miſſum commentatur; venerationemque inter agreſtes idololatras barbaros & convenas, rerum admodum rudes, qui nec quid Propheta eſſet, intelligerent, nec quid inter veritatem & mendacium, aut ſapientiam & vanitatem intereſſet, aut in quo ſacrum à profano diſtaret, internoſcerent, ipſe quoque barbarus & literarum ignarus, ſed ingenio vafro atque in omnem audaciam prono, non difficile injecta Populis ſuperſtitione, aucupatur. Nihil enim velocius ad irritandas hominum mentes, nihil efficacius ad Populos commovendos. Succedentibus initiis, jungit ſe illi Sergius perfidus atque impius Monachus, ab gremio Eccleſiæ, veluti peſtifera labes, Neſtorianæ in primis, ſed & omnifariam hæreſeos veneno infecta, excluſus. Et ut erant tempora, Judæi plerique perditiſſimi viri præſto affuerunt. Sed inter eos præcipui Neben, Abdala, & Cabin referuntur, qui præreptum ſibi ejuſmodi hominem à Chriſtiano, licèt hæretico, indolebant.

Communi igitur conſilio Sergius, quæ de Veteri ac Novo Teſtamento perverſe didicerat, Judæi quæcumque in eorum apocryphis Libris portentuoſa figmenta reperiſſent, ipſe etiam Mahomet quædam de veteri Deorum ſuorum cultu, ſed maxime Veneris, cujus numen deſerendum ſibi numquam putavit, in medium proferentes, quæ Populos doceret tantus Propheta confingunt. Nec diſſenſit rapaciſſimi latronis & famoſiſſimi adulteri, taliumque præceptorum moribus impura & turbulenta traditio. In ſpiritu enim fornicationis & gaſtrimagiæ genus humanum ventri libidinique proſtituentes, quidquid inter Chriſtianos hæreticum, quidquid inter Judæos fabuloſum, quidquid denique inter idololatras ſpurcum erat, velut in ſolidam ſentinam, in Alchoram, quæ eſt eorum Lex, & collectio præceptorum interpretata, congeſſerunt; eamque per Angelum Gabrielem demiſſam ſibi Mahomet Prophetæ, inter Deum & homines mediatori, cujus etiam nomen ante orbis creationem in throno Dei conſcriptum eſſet, impudentiſſime mentitur. Genus verò ſuum in fronte Operis immenſa nugarum mole ab Adam auſpicatus ad Iſmaëlem Abrahæ & Agar filium, & ad ſe tamdem perducit. Quumque in ea Moyſem, David, & Jeſum Salvatorem noſtrum aliqua ex parte laudet, ex maxima tamen deprimit. Scriptorum enim ab Moyſe ſeriem corrumpendo, & Pſalmorum ſenſum prævertendo, de futuris tamen nihil prædicere auſus, Jeſum dicit neque Deum, neque Dei Filium eſſe, quum unum Deum tantummodo dicat abſque uxore, ſine qua filius creari non poſſit. Boletus in fimo natus, ſummum Dei myſterium blaſphemare non veretur. Eum nihilominus Prophetam maximum, Mariæ quidem Virginis ſine Patre filium, & Spiritu Sancto communitum affirmat. Sed minime à Judæis crucifixum, aut adhuc mortuum. Atque ita velut inter Arium & Antichriſtum medius, cum Sabellio Trinitatem abnegat, cum ſuo Neſtorio Jeſu Chriſti Deitatem abjicit, & cum Manichæo Chriſti mortem diffitetur. In ea præterea Lege inania multa, & ægri ſomniis ſimillima, velut diverſitas in præconio, exſequiarum celebritas, varietas in teſtimonio, ſolicita ad Meridianam plagam converſio. Et quæ de circumciſione nihil ad ſe pertinente, & de vetito porco, vinique uſu, quòd ſe ſuoſque ebrietate corripi ſæpius videret, ac lavatione corporum, quoties quis pollutus ſit, deque jejunio per diem, nocturnâ conceſsâ crapulâ, ſcripta ſunt.

Sed quis illud ferat, matrimonia ab eo, qui Prophetam ſe dici velit, non hominum ſed pecorum ritu in viliſſimis duci? Uxores unicuique legitimas quatuor; ſed ex ancillis quantas alere quiſque ſufficiat habere, & quum libuerit, quacumque ex cauſſa repudiare, veluti de bove aut aſino agatur, permittit. Repudiatas verò revocare ea item lege conceditur, ſi interim ab alio viro cognita ſit, ita demum expurgatâ repudii noxâ. Quibus in rebus ita gloriatus eſt, ut datos renibus ſuis quadraginta viros potentiſſimos in coitu, fortitudine libidinis adæquato, ſeque his, & rebus odoriferis delectari, ſcribere non erubuerit; uxoreſque ideo quindecim, pellicum verò ingentem numerum habuerit. Quumque adulteria in ceteris punienda ſtatuiſſet, ſibi tamen ea permiſſa ab Angelo, ut multos Prophetas generaret, prædicabat; volutabaturque in iis per omnem ſuorum etiam conſanguineorum injuriam intemperanter. De coëundi præterea modo, ut cuique in uxores & pellices ſuas libuiſſet, in lege ſua conceſſo, in id fœditatis prolapſus eſt, ut ab honeſto Scriptore depromi non poſſit. Gnarus autem inter quos homines verſaretur, & captandæ popularis auræ callidus artifex, Paradiſum legis ſuæ ſectatoribus pollicetur, non ut æternæ felicitatis cumulum ex Divinæ Majeſtatis aſpectu, qualem *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*, ſed qualem brutis adſcribi conveniat, carnium & delicatiſſimorum fructuum eſus, rivoſque perennes lactis & mellis & vini, tunc non amplius vetiti, pulcherrimarum item mulierum amplexus, quas etiam intactas dicat. Nam quis neget eam, quæ heri

tacta

tacta sit, hodie intactam esse? Et hujusmodi denique multa in se habentem, prorsus ut non hominibus quietis sedem, sed porcis voluptuosum stabulum effinxisse videatur. Inferni etiam loca iis, qui legi suæ non crediderint, pari ratione fumo, piceque, & ebullientibus cacabis replet: damnatis in eo potum ex felle, cibum verò ex amarissima arbore, quam Azachum appellat, ita suggerit, velut inter vetulas quasdam, aut atra bile captos, sermonem habere se credat. Ita demum in Lege ipsa, quam latam & spatiosam vocat, nec immeritò (ducit enim ad perditionem) pium & misericordem adstruit Deum, ut nulli non ignoscendum ab eo dicat, pro quo ipse intercesserit. Se verò pro omnibus Legis suæ cultoribus intercessurum spondet. Laxatisque per hunc modum habenis, quantam vis peccandi licentiam proditæ à se miserrimæ genti pessimus seductor indulget. Non oblitus est interea Veneris suæ religiosus antistes; eique soli ex omnibus Diis gentium solemne sacrum in Mecha Civitate sua constituit, nudis hominibus, quorum lumbi vix parvis linteolis contegantur, lapillos subter genitalia post se jacientibus. Eorum verò lapillorum acervum Saraceni Turcæque in præsentem usque diem, veluti grande mysterium celebrantes, summo cultu deosculantur.

Ceterum ne omnino insanire videretur homo fanaticus, monstruosæ Legis conditor, quædam etiam, quæ probari à sanis viris possent, intexuit: Jejunare per diem; orare aliquando, sed meridiem versùs; eleemosynas denique facere. Quasi verò hæc ipse primus instituerit, & non rectius eadem copiosiusque & à Prophetis, & à Salvatore nostro Deo Christo, per multa ante secula, humano generi tradita legerentur. Alchoranum præterea puro sermone Arabico conscriptum, sibi è cœlo demissum fuisse ita impudenter ementitus est, ut multis eum Persicis, barbarisque dictionibus emendicatis, nullâ Arabicæ Linguæ inopiâ, ut ejus periti tradunt, sed ingenii hebetudine contaminaverit; ut *Eleftebris* vestimentum purpureum, & *Tacert*, quæ sunt conchæ, & *Abetzie*, quod est urceus, & hujusmodi multa; nam quod signorum gratiâ caruerit pestifer latro, & humani generis nefarius exterminator, commemorare superfluum est, quum ipse in Lege sua negata sibi miracula fuisse affirmet. Nec abstinuit tamen, quin ex lupo Saracenum faceret, & non solùm bovem ad se loquentem, sed etiam appositum assæ ovis humerum veneno infectum, loquutum induxerit, ne se comederet; ipsoque abstinente alius, qui comedit, confestim extinctus est. Solus enim loquentis vocem audierat. Sed quum videret callidissimus vafer, prudentibus viris non posse se persuadere (agrestium enim & convenarum numerum jam ingentem seduxerat) hoc etiam Legi suæ inscripsit: non esse missum se nisi in virtute gladii; & qui ejus Prophetiam non susceperit, ut occidatur, jubet, aut tributum exsolvat, ejus incredulitatis pretium. His artibus instructus, validâque grassatorum manu circumseptus, quum obvios quosque prosterneret, in Persas tamdem conterminos Populos movit, gentem hactenus præpotentem, & finitimis imperiosam, sed tunc ob ingentes clades ab Heraclio Imperatore quinquagesimo octavo, recens acceptas, vehementer attritam ac debilitatam. Nam quum Cosdroas Persarum Rex potentissimus sub finem imperii Phocæ Augusti, & per initia pariter succedentis Heraclii, Mesopotamiam, Palæstinam, Ægyptumque, & ceteras per Orientem Romanas provincias occupasset, per id ipsum ferme tempus, quo Mahomet inter agrestes primum & rerum rudes venenato ore sibila emittere cœperat, tantum de se terroris præbuerat, ut nullo in loco ejus impetus sustineretur. Hierosolymam denique invadens, urbe direpta, in Christianos desævit, quorum nonaginta millia gladio trucidasse commemoratur; pollutisque sanctis omnibus Locis, Dominicæ Crucis partem illam, quam Helena in Calvario Monte collocaverat, in Persidem abstulit. In eam denique insolentiam, fortunæ suæ ad nutum obsequentis, minime capax, supergressus est, ut divinos sibi honores adscriberet, quæsitasque ab Heraclio pacis conditiones, Romano Imperatore non satis dignas respueret. Jam enim Romano Imperio imminebat. Ea necessitate coactus Heraclius, sexto imperii sui anno, quantas potuit, copias comparavit. Relictoque Constantino filio, quem Cæsarem, regnique consortem declaravit, in Civitate Costantinopolitana cum Sergio venerabili Patriarcha & Bonoso Patricio, ipse in tanta hominum trepidatione, religionis zelo innixus in hostem profectus est.

Conversa dehinc rerum imago est; succedentibus ei supra humanam propemodum fidem feliciſſime quantacumque persequi ausus est. Primùm enim Syriam ingressus, continentem se intra Azotum Cosdrohem terrore perculsum expulit. Fugientem in Persidem quum insequeretur, quacumque iter faciebat, omnia igne ferroque vastabat. Transgressus Taurum montem, opponentem se ad Sarum amnem, Sarbarum regiarum copiarum ducem, acerrimo prœlio superatum, profligavit. Majore deinde nisu occurrentem sibi Saim, justaque acie in multas horas decertantem, misso cœlitus in adversa hostium ora cum multa grandine procelloso imbre, prostravit, ipsumque Ducem cum exercitu suo cæcidit. Ad extremum collectis, quotquot supererant ex Perside, copiis Razatenes, invictus antea in bello dux, successit. Isque promto animo, continuatâ ab ortu Solis in vesperam atroci pugnâ, dimicans cum maxima exercitus parte cæsus est, relatis ad Heraclium ex eo prœlio Persarum militaribus signis viginti septem. Quumque jam Cosdrohe vires omnes cecidissent, trans Tigridem profugit, calamitati suæ infortunium cum scelere addens. Quum enim in ea fortuna Medarsem filium, Syrochi natu majori in adoptione regni prætulisset, indignatus Syrochis ad Heraclium defecit, traditoque illi Tigridis Ponte, in cujus præsidio erat, Heraclio ad transeundum iter patefecit. Cosdrohas verò ex fuga correptus cum Medarse filio & uxoribus in vincula a Syrochi regnum paternum invadente conjecti, paulo post ab eodem necati sunt. Captivi omnes de exercitu provinciisque Imperatoris liberati. Sed in primis Crux Dominica Heraclio restituta, Anno demum quartodecimo, postquam ex Civitate Sancta arrepta fuerat; quam is postea cum Zacharia Patriarcha, priusquam Constantinopolim ad triumphum rediret, solemnissimis ceremoniis ac religiosissimo habitu in eumdem locum restituit. Duxit autem Heraclius secum bello utilem Arabum manum non sane levem, quæ apud illum pacto stipendio militabat. Sed post tantam victoriam luxui, desidiæque, & magicis artibus se dedens

Heraclius, & in Monothelitarum hæresim incidens, imperii habenas negligentissime inposterum, &, ut par est, infelicissime pertractavit. Et ne quid ad turpitudinem deesset, thesauros in Lateranensi Palatio Romæ conditos per Isaacium Italiæ Exarchum suum, Severino Pontifice decepto, veluti Guillelmus Lateranensis Bibliothecarius tradit, diripi, & ad se maxima ex parte deferri jussit.

Successerat interea Syrochi, intra annum morienti, Adheser filius. Eoque item intra annum defuncto, Hormisda Rex suffectus est. Saracenorum verò multitudo, quæ Heraclio militaverat, insolenti responso Quæstorum ejus irritata, desertâ Imperatoris militiâ, Damascum invadens, Syriam, Phœnicemque depopulata est, fatalique humani exsidio generis, Mahometi ex eadem gente, in omne facinus prono, vehementique, & jam non leviter succedentibus initiis (qui frequens hominum mos est) elato inhæserunt; eumque deinceps ducem & exercitus & patriæ sunt sequuti. Brevi igitur adjuta armis, fallacibusque dolis, nefanda superstitione, formidabile jam in terris erat Mahometis nomen. Quamobrem afflictam recentibus cladibus Persidem invasurus, popularium suorum animos ingentibus promissis implet. *Pulcherrima*, inquit, *Persarum prædia, hortosque, & ditissimam supellectilem, illorum victoriæ præmia fore. Quod si qui inter certandum occubuissent, in deliciis Paradisi sui multo impensius gavisuros*. Qua spe adeo inflammati omnes feruntur, ut adversùs Hormisdam, magnis instructum copiis, ipsi numero inferiores, præsentibus animis, fortissime dimicaverint, eoque profligato & interfecto, Persarum Regno posthac nullo negotio potiti sunt: victisque nihil jam recusantibus, Mahometicam legem imposuerunt. Ipse interea Mahomet scelestissimæ vitæ finem faciens, Anno Imperii Heraclii sexto & vigesimo, salutiferi verò Partus Sexto supra Sexcentos & Triginta, ætatis autem suæ tertio & sexagesimo, quorum tres & viginti in novæ legis prædicatione consumserat, quum esset pleuritico morbo correptus, atque amens factus, die septima interiit; quamquam sunt qui dicant, eum Gardigenæ uxoris suæ dolis, quòd eâ procaciter abuteretur, veneno extinctum. Manifestam certe hominis damnationem monstruosa cadaveris ex ventre tumefactio prodidit. Et quoniam dicere solitus fuerat, se tertio, postquam obiisset, die in cœlum assumendum esse, exspectatum à suis est in duodecimum usque, donec cadaveris fœtore invalescente, ab iis, qui regno per scelus parto inhiabant, ne detectâ hominis fallaciâ, consternatio in Populos, & ex ea defectio sequeretur, sepultus in Mecha est apud Venerem suam, ut sint digna tam piis Manibus solatia. Quantum igitur ex Scriptorum varietate dignosci datur, succesSere ei in Oriente Calipha, in Ægypto verò Ebubert, hinc verò Ormen, inde Hali. His autem, infra biennium absumtis, successit tertio loco Homar, ingentis inter Arabas animi vir. Qui motis ex Perside, Arabiâque Saracenorum ingentibus copiis, in Syriam duxit. Quumque Antiochiâ, omnique illa regione subacta, Palæstinam peteret, missi sunt ab Heraclio confestim, qui Dominicam Crucem ex Hierosolymis Constantinopolim deferrent. Nec enim amplius opis in Imperatore ignavo, jamque sui oblito fuit. Nec morâ venientibus Saracenis & ipsa Civitas Sancta fœdissimum jugum tulit. Heraclius verò per eosdem dies lasciviæ supra ætatem deditus, quum adolescentulam uxoris suæ nuper defunctæ privignam conjugio sibi sociasset, paucos intra menses intercutis morbo periit, imperii sui anno primo & trigesimo. Suffectus ei Constantinus filius, de quo supra mentio habita est. Quarto posthac mense, Martinæ novercæ & Heracleonis fratris dolo, Pirrho etiam Patriarcha, tanti sceleris incentore, veneno extinguitur. Quod facinus postquam palam factum est, tantam in Senatu & Populo seditionem concitavit, ut Martina & Heracleon imperio pulsi, illa etiam linguâ exsectâ, hic naso mutilato, in exilium deportarentur. Pirrhus verò ex fuga retractus, occisus est. Imperium Constanti Constantini filio defertur.

At Saraceni hac etiam oblata occasione, laborantibus inter se per intestinas discordias Imperii successoribus, nulloque repugnante, Ægyptum universam, maximamque Africæ partem invadunt. Nec his contenti finibus, quum jam toto etiam mari dominarentur, Europæ manus inferunt. Ingenti igitur classe Alexandriâ solventes, primo Rhodum Insulam cursu petierunt. Eâ captâ Colossum famâ celeberrimum ad fauces portus, à quo primaria ejus Insulæ Civitas nomen habet, demoliti, metallum, quo constabat, DCCCC. ut traditum est, camelorum sarcinam abstulerunt: Rhodo vastatâ in Ægeum delati, Cicladas afflixerunt. In Siciliam inde adnavigantes, pleraque maritimas Urbes diripiunt. Mediterranea etiam loca invadentes, quædam incendunt. At nisi Olympius Italiæ Exarchus, contracta ex omni Tyrrheno litore classe, auxilium ferre maturasset, Sicilia extremas clades passura videbatur. Illi Insulâ pulsi, prædâ nihilominus onustam classem reducentes, Alexandriam redierunt. Nec multo post improvisâ in eam navigatione delati Syracusas, vetustissimam opulentissimamque invadentes Urbem, depopulati sunt. Et ingenti civium cæde facta, congestas ibi opes, & Romanæ Urbis ornamenta à Constante in eam deportata, classi imposuerunt, miraque celeritate reversi sunt. Inde Carthaginem adorti, depopulantur primum, mox diruunt. Per hunc modum terras, mariaque omnia vexantes, transeuntibus in victorum nomen Ægyptiis, Mauris, & nationibus reliquis, quas vel subditas, vel rapinarum socias haberent, duce Abdiramia filio Rhahaniæ, transmisso Gaditano freto, Beticam in primis occupantes, sui juris in præsens usque fecerunt. Universam deinde Hispaniam latrociniis, depopulationibus, incendiisque fœdarunt. Donec in Galliam populari quadam feritate cum innumerabilibus copiis transeuntes, & ab Eudone Aquitaniæ Duce auxilio contra Carolum Martellum vocati per tempora Gregorii II. Pontificis & Leonis I. in Græcia imperantis, ab eodem Carolo Regiæ Aulæ Præfecto, & Pipini, ex ea familia, depositæ Merovingicorum gente, primi Francorum Regis patre, contusi cæsique sunt, primum in Aquitania apud Pictavium Civitatem cum Rege suo Adrama, dehinc juxta Narbonam ad Birrham fluvium, incomparabili ad nostram usque memoriam internecione. Repressusque ex illo tempore Saracenorum furor non tantum Galliis omnibus cessit, sed etiam Hispaniis rejectus præter Beticam, nihil in Europa retinuit. Sub hoc ipsum tempus alia Saracenorum manus (tantæ enim gentis vires erant) transmisso Hellesponto, Thracias depopulata, Constantinopolim

polim continuo triennio obsedit. Sed peste obsidentes obsessosque juxta fatigante, abire tamdem compulsi sunt. Præ magnitudine postea Pippini Regis bene cum Romano Pontifice sentientis, & Caroli cognomento Magni ejus filii, quem post submotum ab Italis Imperium, primum Augustum Cæsarem inter Latinos Leo III. Pontifex creavit, Italis, Gallis, Germanisque omnibus, & quibusdam citerioris Hispaniæ Populis ejus imperium suscipientibus, tutæ ab omni Saracenorum vi hæ regiones fuerunt.

Quin etiam Carolus dispositâ altera classe ad superum Mare Adriacum, altera ad Tyrrhenum inferum, utraque Italiæ litora, & Narbonensis Galliæ maritimam oram communivit. Saracenis enim piraticam mari, & latrocinia terris exercentibus, nulla ferme regio ab eorum incursionibus immunis relinquebatur. Verùm Carolo humanis exemto, per Ludovici & Lotharii, qui successerunt, tempora, navigantes in Italiam Saraceni, magnas clades intulerunt, ipsamque Romam Gregorio IV. Pontifice, captis Centumcellis, & vastatâ Tusciâ, semel atque iterum invadentes, crudeliter diripuerunt, sacra & pretiosa Basilicarum ornamenta cum ingenti ceterarum omnifariam rerum præda secum in Africam auferentes. Quum tertio eamdem navigationem repeterent, excepti à Romanis apud Ostiam Urbem acri pugna repelluntur; deductique sunt in eam Urbem postea coloni ex Sardinia, Corsicaque, quam veteres Cyrnum dixerunt, quum esset habitatoribus suis propter hostiles clades exinanita. Nec multo post iidem hostes omni Sicilia expelluntur; quumque Apuliam etiam Berengario II. imperante occupassent, quinto post hæc anno a Johanne Pontifice X., Alberico Marchione, cujus ditioni ager Picenus parebat, auxilium ferente, apud Lirim amnem, quem vulgo Garilianum dicimus, gravi prælio victi, inde quoque depulsi sunt. Sub ipsos annos Genuam Italiæ prævalidam Civitatem ex improviso magna classe aggressi, hostiliter diripientes, & ingenti ditati præda, in Africam redierunt. Invalescente autem per hæc eadem tempora Turcorum gente, de qua paulo inferius dicemus, attritæ, debilitatæque sunt tum ab ipsis Turcis, tum à nostris, Saracenorum vires. Nam nec inter se moribus aut legibus conveniunt ii omnes, qui Mahometem Prophetam dicunt; sed inter eos Turcomani agrestes, vagique, incultam maxime vitam, quam in primis tenuerunt, servarunt. Biduini, ex quorum stirpe descendisse Mahomet creditur, diem mortis cuique constitutum dicunt, quem nec prævenire quis, nec differre possit: quamobrem vitæ suæ prodigi, camisiati in pugnam, pepliſque muliebriter capita involuti, soliſque armati ensibus, incedunt: ipsi segnes, mendaces, perfidique, & nullo probro vacui. Occultæ præterea legis cultores, omnium scelestissimi, nefanda arcana ne uxoribus umquam prodant, capitali inter se pœna arcentur; filiis etiam non nisi adultis, vel in extremo vitæ discrimine indicant. Assassini in ea Phœnicis regione, quam Tortosam vulgus appellat, seni suo velut Pontifici maximo ita obsequentes sunt, ut nullo discrimine, quæcumque jusserit, manifesto etiam vitæ periculo exsequantur. Hi armati sica in omnem hominum habitum, genuſque, Vertumni exemplo, se se transformantes, cædes occultas, incendiaque, & hujusmodi quævis, veluti solemne sacrum, quoties Senex eorum jusserit, peragunt. Talia sunt, quæ Mahometis cultores pro regionum varietate docentur. Africæ præterea Populi à ceteris semoti Mahometicis, solum Miramumelim suum, hoc est credentium Regem, qui in Mauris, Numidisque regnat, observant.

Quum ergo turpi servitio Hierosolyma tenerentur, & sanctissima, quæ in eis sunt, Loca ab impurissimis barbarorum profanarentur, transitum est in eos sæpius à nostris Imperatoribus, Regibusque, & sine ullo etiam Reg. Populis; magnisque conatibus terra marique bella eventu vario gesta sunt. Horum autem prima expeditio, veluti divinitus manifestissime initiata, felicissimos eventus habuit. Ceteræ omnes non minus detrimenti nostris quam hostibus intulerunt. Nam vel fame, vel Principum morte, sæpius discordiâ, dessolatæ sunt. Petrus infimæ sortis homo, in Albianensi eremo anachoriticam degens vitam, peregrinationem in ea sancta loca susceperat. Reversus profanationem Sanctæ Urbis, quam viderat, Urbano Pontifici II. refert. Inde in Gallias profectum Pontifex sequitur. Convocatoque in Claromonte Concilio, res mira dictu est, quanto fervore, quanta promtitudine, Principes, Populique innumeri ex omni occidua ora, se Cruce signantes, votum pro ea expeditione ineunda susceperint. Horum præcipui tamen memoriæ traditi sunt: Dux Normannorum; præterea Tholosanus, Sancti Ægidii, Flandrensium, Blesensium, & Carnotensium Comites, Ugo Philippi Regis Francorum frater, Gotofredus Buillionus & Lotharingiæ Comes, Boamundus Tarentinus, & Tancredus Siculus Principes. Profecti igitur eo Anno, qui fuit Sextus supra Nonaginta & Mille a Christi Salvatoris ortu, per Alamannos, Pœnas, Macedonesque, non absque multis incommodis Constantinopolim pervenerunt; ibique acceptis ab Alexio Comneno Græcis imperante itineris ducibus, transmisso Hellesponti sinu, quem vulgo Brachium Sancti Georgii dicimus, Nicæam primum magnis viribus adorti ad deditionem coactam Alexio Imperatori tradunt; inde Antiochiam, quam & Heblatam in Libris Regum appellatam invenio, novem mensibus in summa rerum omnium difficultate, inopiaque obsidentes, reseratâ tamdem per quosdam Christianos Cives Boamundo portâ, invadunt, Axianum Ducem barbarum, qui in præsidio Urbis erat, cum undecimmillibus militum ferro concidentes, paucis admodum captis. Nec mora, Adfuit Corobagat, Regis Persarum militiæ princeps, qui cum ingentibus copiis Axiano opem laturus veniebat, clausosque dura obsidione victores ad dimicandum cogit. Quum pugnarent nostri, pauci adversùs multos, defessi & recentes, victoriâ tamdem superne datâ, fusis profligatisque immensa clade hostibus, nostros vincentes ex spoliis hostium ditissimos reddidit. Antiochia virtutis pretium Boamundo data. Inde laboriosum iter ingressi per montana, Hierosolymorum muris succedunt, & quantis possunt viribus obsessam vallatamque Urbem sæpius aggressi, multis cadentibus, plurimis verò vulneratis, per oppositas muro scalas evadentes expugnant, qui fuit Annus tertius hujus expeditionis, sed ex quo per Homar ademta Heraclio fuerat, Quadringentesimus Sexagesimus. Recuperata Urbe Sancta plurimi, tamquam voti compotes facti, in patriam quisque suam redierunt. Fuere item qui rem feliciter cœptam prosequendam sibi ducerent.

Ex

Ex his Gotofredus, quum Rex Hierosolymorum dictus esset, aptari capiti suo regium insigne in ea Urbe, in qua Christus Coronam Spineam gestasset, non sustinuit. Sed perterritis hostibus instans, Joppem primùm maritimam Urbem, obsidione vallatam, expugnavit. Fuitque ejus Urbis postea portus perquam utilis ex Europa ad eum navigio confluentibus. Ramulam deinde in campestribus sitam, populosam Urbem, Caliphamque in litore maris sub Carmelo monte, & Tiberiadem in Galilæa supra stagnum Genesaret, magna virtute ditioni suæ subjecit. Alexandrum oppidum contra Tyrios, quos aliquamdiu oppugnaverat, quo facilius ad deditionem cogeret, ædificavit, finem glorioſissimis laboribus suis sola morte constituens. Sub ipsius namque Anni finem, quo Civitatem Sanctam de nefariis barbarorum manibus liberavit, supremum clausit diem, princeps summa laude, immortalique gloria dignissimus. Suffectus verò ei est in Regem, magno omnium favore inunctus, Balduinus, ejus ut sanguinis communione, ita & virtute, frater, Edessæ in Mesopotamia Comes, quam sibi subegerat. Is ergo rebus gerendis perstrenue intentus, & auxiliari Genuensium classe triremium LXX. fretus, quæ sub initium veris in Joppensem portum advenerat, Assur primo, Antipatrida postea dictam, dehinc Cæsaream Palæstinæ (est enim ejus regionis Metropolis, quæ prius Turris Stratonis appellabatur) pactione cepit; Ptolomaidemque, cui & Acon nomen est, maritimam Urbem prævalidam, terrâ marique adortus subegit. Berytum subinde, quæ & Biblum, vi magna expugnatum, cæsis captisque oppidanis, diripit, dono postea Genuensibus auxiliaribus datam. Sidonem inclytam in Phœnice Urbem ad deditionem compulit. Dedentes alias se se Urbes, oppidaque innumera recepit. In quibus peragendis ferentes auxilium suis Saracenos, Ægyptiosque magnis prœliis sæpius parva manu glorioſissime fudit. Tutelæ præterea Regni consulens, Montem Regalem in sublimi colle adversùs Arabas instar arcis condidit. Atque ita præter regiam ditionem suam Hierosolymitanam tres Principatus Proceribus suis distribuit, Edessanum, Antiochenum, & Tripolitanum; mortuus denique decimo octavo regni sui Anno, & sub Calvarie Monte in loco passionis Golgota solemni funere sepultus. Successit illi tertio loco Balduinus II. ex Burgo ejus consanguineus per annos XIII. magnis & ipse victoriis clarus. Nam & Gazim Turcarum Principem cum ingentibus copiis secundo regni sui Anno profligavit: deinde Damascenorum Regem magno prœlio fudit. Ascalonitas postmodum & auxiliares Ægyptios stravit. Noviſsime Deldequinum Damasci Regem contrivit. Quibus in prœliis vix credibile est, quanta hostium cædes quamparvo nostrorum & numero & detrimento edita sit. Deficiente verò in Hierosolymis Populo, ex transjordana regione multos fideles ad inhabitandam Urbem ascivit. Invenio hunc à Saracenis captum fuisse; ejusque captivitatis tempore Patriarcham Hierosolymitanum terrestri coacto exercitu, missâque in auxilium à Venetis classe triremium XL. Tyrum Urbem diu obsessam, oppugnatamque, tamdem pactione cepisse. Sed Tyro capta, quod quidem constat, eoque Balduino vitâ functo, successit ei gener ipsius Fulco annis XI. qui adversùs ingentem Turcarum multitudinem, quæ de Sinu Persico ebullierat, feliciter congressus, insigem triumphum retulit. Eo regnante Conradus Imperator, junctis cum Ludovico Francorum Rege permagnis copiis, hortatu maxime Bernardi Clarevallensis Abbatis, viri sanctitate venerandi, qui pro Innocentio Papa III. legationem gerebat, in Syriam tamdem, magnos emensi labores, pervenere. Quumque Damascum obsidione cinxissent, suspectâ Syrorum fraude irritati, re infecta in patriam redierunt. At Fulco novo demum casu, dum leporem præcipiti cursu insequitur, corruente equo, extinctus est.

Ex duobus autem, quos reliquerat, liberis Balduinus III. major illi per annos XXIV. successit, qui venientes cum magnis copiis Turcorum Satrapas in Hierosolymitanis confinibus fregit. Norandinum præterea Damascenum Regem prœlio fudit. Ei sine liberis morienti suffectus est Almaricus frater. Hic Dargem Ægyptiorum militiæ principem magna strage superatum fudit. Cum Damasceno Principe magna secum Turcorum, Arabumque manum trahente congressus superior evasit. Duodecimo denique Regni sui anno obiit, relicto Balduino filio ejus nominis IV. successore, qui divino judicio leprâ percussus, strenue nihilominus regnum administravit. Hic tertio regni sui anno cum CCCLXX. equitibus, ut ex Historiis traditum est, Saladinum Otomanum Turcum, Ægyptium Caliphum, primò in Astcalonæ finibus equitum sex & viginti millia habentem, magna hostilis exercitus parte cæsa, profudit, quum ex Balduini exercitu non amplius quinque occubuisse ferantur. Nec multo post eumdem reparato exercitu, viginti equitum millia habentem, ipse cum DCC. equitibus, minimo suorum detrimento, circa Tiberiadem congressus superavit. Fuere etenim hi omnes macti virtute Reges, & qui licèt in armis exercitatiſsimi essent (parto enim in mediis barbararum nationum finibus linguâ, cultu, & religione dissentientium, Regno, undique petebantur) divini tamen præsidii spe quàm armis instructiores, tantos de innumeris hostibus triumphos retulere, pauca admodum frustra ausi. Nam & Damascum & Cæsaream magnam, adjuvante etiam Johanne Græcorum Imperatore, Charium præterea, Alexandriam, & Damiatam, variis temporibus obsederunt. Unde demum vel acceptâ pecuniâ, vel pacto annuo de obsessis tributo discesserunt. Regni illius certe fines à Pelusio, quæ & Bilbeis dicta est, usque ad Edessam & Carrhas trans Eufratem Mesopotamiæ Urbes, & ad Libanum montem in Mediterraneis propagaverunt. Maritimas verò Urbes omnes, Oppidaque à Phoramia Ægypti Civitate usque ad Laodiciam Syriæ sibi subegerunt. Fuitque adeo nomen illorum continentiæ, justitiæ, & fortitudinis gloriâ celebre, ut ex omni occidua ora summo Populorum studio confertiſsimæ opes Hierosolymam, veluti in sacratiſsimum ærarium, ad eos mitterentur. Tunc igitur Hospitalariorum Sancti Johannis, & Fratrum Militiæ Templi Sepulcri sacratiſsimi Religiones ibidem floruerunt. Et utriusque Ordinis munus complexi Hospitalarii Sanctæ Mariæ Theotonicorum, velut æmulatione quadam virtutis, successerunt. Sed quum aliàs sæpius, tum verò maximè experimento compertum est, divitias magis quàm paupertatem virtuti obesse. Qui enim prius promto, invictoque, sed maxime religioso animo in hostes ferebantur, ubi divitiis undique congestis af-

fluere

fluere cœperunt, corruptis moribus, exemplo quidem ab iis, qui Religioni dediti erant, manante, luxu, inertiâque marcentes, delicati, imbellesque effecti sunt. Ita ut qui primo pauci plurimos profligabant, degenerante successione novissima, multi paucos non sustinerent. Balduinus igitur propter lepram uxore & liberis carens, quum supremum diem sibi instare sentiret, Balduinum parvulum ex Sibilia sorore natu majore, & Guilielmo Longaspata Marchione Montisferrati, qui recèns obierat, natum, Regni successorem sub tutela Tripolitani Comitis instituit. Quumque Isabellam sororem juniorem Guifredo Turonensi matrimonio sociasset, Sibiliam viduam Guidoni Lesmo uxorem dedit. Ipse paulo post sexto denique Regni sui anno moritur. Sed ipsius mortem Rex puer intra paucos dies comitatus est. Et procurante Sibilia Regnum ad Guidonem virum suum defertur. Qua ex re perniciosissimæ inter eum & Tripolitanum Comitem contentiones suboriuntur. Regno igitur per eas turbationes intra se diviso, Comes, qui Regi impar esset, per deformes inducias cum Saladino seorsum fœdus iniit, quæ res postea serò emendata supremum nostris exitium attulit.

Sed jam res, tempusque admonent, quæ accepimus, de Turcorum genere, initia aperire. Quum premerentur à Saracenis Persæ, regnante Hormisda, de quo diximus, bello sæpius superati, suisque diffisi viribus, conductos stipendio Turcos sibi jungunt. Ea gens per id temporis intra immania Caucasi claustra incolebat, Scythis obnoxia, à quibus aliquot ante annos in ea loca compulsi fuerant, eisque tributa pendere, & servilem in modum dicto parere cogebantur. Huic enim rei & ipsa gentis appellatio fidem facit. Id enim apud eos *Turcum*, quod apud nos *Vassallum* significare affirmant ejus Linguæ periti. Hac igitur primum mercede allecti, relicto sterili patrio atque horrenti solo, in agrum feliciorem sedes commutant. Itaque quamvis Persis juncti, graves Saracenis hostes se se opposuissent, superiori tamen loco res fuere Saracenorum. Jamque devictâ Perside, & Hormisda Rege cæso, Turcis auxiliaribus, imminebant. At illi Sabocho sibi Rege imposito, cum Calipha Mahometis successore pactionem agunt, suscepturos se Mahometicam religionem, si in suis sedibus permanere amico fœdere permittantur; barbarico ingenio in minimis ducentes qualicumque vera an falsa religione uterentur. Icto fœdere pauci temporis concordia stetit. Quiescentibus enim posthac per ea loca Saracenis, qui in Africam, Europamque impetus suos transtulerant, illi improvisos adorti, belloque prævalentes, non tantum Perside, sed etiam Asiâ Saracenos ejiciunt. Et ut sunt temporum mutationes, cœpere Turcorum vires per Orientem formidabiles esse. Nec defuit in succedentibus Regibus par animi magnitudo & felicitas. Per Viro-gussam enim, qui sequutus est, Turcorum crevere opes, ac deinde per Archotum, qui Mendi Sultanus est appellatus. Ita ut Mesopotamiæ campos, Seleuciam, Laodiciamque occuparint, & crescente Turcorum imperio, Saracenorum nomen intra angustos, unde primum prodierant, patrios fines delituerit. Quumque jam Dardanis, Phrygibusque, & reliquis Asiæ imperitarent, datum errori quorumdam locum existimo, qui dum se limatius aliquid invenisse existimant, rudes admodum ineptique, Teucros eam gentem, quasi eâ patriâ ortam, quam vi oppressere, appellant. Enim vero progressi intra Europæ fines Turci, Belzeno eorum Rege, Henrico verò II. apud nostros imperante, & transmisso Bosphoro, Græciam cum ingenti armatorum numero ingressi, obsistentes superant, pleraque Urbes expugnant. Et capto demum Græcorum Imperatore, eodem pro inutili utuntur mancipio. Sed illustravit eam gentem maxime, qui parvo insequutus est intervallo, hic, de quo sermo est, Saladinus Otomanus, claro inter Turcos genere, qui interfecto Calipha Ægyptio Domino suo, Turcorum Amiras factus, magnisque inter suos successibus elatus, assidua adversùs nostros bella gessit, nactus subinde per opportunam occasionem, qua dissidentibus invicem Guidone Franco, novissimo Hierosolymitano Rege, & Tripolitano Comite, inter ejus Regni proceres primarios Templarios primum Milites ex insidiis aggressus cecidit. Deinde quamvis Rex, Comesque postmodum in gratiam rediissent, ipse coacto nihilominus ex Ægypto, Arabia, Damasco, Alapia, & Mesopotamia, ingenti agmine, in quo præter pedestres copias, quinquaginta equitum millia fuisse memorantur, Tiberiadem Civitatem nostram obsidione vallat.

Guidone autem, tertio postquam Regnum invaserat anno, cum Tripolitano Comite exercitu quanto tum maxime poterant congregato, quantum nullus superiorum Regum habuisset (equitum enim loricatorum mille & ducenti, peditum vero viginti millia in eo fuisse memorantur) auxilium ferentibus, Sextili mense congressus in eos Saladinus, æstu, sitique confectos à lateribus primum deterrebat, dehinc à fronte invadens, atroci commisso prœlio, cum maxima Christianorum strage prostravit; eodemque victoriæ impetu Hierosolymam sui juris fecit, anno demum octogesimo octavo, postquam à Gotofredo libertati fuerat restituta. Supervenientibus postea ex Italia, Gallia, & Germania, Friderico I. Imperatore, cognomento Barbarubea, cum magnis copiis, & post eum Philippo Francorum, & Ricardo Anglorum Regibus, junctis copiis transfretantibus (moverat enim Clementem Pontificem, & universos Christiani nominis Principes ingens dolor, ob acceptam tam insignem cladem, & profanata ab impurissimis hominibus sanctissima loca) Saladinus hos omnes bello excipiens, vario in eos eventu dimicavit. Sed Fridericus apertâ sibi per medios barbaros ferro viâ, & magno de se terrore injecto, quum jam Syriam, Armeniamque teneret, superatis ad Yconium hostibus, quum ea quę ad eam expeditionem opportuna videbantur, parat, in ignobili fluvio ex inundatione tumenti, clausis vitæ meatibus suffocatur: quod fuit Anno ab Incarnatione Dominica MCLXXXIX. Dissidentibus postea invicem Francis, Anglisque, quamvis prima prospere cessissent, expugnatâ Acone, captâque Ascalone, ab hostibus desertâ, Philippus in Gallias redit. Ricardus post eum nihilominus immoratus, belloque strenue gerendo intentus, ubi omnia duriora videt, insequenti anno & ipse revertitur. Fuit ex eo apud Turcos tam celebre Saladini nomen, ut non alium deinceps, quam ex Otomanorum Familia in hanc usque diem Amiram patiantur. Et quamvis postea ex Cæsaribus, Regibus, ac Principibus nostris plerique recenti adhuc re, quin & inveterata, magnas gravesque terra & mari

mari expeditiones ad recuperanda ea noſtri Salvatoris incunabula, Sepulcrumque, veneranda nobis loca, ſubierint; divinâ tamen ita permittente diſpenſatione, vel in ipſo conatu defecerunt, vel irrito eventu redierunt. Occulta ſunt enim omnipotentis Dei judicia, & ab humanis ſenſibus longe ſemota, dum vel noſtram in aſperis rebus exercet conſtantiam, vel noſtris jure merito reatibus indignatur, & quæſitæ per ambitionem gloriæ expertes facit.

Nutante poſtea & civilibus contentionibus in ſe ruente Conſtantinopolitano Imperio, Alexius Comnenus noviſſimus ex ea familia Imperator, à Gallis, Venetiſque Conſtantinopoli captâ, patrio reſtitutus imperio, ignaviâ ſuâ juſtam propemodum Turcis latrocinandi in Græcia, oppidaque invadendi cauſam præbuit. Conductâ enim per eas temporum conditiones Turcorum militari manu non contemnenda, iiſque pacto ſtipendio fraudatis, pro auxiliaribus infeſtiſſimos ſibi hoſtes fieri coëgit. Sed exceſſit omnem præteritarum calamitatum cumulum Theodori Cantacuzeni nequitia. Poſtquam enim Michaël Palaeologus, Januenſium fretus auxilio Græcorum Imperator factus eſt, pulſis Conſtantinopoli Gallis, Venetiſque, qui id Imperium per annos novem & quinquaginta adminiſtraverant, jamque Orientalis Imperii jus in ſolos Palaeologos deveniſſet, is Theodorus, inquam, à Johanne Palaeologo adoleſcente genero ſuo, quem & ſocer & tutor datus hereditario imperio fraudaſſet, ab ea, quam impie uſurpaverat, tyrannide ejectus, Turcos in ſubſidium ſui, quam magnis poteſt, pollicitationibus accerſit. Illi verò paucos ante annos ab auxiliari claſſe, magniſque copiis Johannis XXI. Pontificis, & Philippi Francorum Regis, qui laborantibus Græcis opem tulerat (nuper enim in Lugdunenſi Synodo cum Eccleſia Romana convenerant) ſuperati, repreſſique, bello Græciæ abſtinebant. Sed oblatis invitati conditionibus, Græcorumque diſſenſione animoſiores facti, populariter Græciæ incumbunt. Dumque ſe deliranti Theodoro auxilium ferre ſimulant, fallaciſſimi latrones Gallipolim & Cherſoneſum primo, deinde totam pæne Thraciam occupant, Myſos, Macedones, Theſſalos omnes, Beotios, Acharnanas, Ætolos, univerſamque Græciam quaſi uno belli turbine involvunt, ſuæque ditionis faciunt. Ad Epirotas, Illyrioſque, & Dalmatas penetrantes, Peloponneſi præterea Deſpotum, & in Ægeo mari poſitas pleraſque Inſulas, tributa in ſingulos annos ſibi pendere cogunt. Quumque jam per Thraciam præter Conſtantinopolim, antea Byzantium, Galatamque, quam moderni Peram appellaverunt, & ſub ditione Genuenſium erat, nihil non in partibus Turcorum eſſet, ad ipſam Conſtantinopolim Orientalis Imperii florentiſſimum quondam columen, & ab ipſo conditore, veluti, quæ ventura eſſent, præſagiente, terrâ marique munitiſſimam, caſtra admovere non dubitarunt.

Pervenerat ad Baiſetum, Turcorum Amiram factum, quæ dignitas eſt apud eos pro Imperatoria, tantæ rei ſumma, non ipſis Græcis ſolùm, ſed & Occiduis omnibus formidoloſa. Qui, ut erat ſuperbo ingenio vir, contracto quadraginta millium equitum exercitu, atque omnifariam bellico apparatu, Conſtantini Urbem obſidere aggreſſus eſt. Imperabat tunc Græcis Johannes Palaeologus, qui tantis hoſtium copiis perterritus, quamvis prævalidæ eſſent Urbis munitiones, auxilium à vicinis Hungaris, & reliquis Principibus ac Populis Chriſti fidelibus in tanto rerum diſcrimine implorabat. Succeſſerat verò per id temporis Carolo Hungarorum Regi, inter potandum cæſo, Sigiſmundus ingentis animi juvenis, Caroli Lucemburgenſis Imperatoris filius, qui dignam quidem exſpectatione ſua per ea Regni ſui initia, ſed infauſtis auſpiciis, rem aggreditur. Bellicos enim apparatus antea à Lodovico, dehinc Carolo Hungariæ Regibus recens extinctis, magnâ curâ conflatos, quantis poterat, viribus auget. Jungunt ſe illi præterea ex omni Germania, Galliaque Belgica & Comata, confluentes copiæ. Sed inter eos præcipui fuere Johannes Burgundiæ Ducis Philippi filius, & Umbertus Sabaudienſis frater Comitis. Atque ita ingenti coacto exercitu, Byſantiis opem laturus, per Pæonum & Macedonum fines in Turcos fertur, non longe ab Iſtro flumine caſtrametatus, in quod Venetorum claſſis præſidii cauſsâ nuper advenerat. Eſt autem is fluvius binomius. Nam quamdiu per Germanorum, Pæonumque fines labitur longiſſimo tractu, *Danubii* nomen ſervat: inde vero ubi in arctiſſimas fauces coarctatus, ex abrupta rupe in præceps fertur (quem locum *Portas Ferreas* incolæ dicunt) in Euxinum uſque Pontum magna undarum mole deſcendens, *Iſter* appellatur. Baiſetus ergo, ubi adventare tantas copias ſenſit, relictâ Conſtantinopoli, Septemtrionem versùs ſigna convertit, & contractis ad Iſtrum copiis, obvium habuit Sigiſmundum Regem, magnis tum ſuis tum auxiliaribus ſuffultum viribus. Sed in exercitu noſtro, moribus & linguis diſſono, raptimque contracto, unius dicto male audiebatur. Itaque quum inſtructa acie Turcus inſtaret, ferunt, Gallos primas ejus pugnæ partes invito Sigiſmundo popoſciſſe, qui Hunnos potius gentem bellicoſiſſimam, ipſamque à Scythia & à Riphæis rupibus per mille ante hac annos, veluti Divus Hieronymus meminit, pulſis Pæonibus, in ea, quæ nunc tenent, loca profectam, & cum Turcis bellare conſuetam, primo concurſu opponendos cenſuerat. Galli, ut ſunt primo impetu feroces, pugnam perſtrenue ineunt, magnamque in Turcos ſtragem edunt. Mox languente cum viribus animorum ardore, numero etiam longe impares, circumveniuntur, & ad unum omnes vel cæduntur, vel capiuntur. Nec ſuſtinuere qui cum Sigiſmundo eràne cæſis Gallis irrumpentes in ſe Turcos; ſed effuſiſſimâ fugâ præcipites, qua quemque ſors tulit, profugiunt. Erat autem miſerabilis eorum facies; qui dum vel tranare Iſtrum quærunt, vel repertis in ripa navigiis, in ea ſcandere catervatim contendunt, à flumine abſorbebantur. Ipſe Sigiſmundus lembum primo nactus, pluribuſque in eum quàm pro navigii capacitate inſilientibus, vitæ periculum adiit; ex eoque in triremem Venetam conſcendit, atque inde Conſtantinopolim perlatus, non multos poſt dies in Germaniam eſt regreſſus. Burgundiæ verò, & Sabaudiæ Princeps ab hoſtibus capti, per ſumma ludibria apud barbaros immanes hoſtes habentur: ad extremum gravi perſoluto ære redimere ſe ſe coacti ſunt. Sed attritis Hunnis, perculſi ea clade plerique Populi ad Turcos deſcivere.

Baiſetus vero ex victoria inſolentior factus, mox Conſtantinopolitanam obſidionem repetit. At Johannes, ubi tam infeliciter Occidentalium auxiliares copias proſtratas videt, ad

Orien-

Digitized by Google

Orientalium opes se convertit, opemque à Tomorbei Messageta, quem vulgus confuso proprio & dignitatis nomine *Tamberlanum* appellavit, exposcit. Divini, ut existimo, Numinis dispensatione factum, quod ex inimicis suis inimicos vindicare sæpius consuevit. Fuerat autem is ex parvis initiis inæstimabili potentia Tartarorum Imperator factus, quos Populos Occidentalis modo Scythia accolas, per Friderici II. tempora cum uxoribus & liberis ab Indiæ montibus egressos comperio. Quumque circumvicinas primum depopularentur provincias, tum deinde Parthos, Medos, Assyrios, Persasque rapinis ac cædibus vexantes, & in Sarmatas irrumpentes, tandem pulsis vetustioribus Scythis, juxta Mæotidem Paludem, vagas ex magna parte sedes locavere. Eamque gentem pro vario Imperatorum suorum ingenio, modò auxiliarem in Turcos, modò hostilem experti sæpius sumus. Hic igitur auctâ per incredibiles rerum successus potentiâ, conflatoque exercitu, qui Darii, Xersisque vix antea creditas copias vel æquaret, vel superaret (nam duodecies centena hominum millia in castris habuisse narratur) quum jam Armenos prostrasset, subvertisset Persas, attrivisset Ægyptios, Damascum expilatum primò, dehinc expugnatum pæne delevisset, Syriam etiam, Palæstinamque omnem diripuerat. Suscepta verò Johannis Imperatoris legatione, ad Baisetum mittit, qui moneant, ut ab amicæ Urbis, suæque fidei deditæ obsidione discedat. Responsum est à Baiseto superbe ac contumeliose. Qua indignatione succensus vehementius Thomor, nihil immoratus, cum omnibus copiis castra movit, miraque celeritate tam grave agmen ex Scythia in Thraciam transfert. Baisetus de ejus adventu certior factus, solutâ denuo obsidione obvius procedit. Sed ubi propior fieri Thomor cœpit, nocturno itinere quadrifariam partitis copiis summo cum silentio (tanta fuit in ejus castris disciplina militaris) Baiseti exercitum in medio clausit. Quum illuxisset dies, fuga ab auxiliaribus Baiseti fieri cœpta. Nulloque negotio, profligato nova periculi facie universo Turcorum exercitu, captus & ipse est Baisetus Imperator, præsentis Mahometis proavus, quem Thomor per summam contumeliam catenis vinctum ad currum, quo vehebatur triumphantis more post aliquos menses traxit. Turcorum post hæc subjecti populi urbesque rapinis, incendiis, cædibusque longe ac late tanto debacchante hostili exercitu attriti afflictique sunt.

Jam verò Thomorbei terror universum fere orbem invaserat. Sed ne in Christianos ferretur, nulli jam genti tolerabilis hostis, sublatus è medio est intrà biennium in ipso tantarum rerum secundissimo cursu, veluti divinæ indignationi factum ab eo satis esset, qui fuit annus secundus à salutifero Partu supra Mille & Quadringentos. Facile tum Græcis fuerat in perturbatos debilitatosque per id temporis Turcos impetum facere, & amissas Urbes, oppidaque magnâ ex parte recuperare. Ast illi prænimias Thomor auxiliares vires, magisque hostem veterem formidantes, postquam Turcorum copias fusas viderunt, mutata mente, auxilio illis esse cœpere. Discedente igitur ex Thraciis Thomor, nec multo post, ut præmisimus, moriente, Turci supremo metu liberati, resumtis animis sub imperio Sultani cognomento Cyricis Baiseti filii, qui bello victo, & postmodum necato Mose fratre, capto patri in Regnum successerat; eoque mortuo Amorato Amita facto, Græciam denuo invadunt. Urbes, oppidaque non pauca vel vi vel dolis occupant, interque eas Thessalonicam munitam Urbem, & antiquitate insignem, quæ Venetis parebat, dum illi Mediolanensi bello implicarentur, expugnant. Nec multo post Amoratus, veluti majorum injurias ulciscereturr, Constantini & ipse Urbem, quanto potuit, conatu oppugnare adoritur. Sed interea Johanni vita functo successerat Manuel filius, qui crescentes Turcorum opes sibi suisque exitio imminere, futuramque obsidionem prævidens, in Italiam paulo ante navigaverat. Mediolanum veniens, & deinceps in Gallias transiens, opemque à singulis Principibus depoposcerat, & à Mediolanensi quidem Duce, priusquam ulterius progrederetur, Johanne Galeaz omnium liberalissimo, quantum pecuniæ ipse sibi satis esse diceret, ad eam omnem belli molem perferendam consequutus est. Castris igitur ad Urbem propius, motis machinis ingentibus æneis (Bombardas præsens ætas appellat) murum quatere, & defossis cuniculis per subterraneos specus in Urbem penetrare tentaverat, & præ nimia sagittarum vi non solùm murus, sed aër atque interiora Urbis replebantur. Sed vincebantur ejus operâ mirabili muri crassitudine pedum octo & decem, & fossæ profunda crepidine, quæ exteriorem murum ambit, undique laterculo & calce magno studio communitæ. Atque ita conatu irrito soluta obsidione discessit. Nec parùm ex eo confirmati fuere animis Græci, non quod longiùs Turcos insequi in animo esset, sed quod inexpugnabilem se Urbem incolere existimabant. Assiduo interea nihilominus bello Amoratus Græcas Urbes omnes, oppidaque vexabat. Quamobrem dum Latini nominis Pontifices, Regesque ad ferendam contra sævientes Turcas opem, flebili questu Johannes inter fratres natu major, qui Manueli in Imperio successerat, Græcique obnixius rogant, jamque non levi impedimento sibi esse intelligerent, quod ab Ecclesia Romana divisi, quodque de Religione nostra in quibusdam minus recte sentire dicerentur, indicitur à Martino V. summo Pontifice, annuentibus Græcis, Basileæ Synodus, in qua de unione Latinæ Græcæque Ecclesiæ, & plerisque aliis maxime ad nostram Religionem, morumque reformationem pertinentibus ageretur. Sic enim favòrabilius excitari posse existimabantur Occidentalis oræ Principes, ut Græcis auxilio essent. Sed Martinus, vix dum coëunte Synodo, diem obiit.

At Eugenius IV. qui in Pontificatu successit, res novas & in Romano solo & per Italiam protervius, quam novo Pontifici expediebat, molitus, ipsam Synodum diris exsecrationibus infectatus est. Cupienti enim omnia ad arbitrium suum revocare, molestissima erat illa Patrum auctoritas jam tum Basileæ congregatorum. Floruit enim initio magnâ Cardinalium & Episcoporum & Legatorum Principum frequentiâ, quin & ipsâ Sigismundi Cæsaris præsentiâ Basileensis Synodus; velut antea Constantiensis, ad quos ab injuria erroreve Pontificis provocatio cuique pateret. Crescente igitur in dies magis ac magis inter Synodum Pontificemque simultate, mittuntur bifariam triremes ad Orientales excipiendos, inde ex Massilienssi portu ab Avenionensibus, quæ Civitas profuturo ad veniendos Græcos Concilio

dicta erat à Synodalibus, hinc verò ex Venetiis à Pontifice. Quæ tamdem Venetorum operâ favoribuſque adjutæ, quorum auctoritas magna per id temporis in Græcia erat, quum prævaluiſſent, Johannem ipſum Imperatorem, & Joſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum, Armenoſque, & Indos eiſdem junctos, Ferrariam advexerunt. Ubi in aliquot menſes celebratum Concilium, Florentiam poſtea translatum eſt. Synodales triremes Græcâ fide exceptæ vacuæ redierunt. Fuerit operæ pretium cupientibus tantarum rerum indaginem ad vivum introſpicere, editos accuratius Dialogos ab Æneа Sylvio (id enim ante Pontificatum nomen fuit Pio Papæ præſenti) perlegere: in quibus inde Nicolaus Cuſa Pontifici favens, hinc Stephanus Cacia Synodales amplexus partes, viri primarii, & ingenio ac doctrina præſtantes, magnis inter ſe adverſi rationibus & argumentis decertantes inducuntur. In iis quæ ad rerum, quæ tunc gerebantur, ſeriem pertinerent, quæque ad Synodalem & Pontificalem dignitatem, & unde jus, unde injuria ſtarent, & diſputata ſubtiliter & explicata feliciter, & majorum exemplis confirmata, copioſe inveniuntur. Magno tum primùm in pretio haberi cœpit Æneæ virtus, qui non minus animi conſtantiâ quàm eloquentiâ ceteris præſtare exiſtimaretur. Nam quum multi doctiſſimi Viri eò conveniſſent, ſolus tamen illius Synodi majeſtatem & res geſtas ſcriptis ſuis illuſtravit. Quorum gratiâ quum ſe Eugenio inviſum ſciret, poſt Concilii tamen diſſolutionem ad Pontificem veniens, & luculentiſſimo, qui nunc à multis legitur, uſus Apologetico (vis tanta virtutis eſt) non vulgaris gratiæ, dignitatiſque locum, obliteratâ præteritorum memoriâ, apud eum ceteroſque Patres invenit. At Græci, ceterique ab Oriente profecti, ſeu rationibus perſuaſi tamdem, ſeu ſe perſuaſos ſimulantes, poſt longas variaſque diſceptationes, in idem, quod Romana ſentit Eccleſia de proceſſione, conſubſtantialitateque Spiritus Sancti, deque confeſſione Corporis Chriſti ſive ex Azymo ſive ex pane Fermentato, juxta cujuſque gentis ritum, deque ſuffragio eleemoſynarum erga defunctorum animas, deque receptione in Cœlum eorum, qui numquam peccaverunt, vel admiſſo peccato purgati poſtea fuerunt, & in Infernum damnatione eorum, qui in peccato mortali, vel originali damnati ſint, & de Primatu denique Romanæ Eccleſiæ ſupra ceteras omnes, conſenſerunt. Idque mandatum tabulis utrinque ſubſcriptis. Itaque celebrata concordi per univerſum Orbem Deum Chriſtum colentis Eccleſiæ unione, & jurejurando firmata Græci revertuntur.

At verò Eugenius Pontifex in Turcos incumbens, ut & Græcis auxilio eſſet, & laceratam jam per multos annos aſſiduis bellis Hungariam, circumque vicinas regiones, ab eorumdem vexatione liberaret (nam eo uſque proceſſerant, ut & Raguſium Urbem Dalmatiæ primam ſibi tributariam per id temporis fecerint, jamque Jadræ imminerent) Julianum Cæſarinum Romanum Civem, integerrimum virum, & multis animi bonis paucis comparandum, qui Baſileenſi Concilio præfuerat, Diaconum Cardinalem, Legatum in eam expeditionem mittit. Is auctoritate ſua & ſanctitatis

(a) In margine adnotatur. *Fuit Navis de Familia Salvagiorum.*

(b) In margine Codicis adnotatum eſt: *Mentiris.*

A opinione, qua per univerſam Germaniam celebris admodum erat, compoſitis Hungariæ rebus (namque in novi Regis electione Proceres inteſtina diſſenſione irritati civile bellum gerebant) Uladislaum Polonorum, quos Sarmatas ab antiquis appellatos invenio, Regem præpotentem, animi immenſi juvenem, quique recens Hungariæ Regnum, defuncto Alberto, exclusâque Eliſabet Sigiſmundi filiâ ejus uxore prægnante (quamvis Ladislaum per eos ſubinde dies peperiſſet) à quibuſdam Proceribus vocatus invaſerat, in Turcos magnis coactis viribus armat. Is, quòd eſſet admodum juvenis, Johannem Huniadem Vaivodam, bellicoſiſſimum exercitus ſui ducem, Hungariæ jam ante B à Sigiſmundo adminiſtrationi Præfectum, in eos hoſtes immittit. At verò is magna virtute bellum continuo biennio gerens, ſex prœliis victor ex hoſtili agmine ad centum millia pugnatorum cecidiſſe memoratur. Quibus tot tantiſque victoriis invitatus Uladislaus arma & ipſe induit, & cum Cæſarino Cardinali tertio anno novas copias adducens, cis Danubium in caſtra ſe contulit, in queis quadraginta equitum peditumque armatorum millia numerabantur. Nec defuit initio ſucceſſus. Repulſis enim uſque in ſuperiorem Myſiam Turcis (ea nunc regio Wlachia à Flacco Prætore quondam Romano, eam egregie adminiſtrante, corruptione primi elementi vocatur) Sophiam quoque C Urbem, ejus gentis primariam invadit, quam ſuæ diffiſus potentiæ Turcus incenſam deſeruerat. Jamque Uladislaus ſpem maximam liberandæ turpi jugo Græciæ, Turcorumque trans Euxinum propellendorum, de ſe præbuerat. Ac velut circumdatâ à tergo Græcia, non longe ab Adrianopoli è regione patriæ ejus, cui trans Iſtrum Septem Caſtella nomen eſt, conſtiterat. Sed quum adversùs cetera omnia præviſum à noſtris abunde eſſet, contra fœdam, ſeculiſque omnibus deteſtandam avaritiæ illuviem minus proſpectum eſt. Quum enim ad ferendam ſuis opem, comparatis ingentibus copiis Turci ex Aſia Minori, quæ illis jam patria ſedes erat, per ſummam trepidationem properarent, prohibebantur tamen à Boſphori tranſitu, adverſantibus facile vicinis Græcis. Nam D nec nulla erant illis navigia, quibus tantus exercitus, anguſtiſſimo licèt tractu, tranſmitteretur. Inventi ſunt autem Genuenſes quidam piratæ, (a) qui pacto per ſingula capita aureo numo, conſentiente inſuper (quod referre pudeat) Franciſco Condulmerio Veneto Cardinali Vicecancellario, (b) Legato in eas Thraciæ partes, ad eam adjuvandam expeditionem à Pontifice tranſmiſſo, portionemque ſuam ex tam infanda merce capiente, univerſum illum exercitum, qui centum millium hominum fuiſſe perhibetur, ſumma celeritate navibus ſuis trajicerent. Illi igitur Græciam jam tenentes, E Amorato Imperatore, in ipſum venientem Uladislaum contendunt.

Quum jam caſtra utrinque in propinquo eſſent, Johannes Vaivoda cum paucis obviam ſpeculandi cauſsâ profectus, ubi coiiſſe tantas Turcarum copias vidit, Regem admonet non eſſe temere in eos congrediendum. Ille juvenili ardore inflammatus, ſalubriſque conſilii impatiens, turpe ſibi eſſe loco cedere dixit: quinetiam Vaivodam acrioribus in pugnam verbis incendit. Ille, ne detrectare pugnam vide-

An leas Palatius Parmenſis cum eo erat, qui rem ad Pontificem ſcribens teſtificat, te mentiri.

Digitized by Google

videretur, in hoſtes quidem primo congreſſu irruit. Quumque aliquamdiu foliciter pugnaſſet, ſuos in ordinem revocat. At Uladislaus altera ex parte effuſis habenis in hoſtem fertur. Eorum primos ordines fundit. Sed ſupervenientibus aliis, atque aliis collatis ſignis atrox pugna conſeritur. Sed quæ ad noſtros in primis victoria ſteterat, prævalente tamdem multitudine, ad hoſtes tranſiit, circumventuſque ab ingruente hoſtium acervo Uladislaus opprimitur. (a) Efferveſcentes jam magis ex ea pugna Turci exercitui noſtro inſultant, eumque amiſſo Duce ſuo palantem, magna edita ſtrage, in fugam vertunt. Juliano Legato mortalium operum id extremum fuit, anno à Chriſti Dei Nativitate Tertio ſupra Mille Quadringentos & Quadraginta. Excepta eſt poſtea ea belli moles ab Hungaris fortiſſimis in eos hoſtes propugnatoribus, & Vaivodâ duce, qui Alberto, quem diximus, Auſtraſiorum Principe, Sigiſmundi genero, in defuncti Regis locum ſuccedente, dehinc ab Uladislao (b) Polono, & noviſſime ad Ladislaum infantem patrio Regno redeunte, in eumdem militarem, adminiſtrandique regni magiſtratum ſuffectus erat, magna virtute & inſigni animi magnitudine contuſa ſæpius eſt Turcorum inſolentia, eumque veluti tutiſſimum vallum adversùs barbaricum furorem, (c) in ſupremum uſque ejus vitæ diem habuit Occidentalis plaga. Sed abundantes Turcarum opes acceptas clades facile reparabant. Et veluti obnixa altis radicibus arbor, concuti quidem poterant, convelli omnino non poterant. Moriente verò intra paucos annos Amorato, & contendentibus inter ſe de Regno heredibus, qui frequens Turcis mos eſt, induciæ veluti quædam noſtris datæ ſunt, donec fatali Chriſtianis exitio in Mahometem præſentem Amiram ejus filium, fratre necato, imperii ſumma perlata eſt. Qui & naturâ ferox, & ætate fervens (vix enim vigeſimum annum exceſſerat) & aſtu callidus, minus etiam quam pro more gentis illius deliciis, ebrietative deditus, ſed belli gloriæque juxta cupidiſſimus ad propagandos imperii ſui fines, expugnandamque ante omnia Conſtantinopolim animum maxime intendit. Utque id certius aſſequi poſſet, dolis primum circumveniendos Græcos inſtituit.

Amicitiam igitur Imperatoris novi Conſtantini, qui Johanni fratri nuper defuncto ſucceſſerat, cupere ſe verſutus homo ſimulat, pacique intentum eſſe. Nec difficile ignavo Imperatori perſuadet. Quum haberet igitur Mahomet in ipſo maris litore ad dextram, qua Euxini maris oſtium in arctiſſimas fauces coit, ſtructam Arcem, quam Novo-Caſtrum appellant, miſſis ad Imperatorem nuntiis rogat, concedi ab eo ſibi, ut in adverſo litore, quod ad lævam eſt, & Galatæ cohæret, non longius ab Urbe Conſtantinopolitana paſſuum millibus ſex, alteram arcem conſtruere liceat, qua navibus ſuis tutus receptus eſſet, & mutuæ inter eos amicitiæ pignus ſolidaretur. Tum ſi quid à ſe Conſtantinus vellet, ſine cunctatione peteret; promto enim ad uberiores referendas

A animo eſſe. Conſtantinus ſeu inani ſpe ductus, ſeu quod terrore actus decipi ſe facile pateretur, magno certe expreſſo gaudio novi Amiræ amicitiam complectitur, datoque, quem voluerat Turcus, ædificandæ Arcis loco, Oppidum Stremona ab eo expoſcitur. Id quidem è veſtigio quum ſe daturum Turcus obtuliſſet, diutius diſtulit. Interea incredibili niſu Arx in litore Thracio ædificari cœpta, ipſis etiam Perenſibus tam vicinis ob induciarum fœdera, quædam nihil prohibentibus. Quumque loco illi marmor, lateres, calx, ceteraque omnia conſtructioni neceſſaria deeſſent, comportari eò omnia ex urbe Gallipoli, magno navigiorum conquiſito numero Turcus juſſit. Quæ
B quum juxta ipſos Conſtantinopolis Galatæ, quam modò Peram dicimus, muros neceſſariò deferrentur, & facile à Græcis prohiberi poſſent, tantus vel ſtupor, vel mentis hebetatio eos tenuit, ut non ſolùm impedimenti nihil afferrent, verùm etiam multis frequentibuſque muneribus omnifariam rerum præcipue quæ ad eſum pertinent, ex Urbe miſſis, Turcos plerumque laborantes recrearent. Addidit præterea Mahomet plauſtrorum quatuor millia, quæ terreſtri itinere ſabulum, aliaque ad opus idonea comportarent. Fertur etiam ipſe gremio manibuſque ſuis ædificantibus fabris lateres ſubminiſtraſſe. Ita ut intra paucos dies admirabili celeritate ſummum muri faſtigium
C æquaretur. Fuit verò Arx ipſa deinceps amicis navibus tutiſſimum profugium, inimicis verò propugnaculum infeſtiſſimum. Namque inde tranſituræ propter duarum arcium hinc atque hinc in anguſtiſſimis illis faucibus vicinitatem, ab emiſſis per æneas fiſtulas utrinque lapidibus molaribus magna ex parte lacerantur. Et caſtrenſium præterea machinarum, ferramentorumque peropportuno illo receptaculo in oppugnatione Urbis, quæ ſequuta eſt, uſus eſt Turcus. Vix murus ad ſummum pervenerat, recenti adhuc, & nedum firmo, aut perfecto opere, quum Turcus condignas Græcorum liberalitati gratias reddere meditatus, equitum quinque millia, flava jam meſſe, in
D metentes Græcos emittit. Illi ad ipſas Conſtantinopolis portas delati, magnam hominum ſtragem edidere: donec concitato intra Urbem ex inſperata re tumultu, ſumtis armis, egreſſa Civium multitudo palantes equites inſequuta repreſſit. Sed ne ita quidem excuſſus ſatis eſt Conſtantini torpor. Itaque Mahomet vehementis ſpiritus Imperator, exploratâ ſatis hoſtium deſidiâ, & qui non ignoraret magnis inter ſe diſſenſionibus Chriſtianos Occidentalis oræ Principes, Populoſque conflictare, maxima quæque animo concipiens, Urbem adoriri conſtituit.

Collectis (d) igitur viribus, & ingenti conflato exercitu, qui ſupra trecenta pugnatorum
E millia habuiſſe memoratur, priuſquam venire nuntiaretur tam gravis hoſtis, anno qui fuit tertius ſupra mille quadringentos & quinquaginta à Salvatoris noſtri humanitate ſumta, Nonis Aprilis, ſub Auroram ante ipſum Conſtantinopolis proſpectum tentoria fixiſſe conſpe-

(a) Notatur in margine: *Nunquam ſciri potuit obitus Regis; & Andreas in Iſtro obrutum putat.*

(b) In margine habetur: *Errat. Nam quum ignoraretur, utrum Uladislaus viveret, à proceribus eſt electus Gubernator: Et poſt annos octo juſſu procerum venit Auſtriam: bellum indixit, & cepit poſtea Neuſtothum profectus cum XIV. millibus equitum, indixit bellum Federico Imperatori, niſi redderet Regem. Ille altera die prædictum Regem reddidit.*

(c) In margine: *Johannes Vaivoda illata Turcis clade tres Imperatores cepit, & in Buda fecit decapitari.*

(d) In margine: *Prius cum Hungaris pace trienniam ſolidata.*

Digitized by Google

ſpectus eſt. Ea gens Parthorum more maxima ex parte equis vehitur, ſagittis pugnat, militaribus armis mediocriter inſtructa, ut quæ in pernicitate & ſagittarum nimbis ſpei plurimum habet. Sed præcipuum exercitus robur agmen eſt circa Regem adequitans, (Genizari eorum lingua dicti.) Hi à teneris annis militari diſciplinæ adſcripti, datis ad eam rem Magiſtris, omne in bellis, vel bellicis meditationibus ævum agunt, armis quam ceteri inſtructiores; numerum æquant quindecim millium. Quorum non exigua pars vel bello capta, vel à Chriſtianis Deum verum abnegantibus, orta eſſe narratur. Tertio ſubinde die recreato exercitu, comparatiſque omnibus, quæ ad oppugnandam Urbem neceſſaria videbantur, ad Urbis muros copias admovit, tanta uſus & militum promtitudine, & ducum ſuorum diligentia, ut eam omnem Urbis partem, quæ continenti jungitur, defoſſo ſecus Urbis foſſam vallo, paratis ad id cratibus, virgultiſque, & ſuperjecto aggere communito, quo pugnantes tegerentur, eodem, quo venerat, die circumvallaret. Eſt enim Urbs Conſtantinopolis in trianguli formam æquis fere ſpatiis ſita, ambitu paſſuum millium octo & decem, in extremo Thraciæ angulo, ad Euſini oſtium, & veluti promontorium quoddam in Propontidem ſpectat. Cujus tertia pars in Septentrione verſa, quum, ut præmiſimus, continenti juncta ſit, reliqua ejus latera duo, quę in Meridiem ſpectant in angulum coarctata, hinc atque hinc mari abluuntur. Urbs verò duplici muro cincta eſt, niſi quod ubi fluctibus longius objecta eſt, portuſque tutiſſimus intra munitiones Urbis reperitur, exterior murus percutientibus undis ceſſit. Qua verò mediterranea ſpectat, foſſæ profundæ crepido magni operis calce & latere firmata extremum tuetur murum: prorſus ut ad muniendam tanto opere Urbem Conſtantino conditori Romani Imperii opes vix ſufficere potuiſſe videantur. Argumento eſt, quod tot opibus tot annis in conſtruenda Urbe abſumtis, nonnihil tamen ſpatii ſuperfuit in loco, quem Calegaream dicunt, ubi nec murus extremus eſt, nec foſſa deducta. Græci tantis copiis territi (facile etenim ex caſtrorum ſitu, & tentoriorum numero vis hoſtium deprehendebatur) non longius progredi, neque hoſtiles machinas, quas ad evertendos muros propius duci, figique videbant, deturbare auſi ſunt. Sed intra primi & noviſſimi muri ſpatium in latitudine non ubique pari, ſed magna ex parte pedum fere quinquaginta, excubiis, ſtationibuſque diſpoſitis Urbem tuentur. Jam Turcus machinis ingentibus æneis admotis, quarum quæ major erat, vix à centum & quinquaginta jugis boum dimovebatur, lapidem verò ſiliceum cum horribili ſonitu emittebat tantæ magnitudinis, ut undecim palmorum in giro menſuram æquaret, ponderis verò duarum millium & centum librarum diceretur, partem illam muri ſimplicis, quamvis prævalidi, Calegaream, aggreſſus, frequenti lapidum colliſione proſtratam ſolo æquaverat.

Pugna verò aſſidua dies noctesque premebat Urbem. Ratus eam hominum paucitatem, à quibus tantæ magnitudinis Civitas defenſabatur, vel vi vel labore ſubactam multitudine ſuorum, qui per vices muros pugnando promtiſſime ſubibant, diutius tolerare non poſſe. Ex Græcis enim, quamvis imbellis turba ingens intra mœnia clauderetur, qui pro patria pugnarent, non amplius quam ſex millia fuiſſe perhibentur; Latinorum autem ex variis nationibus tria millia. Summa verò rei totius penes Johannem Longum Juſtinianum Genuenſem impigrum juvenem fuit. Eum enim cum duabus navibus primariæ magnitudinis per maria illa decurſantem Imperator collato ſtipendio per eoſdem, quibus Urbs premi cœpta erat, dies, militiæ ſuæ adſcriptum Capitaneum ceteris prætulerat. Et quoniam ſtrenue convulſos muros inſtaurare, manum cum hoſte conſerere, Urbemque animoſius tueri viſus eſt, Lemni etiam Inſulæ dono, ſi propellerentur hoſtes, virtutem ejus decoraturum ſe receperat. Stabant præterea in portu potius quam pugnabant triremes Venetæ mercatoriæ tres, & agiles duæ, quas aliquot ante menſes venturi hoſtis præſcius Imperator in ſpem Civium ſuorum magno pretio in portu retinuerat. Sed quum inducias cum Turco ſervare viderentur, nonniſi, quæ clanculo poterant, ægre obſeſſis laborantibuſque auxilia ſubminiſtrabant. Turcus, ubi murum, quem demolitus fuerat, ſarmentis, humo, doliiſque, & ex lana & multiplici materia faſcibus inter ſe compoſitis, reparatum vidit, convulſis inde machinis Bacatueam Turrem juxta Portam Sancti Romani dictam pari niſu concutit. Ligneas præterea Turres, propugnaculaque, quam proxime foſſam poteſt, inſtruit, & extracto ab illis in foſſam uſque itinere tecto, quacumque materia repleri eam jubet. Quumque tantarum vim machinarum nulla muri craſſitudo diutius tolerare poſſet, colliditur Turris, colliſæque ingenti ruina foſſa repletur, ita ut patenti propemodum portâ via pateret, ſi mature hoſtis irrupiſſet. Sed mirabili & in hoc obſeſſorum celeritate reparato, velut antea, perſtrenue muri loco, prævento hoſti irrumpendi occaſio ſublata eſt. Ferunt Turcum tantam in reparando muro noſtrorum promtitudinem induſtriamque demiratum, quos inſuper tot congeſta aſſidue tela non deterrerent, dixiſſe: *Non Græcorum hoc eſt, ſed Latinorum ingenium*; Johanniſque animum magnis conditionibus, ut ad ſe pelliceret, pertentaſſe. Non defatigabatur tamen infeſtus hoſtis, ſed integros pro ſauciis, recentes pro defeſſis ſubmittebat, qui in foſſam uſque penetrantes, ferreis aduncis raſtris, varioque niſu congeſta à noſtris in muri locum ſarmenta, doliaque detrahebant. Accerſito præterea ex Novobrodo magno foſſorum numero, ubi in effodiendis minêris, continuoque opere exercebantur, profundos cuniculos quinque intra Urbem duci jubet. Quod opus tantâ curâ perfectum eſt, ut ſubter foſſæ crepidinem vadentes jamque primum murum penetrantes, paucos intra dies ſuffoderent, & convulſa Turris, quæ adſtabat, fundamenta lignis ſuſtentarent, quo ad quam meditabantur expleta, immiſſo igne in præceps rueret. Sed præcipuâ induſtriâ Johannis Grandis Alemanni, Juſtiniani commilitonis, tam occultum, tamque exitiale periculum eſt deprehenſum, Græcis nihil prorſus tale ſuſpicantibus. Namque in ejuſmodi opere Amoratum fruſtra laboraſſe, neque foſſam, quamvis nullo impediente pertranſire potuiſſe, meminerant, vehementiuſque ex hac re animadverſa ſunt perterriti.

Itum eſt igitur obviam aliis in adverſum defoſſis cuniculis, & repulſis ferro igneque & ſulphure hoſtibus, ſtabilita è veſtigio Turris eſt, & repleti cuniculi. Turcus interea non ſatis

satis esse ratus ad expugnandam Urbem à continenti instare, à mari etiam urgere statuit. Contracta igitur ex omni Asiæ, Thraciæque, & Ponti litore longarum navium ducentum & quinquaginta classe, inter quas triremes sex & decem, biremes verò septuaginta, reliquæ Lembi, ac Mioparones erant, adjecto insuper magno Cymbarum numero, & in iis sagittariorum valida manu imposita, ad portum stadiis fere centum applicare, & in anchoris stare, ne quis ingredi vel inde efferri possit, jubet. Ab ingressu enim dispositæ inter ipsas tunc concatenati portus fauces ab Urbe Pera ad Speciosam Constantinopolis Portam maximæ Genuensium naves septem, & Cretensium tres, & aliæ pleræque minores prohibebant. Et ne vel tuta vel quieta è regione Portus Civitas esset, arduum primo nisu opus molitus est. Sed nihil intentatum, nihil inexpertum relinquit irritatus vehementius animus. Et quæ multis impossibilia primo videntur, improbo mortalium labore & invictâ pertinaciâ effici posse usus docuit. Instituit igitur, quandoquidem à statione depellere dispositas in aditu Portus naves non poterat, terrestri itinere biremesque plures in Portum intromittere, ac propterea oppositi collis, qua patentiora inde sunt maris litora, hinc verò in longum Portus protenditur, invia æquare jubet. Et constitutis magna arte lenitis trabibus superimpositas biremes & uniremes, duas & septuaginta, funibus alligatas summa vi lacertorum, quum in supremum usque Collis fastigium spatio stadiorum septuaginta, instruentibus Pseudochristianis, Turcæ pertraxissent, nullo deinde negotio declivi altera, quæ in Portum vergit, parte demittebantur. Nec his contentus Pontem insuper, ne Xerse inferior videretur, longitudinis stadiorum XXX. ex connexis doliis à litore Peræ Urbi opposito, qui sinum scinderet, exercitumque traduceret ad muros usque juxta Portam Cynigam, ubi terrestris spatii non parum inter muros & litus intercedit, deduxit. Annibalis credo exemplum imitatus, quum ex Tarentino portu, arce, quæ portum claudebat, jam à Romanis captâ, triremes suas terrestri Urbis ambitu in alterum litus devexit; vel recenti etiam memoriâ Venetorum, quum perdita omni Benaci Lacus ditione, fabricatas tamen triremes ex Athesi amne, montuoso etiam itinere in Lacum immiserunt. Sic jam undique Urbs oppugnari cœpta, à Græcis portus claustra, portus verò ipse à Turcis tenebatur. Neque naves in portu immobiles biremibus molestæ esse poterant; sed neque biremes navibus propius succedere audebant. Quumque multo obsessi labore ingenioque conati essent, biremes illas vel tormentorum vi vel incendio delere, accepto potius quàm illato detrimento destiterunt. Coacti sunt igitur obsessi, ne pars illa Civitatis, quæ in portum spectat, & antea belli omnis immunis fuerat, incustodita, indefensave relinqueretur, subtrahere ex stationibus propugnaculisque prioribus milites, & in eam partem collocare.

Atque ita debilitatis quaqua versum præsidiis, frangi clausorum animi, & omnia in deterius labi cœperunt. Fames præterea premere obsessos cœpit, sed eos præcipue, quibus gravior familia alenda erat. Jamque Græcorum ideo multi ex præsidiis aberant. Quin etiam quum Johannes Capitaneus à Luca Scholara Megaduca, qui erat omnium post Imperatorem inter purpuratos primus, æneas machinas, quas pro muris in hostes figeret, poposciſſet, illo protervius negante, gravi inter se conserto jurgio infensis in posterum animis perstiterunt. Et jam non dissimulanter Latinorum gloriæ, quod eorum præcipua virtute mœnia defensari videbantur, Græci invidebant; negligentiusque ideo munia quisque sua exsequebantur tunc, quum decertandum acrius, & invigilandum ferventius erat. Multos etiam otio & deliciis antea assuetos labor & vulnera deterrebant. Huc accessit suborta inter Venetos, qui in triremibus erant, & Genuenses, qui in portu navibusque excubabant, simultas: quippe alteri alteros fugæ suspectos criminabantur, quos commune crimen occultasse prudentius fuerat. Inter has tamen tot tantasque difficultates, solatii nonnihil clausis affulsit. Conspecta sunt enim navium trium præcipuæ magnitudinis, uniusque Dromonis (nunc *Ballinerum* vulgo dicimus) vela; quarum cursus ad Urbem ferebatur. Earumque tres Genuenses erant, Chio profectæ, sub ductu Mauritii Catanei, quarta Imperatori stipendiaria ex Sicilia solverat, seque his conjunxerat, armis, frumentoque & militibus onustæ. In eas, ut propius accedere Turcus vidit, delectas ex omni classe triremes, biremesque, & quas ex reliquis firmiores habuit, ad ducentas fere, magno tubarum tympanorumque strepitu concitatas immisit, præfatus Perensibus à se tantum Imperatoriam peti. Nec enim Turcus apertum se hostem Venetis Genuensibusve gerebat, sed conventa cum his Populis fœdera qualicumque dissimulatione tolerabat. Quum protegeretur à reliquis tribus navis Imperatoria, atroci pugna omnes excipiuntur. Sed quum aliàs sæpe, tum verò maxime claruit, quantum rei navalis peritia valeat, quantumque navium fastigia demissioribus præstent, sive id divino nutu factum potius existimemus. Quum pertinacissime in multas horas & in vesperum usque decertassent, conjectis utrinque igne, bitumine, calce, lapidibus, sagittis, scorpionumque ac omnis generis nauticæ pugnæ tormentis omnibus, tam feliciter à Genuensibus repugnatum est, ut hostili classe propemodum telis obruta, decem millia Turcorum in ea pugna periisse à perfugis postea renuntiaretur. Quumque ex Genuensibus ne unus quidem, si famæ credimus, desideratus sit, pauci verò vulnerati; quumque tanta clade accepta, perfractis remis, triremibus etiam plerisque concisis, lacerata Turcorum classis vix litus repeteret, Naves victoria lætæ incolumes in Portum pervenerunt.

Spectaverat hujus eventum pugnæ Mahomet ex Colle Perensi; quumque lacerari classem suam cerneret, tantâ vesaniâ rapiebatur, ut scissis vestibus exclamans concitatoque in salum equo adnatare ad pugnantes velle videretur. Baltoglum deinde classis Præfectum irâ succensus extremo supplicio destinaverat. Sed deprecantibus ejus mortem amicis, dignitate & facultatibus cunctis nudatum reliquit. Irritatus igitur vehementius tanto classis detrimento, & quod conatus suos ludibrio ferme haberi conspicaretur, ulciſci in colligatas naves statuit, Perensibus item præfatus, naves illas non Genuensium esse, sed Piratarum, quemadmodum & ipsi jam prædixissent. Huc accessit non inultæ Græcorum avaritiæ ingens malum. Namque pacta militibus stipendia maligne dabantur. Ex iis autem peritior in machi-

ehinarum ænearum jaculatione artifex petita, ſæpius mercede fraudatus, magno Urbis exitio, ad hoſtes confugit, ſuaque in obſeſſos tela retorſit. Studebant enim avaritiæ veſani Græci in ea etiam Urbis periclitatione. Quorum multi poſtea in Urbis direptione auro argentoque abundantes reperti ſunt, quaſi fideliſſime theſauros ſuos hoſtibus conſervarent. Imperatoris autem preces & nonnumquam lacrymæ, ad ferendam opem ſuos adhortantis, male audiebantur. Cogendi verò in eo facultatis parum, ſed animi minus fuit. Turcus ergo profugæ monitu in Occidentali litore contra naves Peramque machinas æneas ſtruxit, centumque & quinquaginta magnæ molis lapidibus jactis in Peram potius quàm in naves proſilientibus, unus tamdem ex Colle reſultans Centurionis navem mercibus onuſtam perforat. Illam verò ſubitò cum omni ſarcina pelagus abſorbuit. At reliquæ ejus exemplo territæ, deſertâ Portus cuſtodiâ, & concatenationis ordine, præ muris adhærentes, Portum hoſtibus pervium reliquerunt. Turcus, in eo Urbis ſtatu quum ſupremum rei diſcrimen adoriri in animo haberet, conſilium ſuorum advocat. Impellebatur enim non tantùm naturali ferociâ ſuâ, & juvenili ardore, ſed etiam neceſſitate quadam, ut univerſi exercitus ſupremo congreſſu expugnandæ Urbis periculum faceret. Namque totis caſtris vulgata fama eſt, quæ ad obſeſſos quoque ex tumultuantium vocibus pervenit, Johannem Vaivodam cum ingentibus copiis ad ferendam obſeſſis opem inſtare. Solviſſe præterea ex Italia inſtructiſſimas triremes haud paucas à Nicolao V. Pontifice in eamdem opem deſtinatas. Et profectò Nicolai cunctationem in tanta re non injuriâ quis accuſaverit, ſi indignationem ejus in Græcos jure quoque merito damnaverit. Nam præter quod in Florentina Synodo pridem Græci cum Latinis de unione convenerant, Principatumque Romano Pontifici conceſſerant, conventa jurejurando firmaverant. Nuper etiam in ipſa Conſtantinopoli miſſo ad id Legato Iſidoro Cardinali Sabinenſi, quia conventis minime ſtare, & in priſtinos errores decidiſſe ferebantur, contuſa potius quam extincta Scholarii Iſidori, Neophytique pertinacia, & qui illorum hæreſim ſequuti Populum ſeducebant, effectum eſt ut Sancti Spiridionis die eadem concordiæ, unioniſque capita, annuente etiam Imperatore, ſolemnius reciperentur. Sed ea tantum extremis labiis excepta, intra præcordia admiſſa non ſunt, ſolo metu, veluti res docuit, diſſimulare cogente; ne à Latinis, quos nihilominus interea tamquam profanos faſtidiebant, ſacriſque ſuis arcebant, in tanto, quod imminebat, periculo deſtituerentur. Nihil enim eorum, quæ concordiæ fœdera depoſcebant, aut egere hactenus, aut in præſentem uſque diem tantis admoniti cladibus iratum ſibi Deum eſſe, de ſolita ſaltem opinione decedunt.

Qua indignatione permotus vir ſanctitate venerabilis, Gregorius Patriarcha, qui, defunctis Mitrophane & Joſeph, ſucceſſerat, orthodoxam amplexus Fidem, ut procul à tam obſtinatis cervicibus eſſet, relictâ Conſtantinopoli Romam veniens Latinas traditiones prætulerat. Lentius ob hoc quàm reipublicæ Chriſtianæ expediret, Nicolaus implorantis opem Græciæ miſerebatur. Sed ubi acrius Urbem premi accepit, communi proſpiciens periculo, auxiliarem claſſem parabat. Quo in opere ac-

A celeratâ Urbis expugnatione præventus eſt; acceptâque clade præter gemitus & veros dolores, nihil opus in eo deinceps fuit. Hujus tamen apparatus rem in majus fama extollente, terror Turcos invaſerat; & jam totis caſtris infeſte in Imperatorem ſuum voces audiebantur; fruſtra à ſe disjectos muros, fruſtra laboratum, tantoque ſuorum pugnatum ſanguine, quandoquidem ex diuturniore mora periclitaretur exercitus. Re igitur in medium propoſita, Calibaſtia inter proceres dignitate & conſilio primus, ſententiam dicere orſus, diſuaſiſſe ſe ſemper ejus Urbis validiſſimæ oppugnationem dixit, quam ſiniſtro omine progenitores ejus ſæpius intentaſſent, nec eſſe irritandos ea re gravius Chriſtianos omnes, ſed
B præcipue Venetos, Genuenſeſque, cum quibus pacem ſervare utilius multo regnis ſuis experientia didiciſſet. Magnum eſſe diſcrimen, quod ſubiturus eſſet, & extrema belli in adverſis ſæpius quam in proſperis computari ſolere. Suadere ſe igitur honeſtis genti ſuæ conditionibus pacem Conſtantinopolitano dare, quandoquidem id in ejus poteſtate poſitum eſſet. At Zaganus junior, Calibaſtiæ æmulus, Regis ſui potentiam, quam nulla gens ferre poſſet, extollere cœpit: contra Græcorum ignaviam damnare, & exciſis muris jam patens exercitui iter recenſere. Non eſſe formidanda externa auxilia, Genuenſibus inteſtinis factioni-
C bus intra ſe converſis, Venetis Mediolanenſi bello ita implicitis, ut pro ſe ſatis negotii haberent. Pontificis verò conatus exiguos eſſe. Vaivodam fluminibus, & longo terrarum tractu arceri. Auderet modò ipſe offerentem ſe fortunam manibus comprehendere. Turpe enim eſſe, ſi unius conſilio parta victoria deſereretur. Quum potior Regi ſententia hæc videretur, Thurica Thracialis militiæ princeps, Eunuchus Terocius, ceterique omnes clarioribus dictis Zagani dicta confirmant: Regis etiam animum ſponte concitatum inflammant, ipſum progenitoribus ſuis longe anteferentes. Approbato negotio Mahomet Zagano negotium dat, ut diem belli ſtatueret, exercitumque
D componeret, Peram etiam Urbem circumvallaret, ne qua inde obſeſſis auxilia ſubmitti poſſent. Ipſe interea, quo honeſtius agere diceretur, miſſis ad Conſtantinum Oratoribus, dedi ſibi Urbem poſtulat, incolumitatem dedentibus pollicetur. Quod ni fecerit, ſupremo ejus civium exitio Urbem ſe expugnaturum dicit. At Calibaſtia alioquin Regi ſuo infenſus, ubi etiam prælatum ſibi Zaganum æmulum vidit, vehementius exacerbatus, clam perfidiſſimos internuntios ad Imperatorem Conſtantinum, cum quo amicitias antea etiam occultas crebris epiſtolis, nuntiiſque alebat, cuncta uti geſta erant, perſcribit; monet, uti vigilanti fortique animo ſit, neque tumulentiſſimi juvenis
E veſaniam aut incultæ multitudinis minas perhorreſcat.

Totis igitur caſtris Regis edicto jubetur univerſus exercitus ſupremo certamini, IV. Kalend. Junias inſtructus paratuſque eſſe. Per triduum verò, quod intercedebat, quo luminaria patrio more accendunt, ſupplicationes, jejuniumque indicit. Id ita à Turcis obſervatur, ut per diem totum, ut ante dictum eſt, cibo potuque abſtineant, per noctem commeſſationibus ad crapulam uſque diffundantur. Denuntiantibus verò pugnam præconibus, Rex ante ipſos exercitus oculos ſuperſtitioſe jurat per centum viginti quatuor millia Prophetarum

per

Digitized by Google

per Mahometem, per animam patris, per liberos, perque enſem, quo accingitur, omnem prædam, omneque hominum genus, capta Urbe, bellatoribus à ſe triduo integro donari; idque inviolatum fore. Id verò jusjurandum Regis maxima exercitus gratulatione ſublatis in cœlum clamoribus excipiebatur, ſeque adhortantes, complexanteſque invicem velut inferis devovebant. Græci verò barbaros tanta etiam religionis imagine captos demirantes, tum demum veris perfuſi lacrymis ad Sacra, Litaniaſque, tota Urbe convertuntur. Ipſe Imperator, accito Senatu, Proceribuſque, & Militaribus viris, quantis poteſt precibus obteſtatur, ne Urbem illam inclytam, totoque Orbe glorioſiſſimam, unicum in Oriente Chriſtianorum omnium perfugium, certiſſimumque adversùs furentes barbaros propugnaculum, deſererent, neve expaveſcerent inconditæ multitudinis ululatus. Virtutis verò ſuæ, cujus maxima jam quiſque argumenta per eos duos & quinquaginta dies, ex quibus obſideri cœpta erat Civitas, ediderat, meminiſſent, fortique animo diei unius qualeſcumque hoſtiles impetus tolerarent. Græcos patriæ ſuæ dulciſſimæ, Genuenſes Peræ vicinæ ſuæ Urbis, cui par excidium imminebat, ſolitæque animorum magnitudinis, Venetos etiam frequentium in eos hoſtes victoriarum & parte gloriæ, admonebat; felicem denique ejus exitum conteſtans, quiſquis in tam pio tamque ſancto certamine ſupremum diem obiiſſet, cœleſtis Regni præmia conſequuturus: in quo ne ipſe quidem, ſi ita ſors ferret, pro Populo ſuo victima fieri recuſaret. Ad hos ſermones Imperator, ubi milites eiveſque ſuos recepiſſe animos vidit, ſeque conſtanti animo pro ſua, Urbiſque ſalute pugnaturos polliceri: *Macti igitur virtute*, inquit, *craſtino die, quam in vobis conſpicio, animorum promtitudinem exhibetote, quæ & virtutem veſtram nationibus ſeculiſque omnibus atteſtabitur, & certam Deo auſpice victoriam nobis pollicetur.* Atque ita animatos unumquemque Ducem, Capitaneum, Centurionem, Decarchumque, in propugnacula, ſtationes, excubiaſque ſuas, quaquaverſum dimittit; obſeratis etiam interioris muri portis, ne quis imminentis periculum martis declinare poſſet. Ibi pernoctantes de quarta adhuc vigilia, obſcuro quamvis lumine, vim parari ſentiunt; Jamque multiplices machinas, caſtratas bigas, rotataſque ſcalas foſſæ admoveri. Sub eamdem horam claſſis circa Portum, Urbemque, propius fertur. Pons etiam, quem nuper fabricatum diximus, muris adjungitur. Tyrones interea, & levioris armaturæ manus, pugnam primi ineunt. Repugnatur ab Urbe ferociter. Multi lapidibus, ſagittis, ſcorpionum telis, baliſtarumque tormentis cadunt. Cedentibus tenebris rutilare jam cœperat funeſta dies. Quum mox perſtrepentibus tubis, tympaniſque, altiſſimis clamoribus exercitus corona in foſſam murumque inſurgere cœpit. A maritima item ora, & à claſſe & à Ponte, adnixi ſummis viribus hoſtes Urbem aggrediuntur. Expreſsâ machinarum, tormentorumque vi, ſagittis, lapidibus, & omnifariam telis cœlum inumbratur. Multi utrinque cadunt. Plurimi vulnerantur. Sed ex iis præcipue hoſtibus, qui ad detrahendam ferreis uncis reparati muri materiam in foſſam penetrantes, ipſi disjecti muri ruinæ acrius inſtabant.

Jamque meliore loco res obſeſſorum ſtare videbantur, & hoſtilis exercitus vi proterentium quoſque obvios machinarum ſcindi. Et Imperator, velut partâ victoriâ lætior factus, ſuos alacrius adhortabatur. Quum ſubitò retro verti parvo momento pugnæ omnis facies cœpit. Deſumſerat ſibi Conſtantinus Imperator ejus tutelam loci, ubi machinis æneis pulſata, disjectaque Bacatera Turris foſſam impleverat, adjuncto ſibi Johanne Juſtiniano, in quo ſpem victoriæ maxima ex parte Imperator collocaverat, cum CCC. Genuenſibus, armis, ſcorpionibuſque egregie inſtructis, & ex Græcis delecta juventute perſtrenua; quòd ex eo præ ceteris loco, ut res docuit, formidandum periculum erat. In eo igitur tam atroci certamine Johannis maxilla ſagittâ trajicitur. Ex eo vulnere, veluti diſcuſsâ eâ omni, quam præ ſe tulerat, animi magnitudine, territus juvenis, ad vulnera excipienda inſuetus, clam ex acie ſe ſubtrahit, medicum quæſiturus, nullo interea, qui pro ſe Ducis munia obiret, conſtituto. Ardua verò inter hæc pugna committebatur. Aſt Imperator, ubi deeſſe loco Capitaneum vidit, non ſatis ſui compos, ingemiſcens, quo iſſet, percontatur. Reliqui verò, quum ſe ſine duce eſſe intelligerent, attonitis ſimiles loco cedere cœperunt. Jamque fatiſcente ex ea parte noſtrorum acie, quæ maxime hoſtibus objecta erat, quum, quid accidiſſet, à circumſtantibus ignoraretur, terror omnes invaſit. Inſtant acrius Turci, quo ſegnius defendi à noſtris reparati muri ruinas intelligunt, & eo magis quo repleta Urbis foſſa non difficile irrumpentibus iter præſtabat. Imperator, quum Johannem, ut ſe ſiſteret, doloremque vulneris aliquantum ferret, fruſtra rogaſſet, ubi denique nihil ſpei in eo jam ſupereſſe animadvertit, infelicem ſortem ſuam, Urbemque periiſſe exclamavit. Johannes poſthac gloriæ, ſuique oblitus, reſerari Sancti Romani, quæ in tergo erat, primi muri Portam jubet, quem fractis animis commilitones fugientem inſequuntur. Sublato igitur hoſtes barbarico ululatu frequenti agmine deſertum à noſtris locum uno impetu invadunt. Nudatos defenſoribus muros conſcendunt; ſigna infeſta victoriæ in ſublime locant; & jam cominus rem gerentes, terga fugientium enſibus cædunt. Ceterum in eo Portæ ingreſſu, coanguſtante fugientium turba, colliſus Imperator extinctus eſt; ferunturque eodem in loco conculcantes invicem ſe ſe Græci Latinique octingenti periiſſe. Ipſe Johannes ex fuga Peram primùm, mox in Chium delatus, paucis diebus inglorìam vitam produxit. Interea viri fortes Theophilus Palæologus, Catholicæ Fidei cuſtos, & Johannes Sclavus cum paucis quibuſdam magnis animis irruenti procellæ ſe ſe opponentes, multa prius editâ hoſtium cæde, glorioſiſſime occumbunt. Paulus item, Troyluſque Bojardi, Latini viri, hoſtium impetum aliquamdiu ſuſtinuerunt; ſed deſperata re, vulneribuſque acceptis, in Peram denique confugerunt. Ita nullo jam obſiſtente intra octavam horam, qua noviſſimo illo certamine Urbs oppugnari cœpta fuerat, die verò tertio & quinquageſimo, ex quo obſidionem fuerat paſſa, Urbs tam valida, tam celebris, columen quondam Romani Imperii, ab impiis hoſtibus crudeliſſime direpta, laceratàque eſt. Fuerat verò longe ante prædictum ejus tantæ Urbis excidium, vaticinio ſanctiſſimi viri: *Væ tibi, Civitas Septicollis, quando adoleſcens te circumdabit, & pulcros muros tuos evertet!* Datumque ſuperne fato quodam crediderim,

ut quod in ea Urbe Conſtantinus primus Imperium fundaverat, ſub alio Conſtantino cum Irene matre diſſentiente, quo tempore à Leone III. Romano Pontifice Imperium in Carolum Magnum translatum fuit, debilitaretur, noviſſime autem ſub hoc Conſtantino ſit extinctum.

Cæſi ſunt igitur obvii quique nedum juvenes, ſed & imbecilles, decrepiti, leproſi, atque etiam ægrotantes. Deprecantibus vix ignoſcebatur. Pulcherrimum illud & admirabilis operis, nullique in toto Orbe comparandum Agiæ Sophiæ Templum, quæque in eo erant, ſacra, cum Sanctorum Imaginibus, ſpurciſſime profanata, lacerata, diſperſa. Tum verò captivarum virginum, virorumque, omniſque & ſexus & ætatis, planctus, flebileſque ejulatus in cœlum ferri. At barbara rabies, quin per omne ſcelus nefanda, ſtupra, ludibriaque etiam vix ab homine efferato concipienda, deſæviret, nihil reliqui ſibi fecit. Græcorum tum demum etiam detecta eſt avaritia. Multi enim magnique theſauri, & antiqui & novi paſſim per domos, confractis ſcriniis, convulſiſque ædibus, inveniebantur. Inter quæ memorantur apud Manuelem Giagarum viginti, apud Neophytum verò Hieromonachum LXX. aureorum millia comperta. Ita ut locupletiſſimam Urbem fuiſſe conſtet. Ditati toto triduo tantâ prædâ Turci, traductâque in ſua tentoria omni nihilominus ingenti captiva multitudine (nexorum enim ſexaginta millium numerus perhibetur) deformatam in eum modum Urbem Regis ſui ditioni relinquunt. Poſt eam victoriam Mahomet patrio more dies feſtos indixit. Quumque & ipſe & reliqui crapulâ præter modum efferrentur, mixtum humano ſanguine vinum fertur propinaſſe. Vocatus ad eum tum primùm Lucas Megadux, quum incuſaretur, quod Imperatori pacis conditiones diſſuaſiſſet, ille, ut hoſtis animum deliniret, Venetos, Genuenſeſque ob collata obſeſſis auxilia, quos majore etiam ſpe animaſſent, ut tamdiu repugnarentur, in cauſa fuiſſe criminatur. Addit præterea calamitati ſcelus. Conſcriptas enim ſæpius à Calibaſtia ad Imperatorem epiſtolas, ipſi communes factas, veluti fideliter ad eam rem conſervaſſet, omni re, pro ut gerebatur, detectâ, impie tradit. Turcus re deprehenſa ſuccenſus, Calibaſtiam primùm quidem vinciri, dehinc Adrianopolim perductum, propterea quod exercitui carus eſſet, ultimo ſupplicio affici jubet. Sed ne ſic quidem barbarico furori ſatisfactum eſt, quin Lucas altero ex filiis, qui ſupererant, ante ejus oculos cæſo, altero verò impubere libidini regiæ impurius reſervato, ipſe quoque jugularetur; parique ſupplicio Taraconenſium Conſul cum duobus aliis extinctus eſt. Quumque Catharinus Contarenus, vir præclarus, qui Auream Portam, & adjacentes turres uſque ad oram maris in eo noviſſimo prœlio, forti præſentique animo tutatus fuerat, cum ſex aliis Nobilibus Venetis captis pretio jam ſe redemiſſent, non aliter tamen niſi ſeptem denuo adjectis millibus aureis è captivitate tam truci dimiſſi ſunt. At Perenſes, ad quos multi ex ea clade confugerant, viſo vicinæ Urbis excidio, attoniti, amenteſque facti, quamvis nullo urgente, populariter ad ſtantes in litore naves confugiunt. Id conſpicata, quæ in proximo ſtabat, hoſtilis longarum navium claſſis curſitantem lymphaticam turbam invadit. Matres deſertis liberis, liberos item abſque parentibus, cumque eis gemmas, pretioſamque ſupellectilem captam navibus ſuis imponunt, quum multi interea in fuga compreſſi mari abſorberentur. Sed quibus tamdem ſenſus aliquis in ea Urbe ſuperfuit, convenientes, miſsâ è veſtigio ad Turcum legatione, Urbem, ſeque dedunt. Ille jam ſine Præſide, ſuique juris factam Urbem, ſervilem in modum recipit, datoque Præſide Turco, profugorum ſubſtantiam omnem Fiſco adſcribit; turres, murumque Urbis omnem dirui, & ſolo æquari jubet. Perenſes nullâ morâ mandata faciunt. Atque ita Turris etiam illa, in cujus cacumine venerandæ Crucis ſignum, à qua & denominabatur, eminebat mari conſpicua, à fundamentis uſque disjecta eſt.

At poſtquam in Italiam, ceteraſque in Occiduas oras de Conſtantinopolis excidio fama perlata eſt, quæ vix primò propter eam, quæ de Urbe illa habebatur, opinionem, credi poterat, magna Nicolaum Pontificem, ceteroſque Chriſtianos Principes & Populos omnes ſolicitudo ac mœſtitia tenuit. Nec enim quorſum tenderent tam inſolentiſſimi hoſtis minaces impetus, in obſcuro eſſe poterat. Quin quidem victoriâ exſultans penetraturum ſe in Italiam, Romamque ipſam Orbis caput occupaturum, propalam dictitare affirmabatur. Quamobrem re adhuc recenti primâ illa animorum conſternatione viſi ſunt plerique Chriſtiani præpotentes Principes in ultionem acceptæ cladis conjurare. Alphonſus Siciliæ & Taraconenſium Rex deſumto ſuper ſe, primariumque apud ſe virum quemque, ſanctiſſimæ Crucis ſigno, iterum ſe obviam impuriſſimis hoſtibus ſolemni voto recipit. Philippus Burgundiæ Dux, magno Procerum conventu, magniſque ceremoniis pari voto ſe adnexuit. Quin & Alphonſus Rex Portugalli, quæ regio in Hiſpania ulteriore Luſitaniæ portio eſt, parari à ſe ingentem claſſem, & in eoſdem hoſtes profecturum ſe, per Oratores & epiſtolas ceteris Principibus, Populiſque denuntiat. At Nicolaus Pontifex mœrore atque ægra valetudine confectus, in ipſa mentis agitatione paucos intra menſes vitâ defungitur. Suffectus illi Alphonſus Borgia extrema ætate invalidus, impoſito Caliſti III. nomine, magno impetu, totiſque ſenſibus in ejus expeditionis ineundæ molem ferebatur. Collectâque in eam rem ingenti pecuniâ, cum aliis ex nationibus, tum verò præcipue ex Italia, quantis poterat, precibus, adhortationibuſque, ut unà ſecum bellum capeſſerent (multa enim etiam ſupra vires de ſe pollicebatur) Principes & Populos quoſque invitabat. Sed præterquamquod decrepitus ſenex plerumque ob ægram valetudinem à gerendis rebus arcebatur, multa etiam opinioni ſuæ adverſa expertus eſt. Nam & Veneti per eos, quibus Pontifex creatus eſt, dies nova cum Turco pacis fœdera in longiores annos ſtabilierant; Genuenſes civilibus diſſenſionibus agitati, nec publicæ nec privatæ utilitatis causâ componi poterant; Alphonſus nunc has nunc illas moræ cauſas interſerebat, donec inito interea adversùs Genuenſes bello, moriens etiam moleſtas ejus reliquias filio Ferdinando in regnum ſuccedenti reliquit. De Gallia, Hiſpaniaque exſpectatæ manus plus in ſe famæ quàm ſpei habebant. Quod igitur unum poterat Pontifex, Hungaros validiſſimam gentem, & in Turcas pugnacem, miſſa legatione, pecuniâ adjuvabat. Triremes inſuper in Tiberi conſtrui, & quam poterat, claſſem parari curabat. Erat in Romana Curia Ludovicus Presbyter Cardinalis

talis Camerarius, qui tum, quum de novo Pontifice ageretur, favore, quo plurimum poterat, ut crearetur Caliſtus, contenderat. Quod ubi ex ſententia contigit, ratus invalido ſene ſe ad arbitrium uſuro, ſeque apud Pontificem in ipſo Vaticano conſtituens, Pontificatus procurationem fere omnem in ſe recepit. Sed contra ac ſperaſſet, longe evenit. Non ſolùm enim Pontificis, ſed & reliquorum, qui plurimum apud illum poſſe volebant, & qui præcipue conſanguinitate jungebantur, velut acceptâ inſigni contumeliâ, animos in ſe vehementius irritavit. Quamobrem ſubmotus Papali Palatio per indignationem Pontificis, in magno etiam diſcrimine verſabatur. Ceterum is callido conſilio placare Pontificis animum, & in gratiam redire cogitavit. Nam quum ſciret Caliſti animum in conſtruenda dirigendaque in Turcum claſſe pronum ferri, maximeque in ea re occupatum eſſe, iturum ſe Legatum in eam expeditionem ſtudioſius offert. Ejus ſermonem gratis auribus Caliſtus excepit. Nam quòd in bello gerendo verſatus per multos annos ſub Eugenio Pontifice fuerat, peridoneus in eam rem æſtimabatur. Creditum eſt etiam à nonnullis, ingentes, quos poſſidet, theſauros in eam tam glorioſam expeditionem memorabili & maxime laudabili exemplo conferre velle. Sed ut illum de reconciliata Pontificis gratia opinio non fefellit, ita de obtentu excuſationis, quam meditatus fuerat, longe deceptus eſt.

Quum enim triginta triremium claſſem inſtructurum ſe Pontifex affirmaſſet, iſque id fieri ab eo minime poſſe, vel certe quavis cauſa non ſucceſſurum, pro comperto haberet, æſtimavit ſatis ad declinandam profectionem ſibi fore, ſi triremium numerus dicto inferior multo inveniretur. Itaque inſtanti hyeme in eas fabricandas inſtruendaſque abſumtâ, quum vix ſeptem repletæ eſſent, & jam navigatio peropportuna eſſet, Pontifex, ut ſuſceptam Legationem obiret, urgere cœpit. Ille parum opis, multumque periculi in tam exigua claſſe cauſatus, quum legationem detrectaret, Pontifex, advocato Cardinalium Conciſtorio, acerrimis eum dictis increpavit, ac niſi proficiſcatur, daturum ſe judices, qui in eum de graviſſimis criminibus animadvertant, comminatur. Ille ad hanc vocem exterritus, nihilque ultra repugnandum ratus, aſſumtâ præter has quadriremi, quæ ab Alphonſo inſtructa erat, Neapolim prius delatus, mox in Siciliam, deinde Chium, ac poſtremo Rhodum adnavigavit. Ubi ſupra biennium immoratus, nullâ re memorabili geſtâ, poſtquam Caliſtus humanis exemtus eſt, ad Italiam remeavit. At Turcus validiſſima Urbe capta, quod optare antea potius quàm ſperare auſus fuerat, dum novæ Arci locum deſtinat, novoſque ex gente ſua coſonos in Urbem deducit, multos in ea abſumfit dies. Ad reparandam deinde claſſem, majoreſque etiam vires comparandas terrâ marique rem geſturus animum intendit. Sed excepit ejus exercitum, Populoſque fere ſuos omnes fames valida, quam peſtis atrox comitata eſt: ita ut eo, quod inſequutum eſt, biennio, nihil majus molitus ſit, quam quod Rhodum, Chium, Lesbumque, & ceteras in Ægeo mari poſitas Inſulas, miſſa in eas claſſe, pertentaret. Quin & excurſionibus per copiarum duces in Achajam, Peloponneſumque, & Epirum factis, quantas poſſet, iis locis clades inferret. At tertio, qui inſequutus eſt, anno, quam maximo poteſt niſu inſurgit, motiſque ſub initium menſis Maji per Macedoniam caſtris, in quibus ſupra ducenta hominum millia fuiſſe perhibentur, Hungariam versùs iter facit, in Italiam inde, ſi proſpere prima ceſſiſſent, tranſiturus. Paraverat interea in Hiſtro claſſem triremium undecim, lemborum verò, agiliumque remigiorum numero ingentem, viris, armis, miſſilibuſque egregio inſtructam, eamque per copiarum duces remulco contra fluminis impetu in ſuperiora deductam per oſtium Boſnæ fluvii, qui ab Olympo Monte decurrens Wlacos recenti vocabulo, antea Getas, Romanos hactenus colonos, Macedonaſque illis conterminam gentem ab Oriente, Hunnos verò ab Occidente diſterminat, Oppido Chille adegerat. Tuebatur verò id Oppidum Johannes Huniades Vaivoda, qui exploratis Turcarum motibus, ratus, quod evenit, fore, eo ingreſſus, barbarico furori ſe oppoſuerat. Habebat verò in exercitu ſuo peditum quatuor & triginta, equitum verò duo millia. Sed Ducis virtus numero inferiores animabat. Atque ubi Turcus ſubductâ ad muros claſſe Oppidi oppugnationem adortus eſt, alia Hungarorum manus, quæ in Caſtrocæco, haud multum inde remoto convenerat, re audita, auxilio accurrit. Et pars quidem eorum terreſtri itinere in Oppidum pervenit. Pars verò paratis inſtructiſque navigiis, ſecundo Hiſtri curſu ad oſtium Boſnæ delata, ut hoſtili claſſi à tergo inſtarent. Quum pugnaretur utrinque acerrime, Vaivoda ex diverſa Oppidi parte cum delecta manu claſſem de repente adortus compoſitum magna arte in vaſculis ignem in pleraſque triremes immittit. Quas ut emicans è veſtigio flamma urere cœpit, Turci prœlium triremeſque deſerunt, ſeque in lembos & minora navigia fugientes recipiunt.

Id conſpicatus victor Hungarus, territis acrius inſtare. Multi ferro pereunt, plurimi flumine abſorbentur. Ex triremibus ſex nihilominus ab igne illæſæ à noſtris interceptæ ſunt: reliquæ cum magno lemborum numero perierunt. Quæ verò flammarum vim inſequentiumque impetum effugere potuerunt, præcipites in mare uſque curſu deferuntur. Eo vulnere perincommode accepto Mahomet nihilominus terreſtres copias urgere (majorlem enim quàm antea adversùs Conſtantinopolim exercitum comparaverat). Ceterum, ne iiberum ei eſſet in Hungaros penetrare, à trubus ingentibus fluviis arcebatur. Hiſter omniom poſt Gangem primus à dextris erat. A frante Boſna, primum quem diximus; dehinc Sovus ex Forojulii, Carinthiæ, & Carniolæ mentibus decurrens, tantæ magnitudinis, ut propemodum binomini ipſi Danubio compartur: veluti duo validiſſimi muri objecti erant. Poſitum igitur in ulteriore Boſnæ ripa in angulo, ubi Hiſtro immiſcetur, Oppidum, ab antiquis Taurinum appellatum, recenti verò nomine Caſtrum Album, patrio autem ſermone Navalla, & Latino Bellogradum, omni bellico apparatu oppugnat. Inde enim, ſi Oppido potiretur, tranſitum in fluvium commodiſſimumque habiturus erat. Erat autem in ejus præſidio Johannes Comes Salapinus cum delecta militari manu, cumque eo egregia Alamannorum juventus immortalibus præconiis extollenda. Fortiſſimi enim juvenes in Viennenſi gymnaſio, vero virtutis & bonarum artium ſtudio dediti, cœtu facto, & ſanctiſſimæ Crucis inſigniti charactere, novam militiam ineunt;

ineunt, Deo Chriſto dicatam, doli in tanta ſeculorum vetuſtate Spartiatæ Leonidæ commilitonumque invictos animos ſupergreſſi, Chriſti milites juſtiſſime nuncupandi. Illi igitur numero admodum ſexcenti ex tironibus veterani illico facti, quod periculoſiſſimum erat, objectum furenti hoſti Caſtrum Album petunt, quid intrepida cohors, & mori quàm vinci paratior, poſſet, oſtendunt. Jam Turcus vi machinarum, quas plurimas adversùs Oppidum ſtruxerat, disjectum murum in latitudinem centum fere pedum ſolo æquaverat. Foſſam etiam congeſtis virgultis terraque repleverat, ac præter apertam planitiem inter obſidentes obſeſſoſque diſcrimen jam nullum relinquebatur. Ac tamdem X. Kalendas Sextiles ſtructâ acie Oppidi oppugnationem aggreditur. Nam ut in eo oppugnando maturaret, fame, peſteque etiam, quæ illi fere comes eſt, exercitum premente cogebatur. Difficile enim qui tantæ multitudini ſufficerent, in vaſtata quaqua versùm regione, longiſque bellis attrita, haberi commeatus poterant; neque jam diutius eo in loco continere caſtra ob eas cauſas permittebatur. At qui obſidebantur, non contenti pro muris corpora ſua irruenti hoſti, & intra muri ruinas conſertis æquo marte mucronibus depugnanti, opponere, ſe ſe agmine facto invicem adhortantes, pulſis à muri loco hoſtibus in ipſa media Turcorum caſtra perrumpunt. Cædem hoſtium ingentem faciunt, protractoque in meridiem uſque certamine, Turcus laborantes ſuos conſpicatus receptui canere juſſit, ſeque intra caſtra recipiens ex prœlio feſſis quietem dabat.

At Johannes Huniades, qui cum reliquo Chriſtianorum exercitu in vicinis locis, quo commodius alerentur, tentoria habebat, (nam neque obſeſſi Oppidi anguſtiæ plus quatuor millibus pugnatorum admittebant) ubi oppugnari Oppidum accepit, collecta manu, ſtructiſque ordinibus, laturus opem properaverat. Poſtquam verò Oppido ſigna intulit, animati ſupra modum ejus adventu obſeſſi, laborum periculique omnis obliti, una omnes recentes feſſique, ſublato clamore alacres, in hoſtem nihil tale opinantem, irrumpunt. Ferebatur inter eos invadentes medius Johannes Capiſtrana, declamator egregius, Religionis Seraphicæ, quam Minorum vocant, normâ & vitæ ſanctitate venerabilis ſenex. Qui quum in ipſos hoſtiles globos ferri noſtros videret, altiſſima, quantum poterat, voce Jeſum invocabat; ad cujus nomen veluti ademtis viribus attonitos hoſtes invaleſcentes Chriſtiani proterebant, ita ut inter pecudes pugnare leones viderentur. Quumque per hunc modum noſtri ſæpius impetu facto per media ipſa caſtra hoſtes deturbaſſent, & cæſorum cruore tellus inundaret, noctis tamdem interventu pugna diremta eſt, Turcis niſi hoc ſolo, quod nondum penitus terga vertiſſent, à victis nihil differentibus. At poſtquam primis tenebris proſpectus longior adimi terris cœpit, Mahomet duriora, quam ſperaſſet, cuncta expertus, & tunc demum pugnæ à ſuis male pugnatæ perculſus detrimento, obſidionem ſolvere, ſeque intra ſuos fines recipere longius ſtatuit, ratus beneficio noctis, occultiorem ejus diſceſſum fore. Sed contineri non potuit ingens multitudo, quin colligendis vaſis, ſeque fugæ potius quàm itineri aptando, perſtreperet. Chriſticolæ terrore diſcedentium hoſtium comperto, perculſis inſtant, adverſos cædunt, terga A dantes premunt; atque ita effuſiſſima ab Turcis fuga fieri cœpta. Ibi dum juventus, quam diximus literarum ſtudiis deditam, Imperatorem ipſum Turcorum à fuga intercludere nititur, ſeque prorumpenti cum equeſtri agmine ſtrenue opponit, exigua cohors à tanto equorum virorumque incurſu proteruntur. Et vix tamdem octo ſuperſtitibus ceteri omnes egregiâ editâ pugnâ, etſi animorum vim ſpectes, invicti, glorioſa morte decumbunt. Inſtabat nihilominus in fugientium terga Johannes Huniades cum copiis omnibus ſuis. Turcorum verò, dum præcipiti fuga Uldrinum Bulgarorum recenti vocabulo, priſco autem Triballorum, primariam Civitatem juxta Mexembrim B fluvium petunt, cædes ingens fuit, cujus numerus haberi non potuit. Multi enim in obviis paludibus demerſi, multi in Hiſtro, dum parvis navigiis urgentem aſſiduo curſu hoſtem fugere nituntur, abſorpti, præter gladio cæſos, aut labore deficientes & obtritu equorum exanimatos, perierunt. Nam non prius perſequendi, cædendique à noſtris finis factus fuit, quàm ad ipſam Uldrini Civitatem perventum eſt, quorum in tanta re, præter Scholares, tria millia deſiderata referuntur. Redeuntes verò noſtros tam inſigni victoriâ partâ, ampliſſima de ſpoliis hoſtium caſtrorum præda ditavit. Erant in ipſis caſtris tentoria mille, inſigni arte laborata, quingenta præterea ex C pannis aureis ſiriceis, bis tinctiſve confecta. Sed regium præ ceteris eminens eximiæ artis pulcritudiniſque, auro, margaritis, gemmiſque diſtinctum, cujus pretium quadraginta millium aureorum æſtimaretur, ſacris poſtea uſibus à noſtris meliori ſorte deputatum. Curruum inſuper quatuor millia, inter quos phalerati quadringenti erant, vaſis aureis, argenteiſque, nec niſi prætioſa quavis ſupellectile onuſti. Machinæ majores æneæ palmorum viginti in longitudine duodecim, & minores octo. Omnis denique bellici, caſtrenſiſque inſtrumenti copia tanta, quanta ditiſſimus, ſpeique plenus hoſtis congerere potuiſſet.

Non dubium erat, ex tanta victoria extremum hoſtibus excidium imminere. Et ſi oblato ſuperne tam inſigni dono uti victores perrexiſſent, parvo negotio non ſolùm amiſſa nuper recuperari, verùm etiam omni Europa pelli Turcos potuiſſe. Sed ea inſequuta eſt rerum permutatio, ut facile appareat, non minus victoribus quam victis pernicioſam eam fuiſſe victoriam, meliuſque Latinis contigiſſe, ſi æquo tantum marte decertatum fuiſſet. Ita quæ maxime cupimus, quibuſque potiti ſupremorum gloriamur, adverſa nobis plerumque reddit infida, incertaque rerum humanarum conditio. Quum eſſet ob rem tam ſtrenue, tam feliciter geſtam gloria, opibuſque, ut par fuit, auctus Johannes Huniades, vir alioquin auctoritate dignitateque per eas oras omnium poſt Regem primus, cœpit Regi ipſi adoleſcenti Ladislao ſuſpectus eſſe. Neque deerant tanto viro æmuli (numquam enim potens fortuna ab inſidiis tuta eſt) qui credulas Regis aures vehementius incenderent, tamquam Johanne compoſitis ad arbitrium rebus, Regni Hungariæ, cujus adminiſtrationem gereret, ſceptra invaſuro. Quæ peſtis uſque adeo efficax fuit, ut duodecimo poſt eam victoriam die, dum recreando exercitui Johannes intendit, veneno, ut fama eſt (nihil enim certi præter eam ad nos pervenit) extinctus ſit, Rege ejus rei non ignaro, auctore verò Ulri-

Digitized by Google

co Ciliæ Comite. Quæ res exercitum omnem & victoriæ cursum perturbavit. Amabatur enim à militibus Johannes, unusque præter omnes colebatur non solùm, quod rei bellicæ scientissimus, & tot adversùs impios Turcos victoriis partis clarissimus erat, sed etiam, quod mira in suos humanitate ac liberalitate ceteras militares virtutes suas condiebat. Re tamen, quantum tanti auctores potuerunt, dissimulatâ, sufficitur ab Rege Johanni Ciliæ Comes, primæ inter Regni Proceres dignitatis. Eo ergo in conciliandis sibi militum animis, reique gerendæ intento, novus ab Friderico Cæsare exercitus III. Nonas Sextiles supervenit. Erant armatorum undecim millia Cruce signatorum, ducem Lindum sequentium, valida manus, magnumque ad prosequendam victoriam momentum. Hic verò advocata concione jussu Cæsareo Johannem Salapinum Comitem, traditis Imperatoriis signis, supremum Christiani exercitus ducem creat. Is verò socium etiam sibi Oppidum cum ex Buscodinis, magnæ inter militares Hunnos duces opinionis assumit Comitem, ac postero die castra movet, & copiis omnibus Uldrinum petunt. At Turcus, qui ex media nostrorum mora ob novi ducis creationem, velut inducias quasdam nactus, novis ad veteres copias auxiliis A additis fractas vires reparabat, ubi adventare nostros sensit, relicto Uldrino, cujus munitionibus diffidebat, intra Pirotum Græcum oppidum in ripa Histri positum se recepit. Insequitur Salapinus Comes, metatusque non longe ab oppido castra, ad pugnam se parabat. Turcus, seu priore contumelia irritatus, seu quòd Johannis Huniadis morte nostrorum copias despiceret, dum superioris cladis delere ignominiam flagrantius quærit, novam addidit. Postridie igitur, ut instructi omnes in Christianos ad pugnam prodeant, edicit. Nostri promtis animis, triplici producto ordine, non segniter oblata pugnæ occasione, adversos hostes invadunt. Fit pugna atrox, hinc spe, illinc dolore animos facientibus. Sed alacritatem nostrorum militum barbarus hostis ferre non potuit. B Itaque pulsi, fractique ingenti clade Turci Ternonam usque non longe à Sophia Urbe, cruore, cædibusque campos replent. Cæsorum eo die hostium duorum & quadraginta millium numerus in castra relatus est. E nostris non incruentam victoriam adeptis, ad quatuor millia desiderata feruntur. Equorum autem, qui secundum id prœlium à nostris capti sunt, numerus vix credendus videtur. Sunt enim qui affirment supra centum millia fuisse, sed maxima ex parte strigosiorum debiliumque.

Explicit Liber Primus.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

NUnc quanti ſteterit noſtris mors Johannis Huniadis declarandum eſt, & à felici rerum curſu in deplorandas calamitates noſtras revocandus eſt ſtilus. Quum eſſet in caſtris conſtans opinio, Ulrici Ciliæ Comitis fraude Johannem extinctum, accenſi in ſui ducis ultionem veterani milites, ſub ductu Ladislai majoris natu filii impigri juvenis, quem pater ſecum in caſtra perductum paternas artes imbuerat (nam alter Matthias junior apud Regem ſimulatâ gloriâ pro obſide erat) Ciliæ Comitem adorti, qui poſt debellatum Turcum, Ladislaum Regem ſuæ curæ commiſſum in Hungariam reduxerat, cumque eo intra Caſtrum Album, quamvis excluſo armatorum ſuorum præſidio, ſe receperat, obtruncant. Hinc turbato exercitu pedem revocante, magna rerum confuſio inſequitur. Infenſi enim Johanni antea & nunc ejus liberis plerique proceres, quorum non conſiliis ſolùm, ſed auctoritati etiam adoleſcens Rex parebat, Regi ſuadent, ſumendam de Comitis cæde ultionem, neque tantum adoleſcentibus licentiæ permittendum. Ille per ſummam nihil offenſi animi diſſimulationem inde abiens, Ladislao & magnifice à ſe donato, & in Urbem Budam perducto, & hunc, & Matthiam, quem in comitatu ſuo habebat, cumque his Johannem Epiſcopum Varadienſem, & pleroſque alios magnæ auctoritatis viros, in vincula conjici jubet. Quumque nihil non apud Regem poſſent, qui tantæ rei auctores fuerant, extortum denique à Rege eſt, ut deſtinarentur ultimo ſupplicio adoleſcentes. Nec mora. Ladislaus primùm exhibitus intra Arcem ſecuri percutitur. Rumor interea de conjectis in vincula adoleſcentibus, deque exitio, quod non obſcure imminebat, univerſam Urbem invadit. Exclamant omnes indignum facinus, egregios adoleſcentes tanti patris liberos, tantumque de Republica Chriſtiana emeriti, ſeducto ad arbitrium inimicorum Rege, ultimis cruciatibus per injuriam plecti. Itaque, ut ſunt vulgi ſtudia, vel ad iram, vel ad miſericordiam prona, populariter de adoleſcentum injuria conqueruntur. Jamque res non longe à ſeditione erat. Quum Rex civili tumultu territus, inhibita Matthiæ cæde, ſedare concitatam plebem ſtuduit. Et quoniam de Ladislao actum erat, reddita ejus mortis ratione, ſervaturum ſub cuſtodia Matthiam, ceteroſque incolumes ſe recepit: delinitâque per hunc modum populari indignatione, à tumultu ceſſatum eſt. Ladislaus relictâ Budâ Viennam Auſtraſiorum caput repetit. Interea decaptis filiis, deque altero cæſo ad ..... virilis animi feminam eorum parentem, Cernomichalenque germanum fratrem ſuum, fama pervenit. Illi relictas à Johanne Huniade permagnas gazas, militareſque veteranorum copias, cum pleriſque prævalidis Oppidis, per abſentiam adoleſcentium aſſervabant. Juſto igitur dolore ſuccenſi, militares copias in id pronas augent potiuſquam contrahunt. Jamque propalam Regni Proceres ſcindi Regnum, quod nutare cœperat.

Interea Ladislaus Rex Caroli Francorum Regis, hac ætate omnium potentiſſimi, Magdalenam filiam uxorem ſibi deſpondit, miſſâque in eam rem ſolemni ex Proceribus ſuis legatione, ipſe ſub eoſdem dies, dum in Praga nuptiales apparatus inſtruit, repentino morbo extinguitur, non abſque vis illatæ ſuſpicione. Rurſum igitur inteſtinos motus ſoliciti Hungari perhorreſcebant. Sed ubi Proceres creandi novi Regis gratiâ coierunt, auctore Georgio Poggibraccio, magnæ opinionis in armis duce, qui poſt Ladislaum Bohemiæ Rex creatus erat, Matthiam, de quo prædiximus, pactum ſibi generum, nuper vinculis ſolutum, communi ſtudio Regem declarant, tanta tam ſubitò rerum mutatione facta, ut ab ipſo carcere ad Regnum creptus videretur. Iterum ergo, velut Hydræ capita, maxima diſcordiarum ſemina revireſcunt. Matthias enim, nullo reſiſtente, Regno potitus, primùm omnium inſtructas paternas regiaſque copias per limites adversùs Turcorum excurſiones, quæ per has, quas diximus, Hunnorum turbationes excreverant, opponit. Ceterum, qui mos eſt in ſecundiſſimis rebus adoleſcentium, liberius inter ſodales agere per dies feſtos, atque epulas cœpit. Sed nec ita deſiit Hunnorum vexatio. Fertur enim ſive harum rerum indignatione, ſive quavis ex cauſa permotus Cernomichales genitricis frater, acrioribus, quam expediret, verbis, coviciiſque Regem increpuiſſe; oblitus delicatas eſſe Regum aures, quin etiam ſibi de Regni adminiſtratione, pluſquam Rex pateretur, arrogare cœpiſſe. Ad quæ Rex impatiens, inſtigantibus etiam, qui latus ejus tegebant, avunculum demta Regni adminiſtratione, & impoſito ſupra verticem ignito æneo vaſe, oculis captum ſub cuſtodia claudit. Ex Proceribus præterea ſibi amicis in Regni comitatu Simonem cognomento Magnum prætulit, poſthabito Nicolao Vayvoda, eum Magiſtratum permaxime ambiente. Ille verò, velut inſigni contumelia accepta vehementius exacerbatus, cum iis, quos alioquin Regi infenſos, & in Fridericum Cæſarem ſtudio proclives, eſſe ſciebat, conjurare adversùs Matthiam Regem cœpit. Convenientibuſque in unum Proceribus ejus Regni quibuſdam, Fridericum Imperatorem, apud quem ademta Ladislao diadema, ceteraque Regia Hunnorum inſignia erant, ſuâ ſententiâ Hungariæ Regem declarant, miſsâque ad eum legatione, ut ad capeſſendum oblatum regnum Cæſarea manu accedat, invitant. Qua contentione turbatus ejus Regni ſtatus, magnis motibus concutitur. Et quæ gens antea per tot annos infractus adversùs immaniſſimos hoſtes murus fuit, converſis intra viſcera ſua gladiis, ne jam urgente inteſtino malo ad hoſtes ipſos deficiat, initiumque ruinæ Occidentali oræ fiat, maxime timetur. Nunc ad Turcos redeamus.

Mahomet ter una æſtate fuſus, cæſis copiis, caſtriſque & omni bellico apparatu nudatus, fertur de ſua regnique ſalute deſperaſſe. Jamque etiam ex gente ſua Principes quidam, ejus dicto parere aſſueti, minus obſequentes erant, infidos animos procelloſo turbine detegente. Sed recreatus eſt diſſenſionibus noſtris, divinâ erga fideles ſuos indignatione nondum lenitâ. Itaque quum per eum, qui inſequutus eſt, annum labantes ſuorum animos confirmaſſet, reparatiſque viribus per excurſiones Illyricos, Epyrotaſque, quos modo Albanenſes dicimus, ve-

Digitized by Google

vexaſſet, Alexandrum Scanderbei appellatum, fortiſſimum ducem, omni ferme ſua ditione ſpoliatum in Italiam fugere compuliſſet, inſequenti poſtea vere in Peloponneſum copias movit, direptiſque in ea oppidis pleriſque, & regione vaſtata, contra Corinthum, validam Urbem, alterum Græciæ decus, coactis viribus caſtrametatus eſt. Illa, quamdiu potuit contra barbaricas vires adnixa, irrumpenti tamdem per mutuas cædes & interfectorum cadavera tam valido hoſti, quamvis non incruentâ pugnâ, ceſſit; laceratâque miſerrime ab ingruentibus hoſtibus, par excidium Conſtantinopolitanæ cladi pro Urbis magnitudine pertulit. Exemtus interea humanis per hos ipſos dies fuerat Caliſtus Papa, quum ſediſſet in Romano throno annis III. menſibus IV. Quumque in creando novo Pontifice non parum de diſſenſione inter Patres, quibuſdam ex cauſis, timeretur, jamque ſuſpenſis ideo Populorum animis, Jacobus Picininus, militaris inclytæ famæ dux, Aſſiſium, Gualdum, Luceriamque in Umbriis, Pontificalis ditionis Urbes, occupaſſet; convenientibus tamen in unum mirâ concordiâ Patribus, Æneas Silvius (cujus ſupra meminimus) Senenſis patriâ, nobili editus genere, Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, impoſito Pii II. nomine, ſolemni ex more Pontifex declaratur. Ad cujus creationis primum nuntium, veluti depoſita omni ſolicitudine, Italia, ceteræque nationes exſultaverunt. Erat enim clariſſima hominis virtus propter ampliſſimas, quas pro concordia Principum, proque unione diſſidentis hactenus Eccleſiæ, legationes geſſerat. Conſcripta item ab eo tum mira Poëmata; tum de graviſſimis rebus luculentiſſima Volumina, quæ magno legentium ſtudio jam tum vulgata circumferebantur. Vitæ item integritas, & animi comperta magnitudo, gratiorem per has, quas diximus, Chriſtianæ Reipublicæ difficultates Pontificem Principibus Populiſque omnibus faciebant. Primumque ex eo, quanta ejus exſpectatio eſſet, claruit, quod per ejus auctoritatem compreſſa eſt ea omnis turbatio, quæ per mortem Alphonſi Regis paucos ante menſes Neapolitani regni oppida atque Urbes quaſdam ad arma impulerat, Regnumque Ferdinando filio novo Regi, jubente Pontifice, ſtabilitum eſt. Jacobus item Picininus, nihil non per arma auſurus, nulla vi perculſus, ſed ut tanti Pontificis gratiam iniret, occupatas à ſe Urbes libere Pii Pontificis ditioni reſtituit. Quin etiam quum arctiſſimâ Friderico Cæſari benivolentiâ devinctus Pontifex eſſet, & illius ſuaſu, & ſua ſponte præcipuus apud Caliſtum auctor fuerat, ut ad ineundam adversùs Turcum ſupremis conatibus terrâ marique expeditionem, Chriſtiani Reges, Principeſque, & Populi omnes, quanta poſſet auctoritate Summus Pontifex, excitarentur, eo vitâ functo, intellexerat Pius deſtinatum ſe ſuperne in id operis, cujus antea acerrimus impulſor fuiſſet; & quo jam magis incendium invaluiſſet, eo ferventius agendum ſibi, obviamque eundum eſſe. Nam quanto in periculo Romana Eccleſia, & ante ceteras nationes objecta à latere & à fronte hoſtili furori Italia, verſarentur, ex iis, quæ ſupra expoſuimus, nimium jam oculis ipſis cernere datur.

Re igitur inter Patres, primum variantibus ſententiis, in aliquot dies agitatâ, ubi inter ſe cum Pontifice convenere, Pius Oratores Principum, quotquot in Romana Curia adeſſe contigit, præterea præcipuæ dignitatis in Eccleſia viros, in Sacellum, quod in Pontificali Palatio juxta Baſilicam Principis Apoſtolorum ſitum eſt, convocat. Adfuere ibi ex Eccleſiaſtico ordine Beſſarion Græcus, Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis; Guillielmus item ex Totavilla Normannus, tituli Sancti Martini in montibus; Latinus Urſinus, tituli Sancti Johannis & Pauli; Philippus, tituli Sancti Laurentii in Lucina; Alanus Brito, tituli Sanctæ Praxedis; Nicolaus Cuſa, tituli Sancti Petri ad Vincula; Petrus Barbus, tituli Sancti Marci; Ludovicus, tituli Sanctorum quatuor Coronatorum; Johannes, tituli Sanctæ Priſcæ; Jacobus, tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, Presbyteri omnes Cardinales; & Rodericus, tituli Sancti Nicolai in Carcere, Diaconus Cardinalis, Vicecancellarius. Ex Epiſcopali autem dignitate interfuerunt Jacobus Raguſinus, Johannes Coloſſenſis ſive Rhodius, Euſtaſius Montis-Regalis, Archiepiſcopi. Epiſcopi verò Nicolaus Hortenſis, Angelus Reatinus, Dominicus Torcellanus, Jacobus Feltrenſis, Franciſcus Ferrarienſis, Berardus Spoletenſis, Triſtanus Coſorenſis, Sonnes Maglonienſis, Georgius Lauſanenſis Vicecamerarius, Jacobus Peruſinus, Emmanuel Sutrinus, Johannes Volaterranus, Philippus Aretinus, Placidus Parentinus, Marcus Alexandrinus, Franciſcus Interamnenſis, Angelus Catarenſis, Nicolaus Coronenſis, Johannes Placentinus, Jacobus Monteferetrenſis, Ambroſius Electenſis, Andreas Urbinas, Johannes Fulginas, Iſnardus Graſſenſis, Coſmas Gerundenſis, Gabriel Uticenſis, Urbanus Sibinicenſis, Lellus Narnienſis, & Guillielmus Cotronenſis. Præterea Abbates, Blaſius Sancti Ambroſii Mediolanenſis, Johannes Foſſæ Novæ Terracinenſis, Andreas Sanctæ Juſtinæ Aquenſis, Athanaſius Sanctæ Mariæ Syracuſanus, Johannes Rivipuli Vicenſis, & Johannes Sancti Bernardi extra Muros Valentinos. Apoſtolicæ item Sedis Protonotarii, Geosgius Cæſarinus, Stephanus Nardinus, & Stephanus alter Butigella, Gaſpar Volaterranus, & Angelus Piſanus. Principum verò Oratores hi fuerunt, Hiſpaniæ ulterioris, quam Caſtellam vulgo appellamus, Celtiberiam à priſcis dictam; Siciliæ citra Pharum, ut nunc ſermo eſt; Portugalliæ, & Daciæ Regum, præterea Burgundiæ, Mediolani, & Mutinæ Ducum. Pro Civitatibus item, quæ ſuo jure Rempublicam agunt, Venetorum, Florentinorum, Senenſium, & Lucenſium. Hos ubi frequentes adeſſe Pius vidit, magna hominum exſpectatione dicere orditur:

„ Ut apertum vobis faciamus, Viri fratres,
„ quam ob cauſam convocati hunc in locum
„ eſtis, convenire primo loco cenſemus, tum
„ deinde quantum negotii immineat, & in
„ quo denique conſilium, operam, opemque
„ veſtram requirere ſummum rei diſcrimen
„ urgeat, exponemus. Multa enim per hos
„ dies cum his venerabilibus Fratribus noſtris
„ Cardinalibus colloquuti ſumus; multiſque
„ cogitationibus laborantes, atque invicem
„ diſſerentes quæſivimus, quonam pacto ad-
„ versùs ſævientem in nos, omneſque Chri-
„ ſtianæ Religionis cultores, Turcorum impu-
„ riſſimorum hoſtium procellam iri poſſit, eo-
„ rumque inflammata vehementius de peſſum-
„ danda Chriſti Dei noſtri Lege opinio retun-
„ di. Quem enim mortalium latere poteſt,
„ quorſum tendant tanti eorum conatus inſo-
„ lenti etiam felicitate aucti? expugnata pau-

„ lo ante Conſtantinopoli, tanta Urbe, tutiſ-
„ ſimo hactenus per tot ſecula adversùs bar-
„ baricos furores receptaculo, eodemque pro-
„ pugnaculo; Græciâ omni ſubactâ: depopu-
„ latâ etiam nuper à crudeli hoſte Corintho;
„ profanatis per ſummam contumeliam in ſin-
„ gulis Urbibus ſacris noſtris; Hungaris per
„ tot annos tantæ molis faſcem vix ſuſtinenti-
„ bus, & nunc etiam diſcordiis inter ſe labo-
„ rantibus; & ſi diligentius conſiderare volue-
„ rimus, Italiâ magna ex parte circumvallatâ.
„ Intelligimus quidem ex hoc denique Ponti-
„ ficatus onere, quod invalidis humeris no-
„ ſtris occulto judicio ſuo Deus impoſuit,
„ expeti à nobis primas hujus rei partes. Et
„ nos quidem id libenter ac ſtudioſe facturi
„ ſumus. Sed excedit ſupra modum vires no-
„ ſtras tanta ſarcina, tantoque impares oneri,
„ ut ingruentem vim repellamus, ſufficere
„ ſoli nullo pacto poſſumus. Agitur autem
„ non tantum de Apoſtolicæ Sedis ſalute,
„ quæ etiam ſi ſola pateretur, digna tamen
„ eſſet, quum ſit Eccleſiæ caput, pro qua
„ Principes, Populique omnes Chriſti Dei cul-
„ tores decertarent. Verùm blaſphematur à
„ nefandis hoſtibus omnis Chriſtiana Religio,
„ nec blaſphematur tantùm ſed conculcatur.
„ Et niſi auxilio ſimus, in ruinam, ſupremum-
„ que excidium trahitur. Itaque quum de Re-
„ publica Chriſtiana agatur, deque communi
„ omnium noſtrum parente ſancta Catholica
„ Eccleſia, in qua renati, & in ſpe cœleſtis
„ regni poſiti ſumus, ſtatuimus, vos omnes
„ hujus rei, conſiliique noſtri participes face-
„ re, cujus causâ nunc in locum hunc eſtis
„ convocati. Nunc inter varias cogitationes
„ noſtras, quid potiſſimum ex communi vene-
„ rabilium horum Fratrum noſtrorum ſenten-
„ tia cenſuerimus, animadvertite. Nos in pri-
„ mis in altiſſimi Dei clementia, cujus ovile
„ ſumus, ſpem noſtram collocantes, exponen-
„ das in hoc facultates quantaslibet, exhau-
„ riendoſque ex intimo ſinu Eccleſiæ theſauros
„ omnes cœleſtes, terreneſque propoſuimus;
„ confiſi non defutura nobis Chriſticolarum
„ Principum, Populorumque auxilia.

„ Sed, ut eos in hanc expeditionem invi-
„ tantes celerius excitemus, (res enim urget)
„ tria nobis remedia proponebantur. Horum
„ primum erat, ut miſsâ ad ſingulos legatio-
„ ne eos adhortaremur, conteſtaremurque, &
„ adjuraremus, ne commune Fidei & Religio-
„ nis noſtræ cauſam deſererent. Inſurgerent
„ omnes Deo auſpice, pro ea decertaturi,
„ quam regnis omnibus, liberiſque & vitæ
„ demum propriæ, præferri decet. Sed me-
„ moriâ repetentes id ipſum ab anteceſſoribus
„ noſtris factum, parum profuiſſe, velut ineſ-
„ ficax in tam urgenti periculo remedium,
„ dimittendum cenſuimus. Videbatur ſecun-
„ do loco, eos omnes in hanc Urbem, Ro-
„ manamque Curiam ad nos evocandos eſſe,
„ ut in commune de ineunda quamprimum
„ expeditione tam ſancta, tam neceſſaria,
„ poſthabitis ceteris curis omnibus, conſulta-
„ remus. Sed & in hoc parum ſpei repoſitum
„ videbatur. Nam & locus eſt pleriſque Prin-
„ cipibus, ut ſe huc conferant, perincommo-
„ dus, & nos interea quieſcentes intra Sedem
„ hanc noſtram, videremur exſpectationi no-
„ ſtræ minime ſatisfacere, neque ſolito am-
„ plius adniti: pauciſque credibile fieret eo
„ nos indefeſſo, flagrantique ſtudio in hanc
„ expeditionem animatos eſſe, quo profectò

A „ ſumus; & eſſe detur modò vita, manifeſto
„ documento univerſus mundus intelliget. Re-
„ ſtabat igitur, quod tertio loco propoſitum
„ fuerat, ut non ſermone ſolùm ſed opere
„ etiam ipſo exemplum de nobis ceteris præ-
„ beremus; & relicta hac Urbe, ſummorum
„ Pontificum patriâ, in locum ex omnibus
„ magis idoneum, commodumque, ad hoſtes
„ versùm, ad quem ex omni occidua ora con-
„ venire Principes & Magiſtratus quique poſ-
„ ſent, nos conferremus: in quo apparatus,
„ initiaque gerendi belli jam nunc auſpican-
„ tes, venientes Principes præſtolaremur, à
„ nobis propediem invitandos, cum quibus de
„ ratione belli, deque omnis rei adminiſtra-
B „ tione conſultaremus, & ubi conſultum eſſet,
„ mature exſequeremur. Viſa eſt hæc ſenten-
„ tia ceteris efficacior; quam nunc ideo vobis
„ communem facimus. Congregationis locus
„ aut in Utini Civitate erit, aut Mantuæ,
„ propter maximam utriuſque in hoc oppor-
„ tunitatem. Horum uter præferendus ſit bre-
„ vi deliberabimus. Qua in re etiam ſenten-
„ tiam veſtram, ſi quid viſum fuerit, liben-
„ ter audiemus. Vos modò, Oratores, qui
„ Principum veſtrorum corda noſtis, liberis
„ animis judicium his de rebus veſtrum, &
„ quantum ſpei in unoquoque Principum ve-
„ ſtrorum ad hanc expeditionem adjuvandam
„ collocare debeamus, in medium depromite;
C „ benedictionem ab omnipotenti Deo pro fide
„ operaque hanc in rem veſtra multiplicem
„ ſuſcepturi.

Quum finem dicendi feciſſet Pontifex, ſilen-
tium omnes aliquamdiu tenuit, demirantibus
cunctis cum rei magnitudinem, in quam ſe
Pontifex deſtinaſſet, tum verò ejus dicendi
vim. Nihil enim Pii concionantis majeſtate
ſublimius. Rupto ergo ſilentio Beſſarion pri-
mæ inter Patres dignitatis, & qui ob egregias
animi dotes, peritiamque in humanis ac divi-
nis rebus non tantum ævo noſtro inter paucos
illuſtres viros collocandus ſit, ſed etiam pri-
ſcis illis, qui in pretio habentur, comparan-
dus; *Audiſtis*, inquit, *clariſſimi Oratores, quam*
D *indefeſſo animo quantos labores, quanta pericula*
ſubire decreverit beatiſſimus Pontifex noſter,
quem nos ſequuturi ſumus; ut ſaluti conſulat
Reipublicæ Chriſtianæ, oblitus invalitudinis ſuæ,
& incommodorum, quantacumque perferenda
ſint, Dominici præcepti memor, qui paſtorem bo-
num animam ſuam pro ovibus ponere jubet. Nos
quidem æſtuantibus inter has conſultationes, quas
nunc percepiſtis, animis, multos jam dies noctes-
que ob præſentis periculi magnitudinem vigilan-
tes ac ſoliciti fuimus. Nam quantum periculi
immineat Romanæ præſertim Eccleſiæ, vel ex
hoc ſolo cognoſci licet, quod Apolloniæ Turcus
dominatur munitæ Civitati in ipſo maris litore,
E *& è regione Calabriæ, paucarum horarum navi-*
gatione interpoſita. Viſâque tamdem rei matu-
randæ causâ, communi deliberatione noviſſima
ſententia ceteris anteferenda. Decet igitur & vos
ſemota omni cunctatione, quid ſentiatis, & quid
ſperandum ſit, in medium proferre. Niſi enim à
Principibus Chriſtianis adjutus fuerit in tanta
re, quæ omnes tangit, invalidi erunt ipſius co-
natus, tantique labores ab eo fruſtra ſuſcepti.
Hæc ab eo ubi dicta ſunt, aſſurgens Roderi-
cus Epiſcopus Onetenſis Orator Regis Caſtel-
læ, *deberi*, inquit, *maximas ab omnibus, qui*
adeſſent, Pio Pontifici gratias, quòd quæ ſponte
ſua cogitare, edicere & perficere eum potuiſſe
exploratiſſimum eſt, dignatus tamen ſit communia
ipſis

ipsis Oratoribus ac reliquis facere, maximum profectò benevolentiæ, caritatisque argumentum. Verùm quod ad Regem suum pertineret, quem omnes scirent infractum pro Christiana Fide pugilem continuata fere adversùs Christi hostes bella gerere, nihil dubitare se, quin & terrestribus & maritimis copiis auxilio esset, tam sanctæ rei, & Pontificis jussa studiosissime complecteretur. Esse illos Hispanorum animos & gentis vires, ut nonnisi optime de eo a Pontifice sperandum esset. Insequutus Archiepiscopus Beneventanus, Orator Ferdinandi Regis (nec enim per singulas legationes uno amplius dicendum erat) ubi pares gratias egisset, optare se dixit, ut Ferdinandus Rex ipse concioni illi interesset, quo certior fides haberetur. Nihil enim illi magis cordi esse, quam ut susceptum à patre suo Alphonso votum, tunc quum sanctissimo Crucis charactere cum Proceribus suis insignitus est, ipse paternæ pietatis ac voti certissimus heres impleret. Pergeret modò Pontifex, ac reliquos animaret. Regiam enim Ferdinandi classem, & terrestres copias adversùs Turcos impios Christi hostes pro jussu Pontificis in promtu fore. Similia fere Johannes Portugalli Regis Orator loquutus, & ipse Regem suum magnam jam pridem classem adversùs nefarios hostes instruere constituisse affirmabat, idque nunc eo promtius facturum, quum viderit Summum Pontificem, ceterosque Christi cultores insurgere. Post eos Johannes Episcopus Atrebatensis Philippi Burgundiæ Ducis Orator, magna & ipse de Principe suo pollicitus, Pontificem ac ceteros inflammabat. Commemorabat enim concitatum sua sponte Principem suum, nunc denique intellecto Pontificis ac ceterorum Principum nisu, ardentius insurrecturum.

Post eum Nicolaus Secundini pro Republica Venetorum verba faciens, quamvis, inquit, ab Senatu Veneto, utpote ejus rei ignaro, mandata in eam rem præcipua nulla haberet, quia tamen multos jam annos inter Magistratus arcanaque consilia ejus Reipublicæ versatus esset, audere se fidentius de iis, quæ sibi nota essent, proloqui. Scire se Turcas occiduis omnibus infestissimos hostes esse; sed ante omnes Italiæ imminere. Intolerandam esse eorum superbiam, crudelitatemque, gentemque, conventa violare semper solitam. Senatum Venetum occasionem exspectare, qua simul cum reliquis Christianis Principibus valido conatu in nefandos hostes insurgat, pronosque in eam rem Venetos semper fore. Tunc Otto Carretus Franciſci Sfortiæ Mediolanensis Ducis Orator, nihil dubitandum esse multis rationibus ostendebat de Principis illius in hanc rem studio ac voluntate, qui veluti certissima quædam pignora fidei & observantiæ suæ erga Apostolicam Sedem, tanta pro Romanæ Ecclesiæ dignitate gessisset, quanta ipse Pontifex ac ceteri omnes nossent. Et nunc multo impensius ad restinguendum commune incendium vires omnes, militaresque copias suas, quas antea multis bellis vincendo semper invictas fecisset, & se ipsum denique exhibiturum esse. Antonius deinde Florentinorum Archiepiscopus & Orator, Pontificis mentem, susceptamque ab eo tanta animi magnitudine expeditionem, multis verbis laudate perrexit. Obtulit in eam rem, ferventibus animis paratos esse Florentinos, de quibus antea semper Ecclesiæ Romanæ obsequentissimis, nunc in tanta re experimentum sumere ne dubitaret. Bartholomæus post hæc Ravennas Archiepiscopus gravi & ipse oratione Principem suum Borsium Mutinensem Ducem non defuturum facultatibus & copiis suis omnibus, ut iretur obviam immanissimis hostibus, affirmabat. Confederat fortè non inter Oratores, sed novissimo etiam inter Episcopos, loco Paulus Episcopus Bergensis, Daciæ Regis Orator. Is præfatus, dignitatem Regiam non ideo violari, si quis pro ea inter postremos loqueretur, se verò ob eam causam inter Regios Oratores non consedisse, quod procurationis suæ regiæ terminus jam pertransisset, novamque exspectaret, multa in medium de potentia, immensisque opibus Regis sui narravit. Esse sub illius ditione quadringenta millia Parœciarum, quarum quælibet singulos armatos stipendiis propriis, quamdiu Rex vellet, & quoties exercitum educturus esset, militaturos ex lege datura sit. Protendi præterea eousque Regni sui longissimos fines, ut quas Turcus in Europa possidet regiones, & à latere & à tergo invadere facile possit, magnisque cladibus afficere. Esse bellicosas ejus Regis nationes, & quas Turci antea declinaverint; ipsumque Regem Romanæ Sedis cultui devotum & à quo ingentia in hac expeditione auxilia speranda essent. Ceterum quia miranda concioni videbantur, quæ is exposuerat, Pius vera esse, quæ ab illo dicerentur, affirmavit; permaximas namque esse ipsius Regis vires, quod quidem ipse exploratum haberet, ac præterea laudatum Episcopum jussit in Oratoris regii locum deinceps succedere. Leonardus tamdem Senensis Orator voce animoque forti: *Felicia*, inquit, *Pie Pontifex, Vinciguerræ patris tui, & Victoriæ matris nominibus auspicia cape, Deumque tibi fautorem in tanta re, quam magno animo complexus es, affore confide. Senensium verò res, facultatesque offerre tibi superfluum est, quum hæc omnia in potestate habeas tua.* Ad has Legatorum unanimes voces, quæ etiam timidum quemque animare potuissent, Pontifex confirmatus, jamque lætior factus, edixit, ut tertio posthac die in publico consessu quam solemniter omnes adessent. Ibi auditâ primum Senensium, quæ pridie ejus diei advenerat, legatione, responsoque dato, in quo multa ad Senensium gloriam pertinentia recensuit, quæ ne ipsi quidem Oratores attigerant, sed de Alexandro præcipue Pontifice Senensi patria, invicti animi viro, multa subinde adnexuit ad rem, de qua loquimur, facientia. Plurimi enim aderant priori congregationi non admissi. Factoque dicendi fine, recitari publice jussit conscriptum à se in eam rem luculentissimo dicendi genere Decretum. Quod quia præsentium temporum conditiones diffusius aperit, multamque scitu digna continet, quæ nos ea de causa consultò prætermisimus, ne sæpius inculcarentur, his scriptis interserendum censuimus. Id verò hujusmodi fuit.

„ Pius Episcopus, servus servorum Dei,
„ universis & singulis Christifidelibus has no-
„ stras literas inspecturis salutem & Apostoli-
„ cam benedictionem. Vocavit nos pius & mi-
„ sericors Dominus ad sacram Beati Petri Se-
„ dem, viceſque dilectissimi filii sui Domini
„ nostri Jesu Christi debilibus humeris nostris
„ commisit in terris. Pasturam gregis sui cre-
„ didit, & alte fluctuantem pelago fidelis Po-
„ puli regere naviculam jussit. Gravis hæc
„ quidem nobis sarcina est; nec nostræ vires
„ sunt, quæ tanti regiminis ferre molem suffi-
„ ciant. Procellosum est valde mare atque in-

„ feſtum, per quod nobis navigandum eſt. „ Nutat ac fatiſcit carina, qua vehimur. „ Trepidant ac deficiunt remiges. Venti ad„ verſi ſunt, & in horrida tempeſtate jactamur. „ Nam poſtquam Conſtantino Principe pax „ reddita eſt Eccleſiis, numquam ea Dominici „ gregis preſſura fuit, quam modo cernimus. „ Numquam adeo coarctatos Catholicæ Fidei „ limites ſuperior ætas vidit. Exiit olim in„ omnem terram ſonus Apoſtolorum, & in„ fines orbis terræ verba eorum. Subjecerunt „ omnes fere Reges terræ: omnes Tribus, „ omnes Populi colla ſua Chriſto Domino, & „ ſalutaris Fidei ſacramentis imbuti, gloriam „ in excelſis Deo per unigenitum Filium ejus, „ & in terris pacem hominibus bonæ volun„ tatis acclamavere. Surrexit deinde annos „ jam ſupra Octingentos pſeudopropheta Ma„ homet, qui blaſphemans ſacratiſſimam Tri„ nitatem, non ſolùm contribules ſuos, ſed „ Ægyptios, atque omnem Syriam, à vera & „ orthodoxa Religione avertit. Officium no„ ſtræ ſalutis, in qua Deus noſter pro noſtra „ redemtione pretioſum Sanguinem fudit, bar„ barus hoſtis invaſit. Lectum illum purpu„ reum, & ſuaviſſimis fragrantem odoribus, „ in quo propter nos vita noſtra obdormivit „ in Domino, ſpurciſſimæ Saracenorum manus „ obtrectavere atque obtrectant, & quæſtus „ tamen causâ Chriſtianis oſtendunt. Recupe„ ravit ea ſancta loca Chriſtiana virtus, ali„ quando zelo fidei atque armis potens; mox „ defidia atque ignavia perdidit. Paulati„ deinde omnis Aſia eſt amiſſa, & Lybiæ Po„ puli defecerunt. Eccleſiæ pulcherrimæ, quæ „ invocabant Dominum noſtrum Jeſum Chri„ ſtum, illique pſalmos dies noctesque decan„ tabant, nunc horridum atque abominandum „ Mahometis nomen implorant, & relicto veri „ Dei cultu, nefandis imbutæ ſacris, obſcœnis „ ſerviunt ceremoniis. Tranſmiſſum eſt Gadi„ tanum fretum, & ad Hiſpanos uſque Maho„ metis penetravere venena. Magna pars Be„ ticæ à nobis aliena eſt, in qua regnum Sar„ raceni obtinent, quod Granatæ vocant, no„ mini Chriſtiano apprime infenſum. Ex altera „ parte, qua versùs Orientem Europa porrigi„ tur, non potuit mare Chriſtianam Religio„ nem tueri. Barbara Turcorum gens, Deo „ atque hominibus odioſa, ex orientali Scy„ thia progrediens, Cappadociam, Pontum, „ Bithyniam, Troadam, Piſidiam, Ciliciam, „ & omnem, quam vocant, Minorem Aſiam „ occupavit. Neque contenta his, impotentiâ „ & diſſenſionibus Græcorum freta, Helleſpon„ tum tranſmiſit, omneſque ferme Græcanicas „ Urbes Atticæ, Bœotiæ, Phocidos, Achajæ, „ Macedoniæ, & Thraciæ occupavit. Reſta„ bat Urbs regia Conſtantinopolis, totius „ Orientis columen atque caput, Patriarchalis „ atque Imperatoria ſedes, unicum Græcæ ſa„ pientiæ domicilium; ubi tot magnificentiſſi„ ma templa, tot ſacraria, tot palatia Princi„ pum, tot nobiliſſimæ Civium ædes olim fue„ re, tot publica & privata opera ingenti ſum„ tu, ſingulari induſtriâ conſtructa: ut exteri „ eò venientes admirati ſplendorem Urbis, „ non tam mortalium quàm cœleſtium eam eſſe„ patriam dixerint. Hanc quoque diebus no„ ſtris, dum Latini inter ſe diviſi Græcos de„ ſerunt, Turcorum crudeliſſima natio invaſit, „ exſpoliavit, deque ea Urbe triumphavit, quæ „ toti Orienti leges dedit. Peloponneſus quo„ que, hac Urbe devicta, armis capta eſt, &

A „ Chriſtianus Populus in ſervitutem ductus. „ Acarnania nunc vaſtatur & Epirus. Servia, „ quæ quondam ſuperior Mœſia dicta, paucis „ exceptis, in poteſtatem hoſtium venit. „ Boſnenſes, ſeu Illyrii, Dardani, & Pæones „ tributa Turcis pendunt.

„ Neque hoc modo quieſcit efferata Turca„ rum rabies. Injuſtæ gentis Dominus, tetra „ potius bellua quàm Rex appellandus, viro„ ſiſſimus draco potius dicendus quam Impe„ rator, ſanguinem humanum ſitiens, coactis „ ingentibus copiis Hungaros urget; hinc Epi„ rotas, Albanoſque vexat; & tumens opinio„ ne ſui, ſacroſanctum Evangelium, omnem„ que Chriſti Legem everſurum ſe jactitat;

B „ Chriſtianis vero, ubicumque fuerint, vincu„ la, verbera, cædes, & horribiles cruciatus „ minatur. Non dormit hoſtis humani generis, „ ſed circuit quærens quem devoret. Hinc „ Turci premunt, inde inſultant Saraceni. „ Chriſtiani Principes, quibus Turci nulla ra„ tione pares eſſe poſſent, inter ſe diſcordes, „ ſuas potius injurias, quam Chriſti contume„ lias ulciſci contendunt, & privatas utilitates „ præferunt publicis. Alii marcentes otio, „ deliciis indulgent. Alii cumulandis opibus „ inhiant; neque Sacerdotes, neque Populares „ ſuum ſatis officium faciunt. Cultus divinus „ ubique imminutus eſt. Neque ſuperiores ju„ ſtitiæ ſemitam tenent, neque inferiores obe-

C „ dientiæ colla ſubmittunt. Confuſa omnia & „ turbata ſunt. Blaſphematur paſſim divina„ pietas, & in mandatis ſuis contemnitur Deus. „ Nullus timor, nulla reverentia legum. Hanc „ ob rem nobis iratum cœleſte Numen proſpe„ rari adversùm nos Turcorum arma permit„ tit; & qui reliquis gentibus imperare ſole„ bant, Chriſtianos infidelibus barbaris tribu„ tarios vectigaleſque fecit. Ad hæc nos tem„ pora vocati ſumus. Ut his malis obviemus, „ in Romano Solio collocavit nos Deus. Dif„ ficilis ſane provincia commiſſa eſt nobis. „ Scimus imbecillitatem noſtram, & ſub tan„ to dignitatis pondere mirum in modum tre„ pidamus. Non tamen diffidimus animo, nec

D „ de Chriſti miſericordia deſperamus. Sed „ quanto inferior eſt minor virtus dignitate„ credita, tanto majus ex alto auxilium præ„ ſtolamur. Etſi enim inſcrutabilia ſunt ma„ gni Dei judicia, & inveſtigabiles viæ ejus „ (nec poteſt humana curioſitas ejus arcana„ pertingere) illud tamen exploratiſſimum eſt, „ veritatem noſtram, quæ Chriſtus eſt, non „ poſſe mentiri. Exſtant ejus oracula, ac in„ Evangelio ſancto certa promiſſa, quibus af„ futurum ſe Dominus uſque ad conſumma„ tionem ſeculi cum ſuo grege teſtatus eſt. „ Confidimus in ejus potentia, quia recte va„ dentibus non deerit. Cœlum & Terra tranſ„ ibunt: verba ejus promiſſaque numquam„

E „ deficient, neque à Lege ſua præteribit unus „ apex. Fluctuat ſæpe numero Apoſtolica na„ vis, ſed non demergitur; concutitur, ſed „ non frangitur; oppugnatur, ſed non expu„ gnatur. Tentari ſinit Deus electos ſuos, „ vinci non ſinit. Ob eam rem, quamvis tem„ peſtate noſtra turbidum Eccleſiæ ſtatum in„ venerimus, & naufragoſum nimis circa fide„ le navigium mare, non tamen fiducia deeſt, „ quin eo juvante, qui de ſuis theſauris pro„ duxit ventos, & illis imperat atque mari, „ ſalutis portum pertingere valeamus. Non„ poſſumus certa de futuris polliceri, quæ „ divina Majeſtas cœcâ caligine occuluit. Illud

„ no-

Digitized by Google

„ nobis fas eſt promittere, & palam prædica-
„ re, quia non derelinquit Deus ſperantes in
„ ſe. Exſtant in ſacris Literis exempla innu-
„ merabilia, ſpem nobis optimam offerentia.
„ Præterimus mirabilia facta Moyſi, & qui ei
„ ſucceſſit Joſue. Tranſimus Gedeonem, Jeftem,
„ Samſonem, & quos Libri Judicum memo-
„ rant, parva ſæpe manu innumerabiles fudiſ-
„ ſe, quum ad divinum confugiſſent auxilium.
„ Adoleſcentulum David adversùs ferocientem
„ Goliat manus nequaquam divina deſtituit.
„ Ezechiæ Regi obſidionis mala ferenti non
„ defuit Angelus Domini, qui Senacheribi po-
„ tentiſſimi Regis trucidaret exercitum. In
„ parva Bethuliæ Civitate Judæos adversùs ſu-
„ perbum Olophernem per manus pauperculæ
„ viduæ tutatus eſt Dominus. Machabæi quam-
„ ſæpe numeroſas deleverunt Antiochi copias,
„ quamvis eſſent ipſi pauciſſimi & inermes.
„ Adfuerunt in Domino confidentibus divi-
„ na præſidia. Non eſt abbreviata manus Do-
„ mini, quamvis noſtra peccata creverint,
„ quæ oculos ejus à nobis everterunt. Propter
„ peccata noſtra evenerunt nobis mala. Scele-
„ ra noſtra nos odioſos fecere. Iniquitates no-
„ ſtræ peſſumdaverunt nos. Aggravata eſt ma-
„ nus Domini ſuper Populum peccatorem, &
„ tradita eſt flagellis Chriſtiana ſuperbia.
„ More ſuo agit nobiſcum Deus. Quos diligit,
„ corrigit atque caſtigat. Paterna hæc ſunt
„ verba, emendationem magis quàm pœnam
„ exigentia. Quod ſi revertamur ad clemen-
„ tiam ejus, emendantes opera noſtra & do-
„ lentes ſuper iniquitatibus pœnitentiam facia-
„ mus, mutabit & ipſe Deus ſententiam ſuam,
„ & furorem, quo erat in nos accenſus, in
„ amorem vertet & gratiam. Numquam ſua
„ miſericordia implorantibus denegatur. Pro-
„ nus eſt ad veniam Dominus, neque nos æqua
„ lance cum Turcis expendit. Nos filii adopti-
„ vi, illi emancipati; nos ſuæ Civitatis cives,
„ illi hoſtes: nos intra Eccleſiam, illi extra.
„ Nos Sacramenta ſua recipimus, illi contem-
„ nunt. Nihil nobis obſtat, niſi quod divinam
„ Legem negligentes humana vincimur fragi-
„ litate, & ad peccandum proni ſæpe timorem
„ Dei poſtponimus, neque, ut obligati ſumus,
„ divina præcepta ſervamus. Quod ſi conver-
„ tamur, & corde ſimplici Dei miſericordiam
„ imploremus, non eſt dubium, quin ſecunda
„ omnia nobis fiant, & reconciliatus nobis
„ Dominus ſuper hoſtes noſtros furorem ſuum
„ extendat. Factum eſt periculum ſuperiori-
„ bus diebus. Nam quum intraſſet Hungariam
„ Turcarum ductor in manu potenti, & in
„ numeroſiſſimo peditum equitumque exercitu,
„ & confideret in potentia ſua, cunctaque
„ proſternere non dubitaret, paſſim tunc Cru
„ ceſignati inermes & nudi, ſola Fide armati,
„ & cœleſti muniti præſidio, tantum exerci-
„ tum delevere. Quid ſperandum fuerit, ſi
„ convenientes in unum Chriſtiani Principes
„ pro defenſione Catholicæ Fidei, concorditer
„ arma capeſſant? Non eſt tanta Turcorum
„ potentia, quanta vulgo creditur, nec pares
„ illorum vires noſtris exiſtunt. Quippe & nu-
„ mero militum, ac robore, ſplendoreque ar-
„ morum, & rei bellicæ peritiâ, Chriſtiani
„ ſemper ſuperiores fuere quam Turci. Quod
„ ſi aliquando noſtri exercitus victi ſunt, di-
„ vina magis permiſſione id actum eſt propter
„ delicta noſtra, quam virtute hoſtium, nec
„ umquam illis incruenta victoria obvenit.
„ Nec noſtri totis viribus, ut illi, pugnave-

A „ runt, ſed pauci ex noſtris adversùs omnem
„ illam eorum potentiam commiſere certamen.
„ Et tamen ſæpe felicem exitum invenere,
„ quemadmodum paulo ante in Ungaria con-
„ tigiſſe retulimus. Et nunc ergo ſi oculos no-
„ ſtros dirigamus in cœlum, ſi renuntiantes
„ nequitiæ, clypeum Fidei ſumentes, adversùs
„ vivificæ Crucis hoſtes cum bona fiducia mi-
„ litaverimus, certabit Dominus, & vexillum
„ ſuum faciet nobiſcum ſignum in bonum, &
„ victoriam dabit in manu noſtra. Nec ultra
„ permittet Chriſtianis imperare Turcos. Hac
„ nos ſpe ducti & animati, quæ prædeceſſores
„ noſtri pro defenſione Catholicæ Religionis
„ adversùs Turcas, ceteroſque barbaros Chri-
B „ ſtiani nominis hoſtes inchoaverunt, totis co-
„ natibus proſequi decrevimus, & adjuvante
„ Altiſſimo complere & perficere confidimus.
„ Nam etſi fuit illis prudentia major, conſi-
„ lium perſpicacius, experientia diuturnior,
„ deſiderio tamen ac fervore tantæ rei nulli
„ eorum cedimus. Deus, qui tribuit voluntа-
„ tem bene agentibus, poteſtatem proſequendi
„ pro ſua benignitate non deneget. Bellum
„ adversùs Turcos terrâ marique noſtri præ-
„ deceſſores indixere. Hoc nunc gerere no-
„ ſtrum eſt. Neque detrectamus laborem, ne-
„ que ſumtus fugere animus eſt. Nihil erit in
„ poteſtate noſtra, quod in expeditionem tam
„ ſanctam, tam utilem, tam neceſſariam, pro-
C „ fundere recuſemus. Nec nobis expenſæ gra-
„ ves erunt, nec tœdioſi labores. Verùm quia
„ rem magnam ſumus aggreſſuri, & cauſa com-
„ munis eſt, quam proſequimur (agitur enim
„ de tutela Chriſtianæ Fidei, in qua omnes
„ renati ſumus, & ſine qua ſalvari non poſſu-
„ mus) neceſſarium nobis viſum eſt, quod
„ communibus opibus atque viribus eſt agen-
„ dum, id communi conſilio tractandum eſſe.
„ Volventes igitur animo, & ſedula medita-
„ tione penſantes, quonam pacto Chriſtianæ
„ vires, ad decernendum tam utile bellum,
„ in unum coire poſſent, nullam expeditiorem
„ viam reperimus, quàm ſi Chriſtianos Prin-
„ cipes ac Potentatus in unum aliquem locum
D „ convocemus, in quo cum ipſis, aut eorum
„ Oratoribus pleno mandato ſuffultis, per nos
„ ipſos conveniamus, ac de tali expeditione
„ tractemus, & tamdem aliquid Chriſtiano di-
„ gnum nomine concludamus.
„ Cogitantibus autem de conventionis loco,
„ duo nobis occurrerunt, vix trium dierum
„ itinere inter ſe diſtantia, quæ penſatis rerum
„ ac temporum conditionibus ſatis opportuna
„ eſſe videntur. Mantua ſcilicet ad Mincium
„ ſita fluvium, haud procul à Lacu Benaco,
„ & Utinum in agro Forojulienſi. Nam Man-
„ tua vicina montibus, qui Galliam ac Ger-
„ maniam ab Italia diſterminant, eum ſitum
„ habet, ut facile tranſalpini Principes & Ita-
E „ liæ Potentatus eò conferre ſe poſſint. Ampla
„ inſuper eſt Urbs, & rerum abundans, quæ
„ ad uſum humanum ſunt neceſſariæ. Utinum
„ quoque inſigne Oppidum eſt, & magni Po-
„ puli capax, fertilitate circumjacentis agri,
„ & maris vicinitate ad conventus aptiſſimum
„ celebrandos, rei etiam, quæ tractanda eſt,
„ commodiſſimum. Nam qui ex Italia contra
„ Turcos terreſtri profecturi ſunt itinere, his
„ Forum-Julii primùm occurrit. Galliarum
„ quoque, & Hiſpaniarum gentes, ac Rhenani
„ Theutones hàc iter in eamdem expeditionem
„ haud inconvenienter habuerint. Huc acce-
„ dit, quod Hungari, de quorum ſalute po-

Digitized by Google

„ tiſſimum eſt agendum (ſunt enim præcipui,
„ qui tempeſtate noſtra Turcorum vexantur
„ armis, & murum ſe pro noſtra Religione
„ conſtituunt) ab hoc Oppido non procul
„ abſunt, facileque conventui Chriſtianorum
„ ibidem celebrando ſuas neceſſitates expone-
„ re poterunt, & inde conſolationem oppor-
„ tunius commodiuſque recipere. Nec cariſſi-
„ mo in Chriſto filio noſtro Friderico Roma-
„ norum Imperatori ſemper Auguſto difficilis
„ in eum locum tranſitus fuerit, ſi, quemad-
„ modum de ſua in commune bonum optima
„ voluntate confidimus, eò transferre ſe ſe vo-
„ luerit, quum paterna ejus dominia ForojU-
„ lienſi agro contigua ſint. Volentes ergo cum
„ divina ope, ſicut ex debito paſtoralis officii
„ ſumus obnoxii, Chriſtianæ plebis ſaluti con-
„ ſulere, ac pro tutela noſtræ Religionis un-
„ dique auxilia, præſidiaque contrahere, de
„ conſilio & aſſenſu venerabilium Fratrum no-
„ ſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardina
„ lium, in altero ex locis prædictis ad Kalen-
„ das proximas Junias pro capienda in hac re
„ deſenſione, de communi deliberatione inter
„ nos & cunctos Chriſtifideles, qui Principa-
„ tu aliquo notabili potiuntur, conveniendi
„ diem conſtituimus, & harum ſerie conſtitu-
„ tum decernimus. Univerſos & ſingulos ca-
„ riſſimos ac dilectos in Chriſto filios noſtros,
„ Romanorum Imperatorem præfatum, cete-
„ roſque Reges, & Principes Eccleſiaſticos &
„ Seculares, Duces, Marchiones, Communi-
„ tates quoque, quæ ſuis legibus vivunt, &
„ ad defenſionem Fidei aliquid præſidii afferre
„ poſſunt, per viſcera miſericordiæ Domini
„ noſtri Jeſu Chriſti obnixe hortamur, requi-
„ rimus, & monemus, ut ad præfixum diem
„ in altero dictorum locorum per ſe ipſos, ſi
„ aliquomodo queant, ſin autem per Legatos
„ ſuos viros graves, & auctoritate inſignes,
„ & plena poteſtate munitos, prorſus adeſſe
„ curent ac feſtinent; nec domi remaneant,
„ niſi neceſſitas inevitabilis urgeat, ſed noſtrum
„ potius ſequantur exemplum. Nos enim, ne
„ quid ad res bene gerendas ex latere noſtro
„ deſit, quamvis neceſſaria ſit noſtra præſentia
„ in Urbe Roma, nec poſſimus ſine magno in-
„ commodo noſtro, & Terrarum Romanæ Ec-
„ cleſiæ ſubjectarum damno & periculo, in
„ alienas migrare provincias: quia tamen plu-
„ ris facimus Catholicæ Fidei defenſionem,
„ quàm Eccleſiaſtici Patrimonii tutelam, &
„ ſpiritualia præponimus temporalibus, re-
„ linquere ad tempus almam Romam, no-
„ ſtramque Sedem, cariſſimam ſponſam, de-
„ crevimus, atque in die deſignato aut Man-
„ tuæ, aut Utini, concedente Altiſſimo, con-
„ ſtituemur. Nec recuſabimus ardua quæ-
„ vis onera ſubire ſupportabilia noſtris hu-
„ meris, quæ ad proſequutionem tam ſacro-
„ ſancti & neceſſarii operis nobis, & iis,
„ qui ad conſtitutum diem convenerit, expe-
„ dientia viſa fuerint, & quomodolibet op-
„ portuna. Neque enim nos ſumus, qui pro
„ rebus Eccleſiæ Catholicæ bene gerendis,
„ pro tutanda Religione, pro magnificando
„ Chriſti nomine, aut ſumtus formidemus,
„ aut labores. Faxit tantùm divina Pietas,
„ ne pro deſiderio noſtro præſtetur impedi-
„ mentum; quin ea mens noſtra eſt, id ſta-
„ bile propoſitum ac certum, quævis incom-
„ moda, quævis pericula parvi facere, ut ne-
„ ceſſitati Orthodoxæ Fidei cum Dei honore,
„ & Chriſtiani Populi ſalute, quieteque con-

A „ ſulamus. Datum Romæ apud Sanctum Pe-
„ trum III. Idus Octobris, Pontificatus noſtri
„ Anno primo; MCCCCLVIII.

Id ubi recitatum frequenti concione eſt, magno audientium ſtudio excipitur. Pontifex verò nihil immoratus, Oratores, Nuntioſque ſuos ad unumquemque Principem, & ſui juris Populos deſtinat. Paucis deinde interjectis diebus Italicorum Principum Oratores ſeorſum in Sacellum cubiculo ſuo adjunctum convocat. Et quoniam ægra ipſe valetudine teneretur, quatuor ad hos ex Patribus primores dedit. Inter eos Beſſarion verba faciens, Pontificem, inquit, propter reſponſa Oratorum ſuperiori concione tam favorabiliter Principum ſuorum
B opem pollicentium, mirum in modum confirmatum eſſe. Sed jam ab eo generali ſermone ad particulares rationes veniendum eſſe. Cogitaſſe autem, Italicos omnium primos juremerito à ſe in hoc requirendos eſſe, quum & patria ſit ceteris inſignior, Pontificem in ſe habens, & Pontificum Sedem Romam ipſam Orbis caput; & creſcenti incendio præ omnibus hinc atque hinc objecta, & ad proterendos hoſtes, maritimis præſertim copiis ſola plus omnibus poſſit. Dicerent igitur in commune, quantum opis, pecuniæ, copiarumve ab unoquoque exſpectandum ſit, & unde denique initium ſumendum, aut quid optimum factu judicarent. Quamvis enim ſciret Pontifex, certiſſima ab eorum Principibus reſponſa
C hanc in rem afferri nondum potuiſſe, exiſtimare tamen non poſſe latere eos quid magna ex parte ſtatuerint. Nec enim rem novam eſſe, ſed multis antea hominum cogitationibus & conſiliis tritam. Ex Oratoribus Ferdinandi Regis Johannes Caponus nuper ab Rege profectus, quum multo ſermone, Eccleſiæ ſub nomine Rachel, calamitates deploraſſet, Regis ſui tamdem Urbes, copias, & eum ipſum denique Regem in vota Pontificis offerebat. Quum ſubjunxiſſet Beſſarion, nolle Pontificem omnia, nec enim expedire, ſed ex iis partem, quam Rex conſtituiſſet: reſpondit, nonniſi conſulto prius Rege plane id ſciri poſſe. Nicolaus Secundini venturos propediem ex Venetiis ſolemnes Legatos dixit, jamque in itinere eſſe ampla facultate ſuffultos, eos his de
D rebus reſponſuros. Otto Carretus multa ſe pridem de Principe ſuo affirmaſſe, & nunc certius offerre dixit. Jam enim ſtatuiſſe Mediolanenſium Ducem multâ pecuniâ, & ſi res poſcit, omni etiam militia ſua adjuvare Pontificis expeditionem velle, & ſe denique Pontificis juſſa promto animo ſequuturum. Angelus Acciajolus (aberat enim Archiepiſcopus) Eques & Orator Florentinus, magnæque in ea Republica auctoritatis, dicere orſus, multa primum de gerendi belli ratione diſſeruit, &
E navali quidem re Italicos Turcis multo præſtare. Ceterum ſi inſtruatur claſſis, plus opis ex ea ad tutandos portus, inſulaſque noſtras ab hoſtili incurſione fore, quam ut magno ex ea detrimento hoſtes affici poſſent. Eſſe verò validum adversùs hoſtes obicem Hunnos. Eos igitur quamprimum pecuniâ, potius quam Italicis copiis, adjuvandos eſſe, ne ſub tanto faſce deficerent, donec major vis pararetur. Quumque id multis rationibus comprobaſſet, multaque de locorum ſitu, in quibus junior verſatus fuerat, ſubjunxiſſet; addidit tamdem, Florentinos in conferenda pecunia parato animo eſſe, primoſque omnium, quum voluerit Pontifex, in eam rem fore. Bartholomæus

Ra-

Digitized by Google

Ravennas Archiepiſcopus Ducis & ipſe ſui Mutinenſis ſtudium, animique promtitudinem oblatis pecuniis, copiiſque expreſſit. Ab reliquis in eamdem ſententiam eſt reſponſum. Et quum jam aſperitas hyemis inſtaret, Pontifex diſceſſurum ſe ex Urbe Roma ſub Januarii menſis finem edixit, adfuturumque Mantuæ Calendis Juniis. Atque ita, quamvis Romanis adverſantibus primùm, mox tamen ſedatis, præſcripta die ex Urbe movit, Peruſium primo, mox Senas profectus, diſſidentem Urbem patrio amore complexus compoſuit, & conciliatâ Plebi Nobilitate, patriiſque honoribus reſtitutâ, unum corpus effecit. Inde Florentiæ receptus eſt, ubi obvium eo uſque honoris ſimul & præſidii gratiâ habuit cum ſplendido equitatu Illuſtrem Galeaz Vicecomitem Mediolanenſis Ducis primogenitum, mirabili indole atque ingenio præditum adoleſcentem. Tranſmiſſo deinde Appennino Bononiam petiit. Inde navigio Ferrariam delatus, Mantuæ poſt hac ad VI. Calendas Junias conſedit, certantibus inter ſe ſingulis Urbibus quammaximo apparatu & ſolemniſſima pompa venientem Pontificem excipere.

Receptus Mantuæ Pius, nullos adhuc ibi Principes, vel alios, quam qui ſecum ex Urbe profecti erant, Oratores conveniſſe comperit. Qua ex re, quamvis ejus augerentur ſolicitudines, quod ſpei conceptæ, Oratorumque promiſſis, favores Principum minus in præſentia reſponderent, Turcorum verò interea apparatus maximus terrâ & undis nuntiaretur, ut erat tamen forti, conſtantique animo, minime deſperandum ſibi ſtatuit; ſed hæſitantes adhuc, vel jam certe expeditioni intentos Chriſtiani nominis Principes, Populoſque novis literis ac nuntiis excitare. Juſſit igitur Calendarum, qui inſtabat, diem ſolemniſſimis ceremoniis, Litaniiſque per Urbem ac Templa actis, Deo ſacrum fieri. Atque ubi in Baſilicam Pontificalem reditum eſt, frequenti omnium conſeſſu Nicolaus Epiſcopus Coronenſis, vir inter Theologos auctoritatis præcipuæ, longa & gravi oratione præſentem Eccleſiæ ſtatum deploravit; languentes Chriſtianos multis rationibus ad ferendam matri Eccleſiæ opem magnis animis erigere conatus. Ubi verò is finem dicendi fecit, Pius Pontifex miſerabilibus oculis quum Patres atque omnem multitudinem perluſtraſſet, hunc in modum loquutus eſt: *Magna pars veſtrûm, Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, dum Romæ adhuc ageremus, abunde cauſas intellexit, propter quas in hac Urbe Mantuana Chriſtianorum Regum ac Populorum conventum indiximus. Eaſdem nunc omnes à Venerabili fratre noſtro Epiſcopo Coronenſi, qui publice peroravit, plenius intellexiſtis. Publica nos traxit neceſſitas. Utinam utilitas ſequatur, quam ſperavimus. Pauci adhuc venerunt ex iis, qui vocati ſunt. Ita naturâ comparatum eſt. Non eſt hominibus ea publici boni cura, quæ privati. Omnes quæ ſua ſunt, diligenter curant, pauci quæ Jeſu Chriſti. Non tamen abjicienda ſpes eſt. Jactemus cogitatum noſtrum in Domino, & ipſe nos enutriet. Hoc opus Dei eſt, quod cœpimus. Opem ejus devotiſſime imploremus. Non deerit invocantibus ſe divina miſeratio. Si non adſunt, quos vocavimus, dolemus quidem. At tempus adeſt. Venire adhuc poſſunt; & venient, ut in Domino Deo noſtro piiſſimo confidimus. Exſpectandum eſt, donec ſciamus, quæ tamdem ſit Regum & Populorum Chriſti cultorum cogitatio atque ſententia. Si venerint, qui rebus gerendis conſilio & auxilio eſſe poſſunt, proſequemur alacri & magno animo cœptum negotium. Nec ambigimus, quin opitulante divina pietate Chriſtianam Religionem ab hoſtili vexatione magnifice defendamus. Sin minus (quod magni Dei bonitas avertat) intelligent omnes, poteſtatem nobis bene gerendæ rei, non voluntatem defuiſſe. Vos interea monitos atque oratos volumus, ne tœdeat in hoc loco moram trahere, & ſi quæ ſunt incommoda, æquo animo perferre. Nam quum ſitis ſal terræ, & lucerna ſupra candelabrum poſita, condimentum omnibus eſſe debetis ad bene gerendum, & cunctis lumen ad virtutem præbere, qui ſunt in domo Dei, ideſt in Eccleſia Jeſu Chriſti. Apoſtoli Dei corpora ſua tradiderunt, & animas ſuas poſuere, ut ſanctum Chriſti Evangelium, ſalutaremque Legem huic mundo prædicarent, atque inſererent. Et nos pro ſuſcepta majorum fide atque religione tutanda, aut labores vitabimus aut ſumtus? Imitemur eos, quorum tenemus locum. Nec gravemur pecunias, rem vilem, exponere, qui pro Chriſti nomine proprium ſanguinem tenemur effundere. Nos certe huc venimus nullam privatam ob cauſam. Nullum quærimus proprium emolumentum, ut ab initio diximus. Salus rei publicæ nos traxit. Venimus non ſine gravibus incommodis & periculis Terrarum Eccleſiæ, neque ſine offenſione noſtri corporis. Si qui adſunt Legati Principum & Civitatum ad res gerendas mandatum habentes, audiemus eos, & cum eis conferemus. Nos nullam viam adhuc ſuſcepimus, neque hunc aut illum procedendi modum aggreſſi ſumus. Libet omnium audire conſilia; res diligenti examine diſcutere, & quod majori & ſaniori parti placuerit, id proſequi. Si reperiemus Principes ad hanc rem, ideſt defenſionem Chriſtianæ Religionis, intentos, invenient & ipſi Romanum Præſulem pro communi utilitate ardentiſſimum. Quidquid noſtrarum virium erit, ad hoc ſalutare opus conferemus. Neque ſumtus fugimus, neque labores. His nunc paucis contenti ſumus. Alio tempore, quum plures aderunt, pluribus agemus.*

Quum finem dicendi Pius feciſſet, animadverterentque Oratores Principum, qui aderant, non tantum Pontificis ſed & reliquorum omnium oculos in ſe maxime conjectos eſſe, ſingillatim pro ſe quiſque reſpondit. Primus igitur Johannes Hunderubaeh Jureconſultus Cæſareus Orator, quæ & quanta fœdera Imperatoris nomine cum collegis ſuis paulo ante in Urbe Senarum obtuliſſet, commemoravit. Eorum ſumma fuit, ut una cum ceteris Principibus Chriſtianis, Oratoribuſve eorum rebus in eo conventu gerendis intereſſent, adjuvarentque ſtudioſius. Collegas ſubinde ſuos ad Cæſarem profectos, annuente ipſo Pontifice, mox cum novis ad eas res mandatis redituros. Se verò interea, quæ Pontifex juſſiſſet, exſequuturum. Subſequutus unus ex Portugalliæ Regis Oratoribus, Regem ſuum, inquit, juſſum à Pontifice, ut Oratores in eam rem mitteret, promto ac libenti animo parere voluiſſe. Se ergo adeſſe Regio fultos mandato, ut quum ceteri ad id conveniſſent, conſulerent in medium quæcumque in eam expeditionem agenda viderentur. Poſt eum Johannes Atrebatenſis Epiſcopus, Burgundi Ducis Orator, experimento compertum, inquit, Principem ſuum numquam exſpectaſſe, ut adversùs feram & immaniſſimam Turcorum peſtem legationibus excitaretur. Et nunc ultro paratum ſequi velut characterem religioſæ virtutis,

quæ ſigna Pius Pontifex extuliſſet, quamvis inter extremos hominum fines conſtitutus ſit ab omni Turcorum impetu remotiſſimus. Quin etiam deſtinaſſe, eum adeſſe eo in tempore ante pedes ſacros omnium primum, niſi fluctus quidam novarum rerum excitum eumdem detinuiſſent. Iis enim conſilia hominum neceſſario flecti ac torqueri. Statuiſſe tamen, ſi conditionibus æquis apud circumfuſos ſibi Reges & Populos proſpectum rebus ſuis fuerit, ſe ſe in eam expeditionem coactis viribus conferre. Sin minus, copiis ſuis non defore. Interea verò, quod ad rem præſentem pertinet, adfuturos cum ampliſſimis mandatis Oratores ſuos illuſtres omnium eidem intima affinitate junctos. Se verò ac collegas, qui adeſſent, mandata quævis Pontificis promtis animis ſuſcepturos. Sabaudienſis deinde Ducis Orator ita ferme inquit. Quum per eos Oratores, qui antea loquuti fuerant, accommoda rei, de qua ageretur, dicta forent, pauca ſe ſubjungere velle, ne tœdio eſſet. Redditurum enim Principem ſuum pro ea portione, quæ eum contingeret, quod deberet erga ſanctam Dei Eccleſiam, quemadmodum quivis ex Principibus Chriſtianis. Poſt eum Bajoariæ Ducis Orator, quanta, inquit, devotione Princeps ſuus Apoſtolicæ afficiatur Sedi, ſitque Pontifici obſequentiſſimus, notum ex aliis Oratoribus jampridem eſſe. Cupientem verò hunc ejus animum re comprobare, prohiberi ex ſuſcitato in Germania vehementi diſcordiarum incendio, quod nonniſi multo ſanguine ſedari poſſe videatur. Atque ideo nequiviſſe eum, ut deſtinaverat, conventui ipſi Mantuano intereſſe. Probaturum tamen Principem ipſum & obſervaturum cum Cæſarea Majeſtate, & ceteris Germaniæ Principibus Eccleſiaſticis ac Secularibus quæcumque in eo conventu recepta eſſent ac definita, cumque hujuſmodi mandatis ſe ac collegas in id loci tranſmiſſos eſſe. Mediolanenſis ſubinde Ducis Orator, incredibili, inquit, affectum lætitia Principem ſuum, ut primùm indictum Mantuæ conventum pro re publica Chriſtiana intellexit, tamquam pium ac neceſſarium conſilium ſummopere commendaſſe. Eum igitur, quo eſſet religioſo animo præditus, cuperetque erga omnipotentem Deum gratus videri pro magnis ſuſceptis beneficiis, ſtatuiſſe in eo conventu adeſſe. Diſtuliſſe tantùm ob eam cauſam, quòd ex reliquis Principibus nulli adhuc conveniſſent. Sed quum ſit loco proximus, diem tantùm exſpectare, quo illum opportune adeſſe Pontifex jubeat. Præſto enim affuturum, ut Chriſtianum & magnanimum Principem decet. Palam igitur profiteri, non paſſurum Principem ipſum, ut in adjuvanda ea expeditione ab aliquo ſuperetur. Quumque & literis & nuntiis ſuis antea & nuper, & inclyto ejus primogenito, ac noviſſime per illuſtriſſimam Conſortem, promtiſſimam mentem ſuam notam feciſſet, non eſſe, quod ultra polliceri poſſet, niſi quæcumque interea mandaſſet Pontifex, ſe ex animo ſuſcepturum. Poſtremò Senenſium Orator ad id, inquit, miſſum ſe in eum conventum, ut Reipublicæ Senenſis Pontifici devotiſſimæ facultates omnes pro Chriſtiana Religione, & in quæ juſſiſſet Pontifex, incunctanter cordeque ac fide ſincera offerret, ac polliceretur, ſummamque eam mandatorum ſuorum fore.

FINIS.



Digitized by Google

JACOBI
VOLATERRANI
DIARIUM ROMANUM

Ab Anno MCCCCLXXII. usque ad MCCCCLXXXIV.

Nunc primùm editum

EX MANUSCRIPTO CODICE
BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN JACOBI VOLATERRANI DIARIUM ROMANUM *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

EX MSto Codice Bibliothecae Eſtenſis nunc primùm prodit hoc Diarium, eleganti ſtilo ſcriptum, ubi quae Romae palam geſta ſunt tempore Sixti IV. & praeſertim publica Curiae Pontificiae acta, concinne referuntur. Ejus Auctor *Jacobus Volaterranus*, quem & inter Hiſtoricos Latinos recenſuit Gerardus Voſſius Libro 3. Cap. 7. pag. 594. de Hiſtoricis Latinis. Sed Voſſius vix de nomine egregium hunc Virum novit, & quaecumque de illo habet, emendatione indigent, uti jam animadvertit Cl. V. Apoſtolus Zenus in Additamentis ad Voſſium Tom. 15. pag. 312. Diarii Literator. Italiae. Cenſuram Zeni ego, quibus potero, luminibus illuſtriorem faciam. *Jacobus*, ſunt verba Voſſii, *cognomine quidem Ticinenſis, verùm patriâ Volaterranus, obſcuro loco natus erat, ſed virtutis ergo a Papa Pio in Cardinalium Ordinem allectus fuit. Hic praeter Epiſtolarum Libros, etiam ſuorum temporum Commentarios edidit.* Verùm Voſſius heic duos diverſos Viros confundit: nempe Jacobum Volaterranum hujus Diarii Scriptorem, & Jacobum de Ammanatis Lucenſem patriâ, virum celeberrimum, ſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalem, & Epiſcopum Papienſem, cujus revera *Epiſtolas* & *Commentarios* rerum ſui temporis elegantiſſime ſcriptos habemus; & qui Anno MCCCCLXXIX. vitam cum morte mutavit. Quod certum eſt, Jacobus noſter eidem Cardinali Papienſi a ſecretis, atque inter paucos carus ac familiaris fuit; ipſiuſque Volaterrani curâ cum Epiſtolae tum Commentarii Cardinalis Papienſis ad nos pervenerunt. Immo ipſius Cardinalis Vita brevis a Jacobo noſtro conſcripta eſt, quae praefixa legitur ejuſdem Papienſis Commentariis in editione Mediolanenſi & Francofurtenſi. Addit Voſſius, memoratum fuiſſe Jacobum noſtrum Leandro Alberto in deſcriptione Italiae, cui Alberto mirum viſum fuit, cur Volaterranus iſte *non meminerit popularis ſui Raphaëlis Volaterrani, quum mentionem faciat complurium, qui eruditione non paullo eſſent inferiores*. Utique & Leander Albertus deceptus eſt, qui Jacobum Cardinalem Papienſem Volaterris Civem adſcripſit, quum is, ut diximus, Lucam patriam habuerit. Qua de re dubitare nos amplius non ſinit P. Sebaſtianus de Paulis Lucenſis ex Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, Theologus Auguſtiſſimi Caeſaris CAROLI VI. Vir tum Eruditione tum Eloquentia clarus, mihique inter paucos amicus, in Diſquiſitione de Patria ejuſdem Cardinalis Papienſis Lucae edita. Sed ne ipſum quidem Albertum attentis oculis Voſſius legit; ille enim miratur, non cur Jacobus Raphaëlis, ſed cur Raphaël Volaterranus nullam mentionem fecerit Jacobi Cardinalis Papienſis. Alberto itaque, etiamſi nos non audiat, reſpondere nunc poſſumus, ideo Raphaëlem Volaterranum minime Cardinalis Papienſis tamquam conterranei ſui meminiſſe, quia compertum ipſi erat, ſub coelo Volaterrano numquam prodiiſſe in lucem Jacobum Ammanatum, ſacra Purpura & Epiſcopatu Ticinenſi inſignem. Quod igitur in errores varios Leandrum Albertum, ac Voſſium traxiſſe videtur, fuit ipſa Commentariorum Cardinalis Papienſis editio. Ibi enim Primus Liber ac Secundus inſcribuntur nomine *Jacobi Cardinalis Papienſis*, reliqui verò Libri fallacem hunc titulum gerunt: *Jacobi Volaterrani Cardinalis Papienſis Commentariorum*. Haec fucum fecere Voſſio, qui alioquin Lib. 3. Cap. 8. multa appoſite ſcribit de eodem Cardinali Papienſi, quem a Pio II. Pont. Max. Piccolomineae Familiae inſertum fuiſſe jam conſtat.

Ut

Digitized by Google

Ut ergo diximus, Jacobus noſter eidem Cardinali ampliſſimo a ſecretis atque a ſtudiis fuit, illi ex ingenii felicitate apprime carus. Inter ejuſdem Cardinalis Epiſtolas editas leguntur nonnullae *ad Jacobum Volaterranum Secretarium noſtrum*, atque inter alias XXXII. & CCCLXXIX. & DLVIII. In CXL. eidem commendat Epiſtolas, Commentationes, & fragmenta ſua. Vide & CCCLXI. quae eſt Jacobi noſtri ad ipſum *Papienſem Dominum ſuum*, & DCXVII. ut alias omittam. Sublato e vivis Papienſi, ipſe in Curia Romana ſubſtitit, ſpe ſibi, ut puto, facta vicinae mercedis. Et revera Anno eodem a Sixto IV. Pont. Max. ſexto Calendas Decembris in Palatinam Aulam adſcitus fuit. *Cooptatus ſum*, ita ille ſcribit, *in Ordinem Secretariorum Pontificis, & Apoſtolicae Sedis de numero ſenario Participantium*. Atque ea occaſione poſt enarratos Collegas ſuos haec alia de ſe habet: *Sextus ego reliquus ſum, qui operor his ſcribendis, Jacobus Volaterranus Nicolai filius, & Eccleſiae Volaterranae Archidiaconus*. In Papienſis autem Vita, quam memoravimus, ita ille ſe inſcribit: *Jacobus Volaterranus Secretarius & Protonotarius Apoſtolicus*. Patriam Jacobi *Volaterras* jam vidimus, Patrem *Nicolaum*: Fratrem verò ſuum *Benedictum* is memorat. Familiam nunc inquiramus. Si Lucae Wadingo in Annalib. Minorum ad Annum MCCCCLXXVIII. fides habenda, ex Nobili *Maffaeorum* Familia is prodiit. Paria habet Odoricus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum MCCCCLXXX. num. primo, ubi is appellatur *Jacobus Maffaeus Volaterranus*, & alibi. Immo in eiſdem Annalibus, ſive ipſius Raynaldi, ſive editoris incuria, idem ipſe Scriptor ad Annum MCCCCLXXII. num. quarto, appellatur *Raphaël Volaterranus*. Sed ut Annaliſta Pontificius erravit, cum Raphaële Volaterrano Jacobum noſtrum plane diverſum confundens, ita a vero abiit, quiſquis in *Maffaeam* gentem ſine tabulis Jacobum ipſum invexit. Error natus, ut conjicere licet, ex ejuſdem Raphaëlis Familia, quae verè *Maffaeorum* fuit, & adhuc Volaterris floret, ubi etiam viſitur Raphaëli poſitum illuſtre ſepulcrum. Ut auctor eſt Clariſſimus Zenus, in Codice Vaticano, ubi Jacobi noſtri Diarium manu exaratum exſtat, hic titulus legitur: *Jacobi Maffaei Volaterrani Secretarii Apoſtolici Diariorum, ſive rerum geſtarum Commentariorum Libri quinque, ab obitu Cardinalis Papienſis uſque ad finem Pontificatus Sixti IV.* Sed ſimul monet ille, cognomentum illud *Maffaei* additum fuiſſe manu recentiori, ac proinde & ipſe ſcribit, minime conſtare, quanam ex Familia prodierit Jacobus noſter. Igitur hac de re quum ego ſciſcitatus fuiſſem per literas, dum viveret Illuſtriſſimum Praeſulem Benedictum Falconcinum Epiſcopum Aretinum, patria Volaterranum, virum non eruditione minus quàm humanitate ſumme commendandum, reſcripſit ille, falli, qui Jacobum *Maffaeae* genti accenſent. Is enim e *Gherarda* Familia prodiit. Me inſuper docuit egregius Praeſul, Jacobum tamdem, aetate paene confectum, a Leone X. Pont. Max. ad Aquinatem Epiſcopatum Anno MDXV. promotum: qua de re & ipſe aliquid ſubinde commentatus eſt in Vita Raphaëlis Volaterrani a ſe conſcripta ac edita. Praevio hoc lumine, Ughellium adii in Italiae Sacrae Tom. I. qui ex Aquinatis Eccleſiae Diptychis haec deſumſit, omnino heic repetenda. *Jacobus Gherardi Volaterranus, Nicolai filius, magnae exiſtimationis Praeſul, quippe ſub Innocentio VIII. ad Mediolani Ducem, Florentinam Rempublicam, Ferdinandumque Neapolitanum Regem trepidis Legationibus egregie perfunctus fuiſſet. Hic igitur quum etiam ſub Decimo Leone in expediendis negotiis dexteritatem ſuam probaſſet, ab ipſo Aquinatium Pontifex renuntiatus eſt Anno MDXV. impari ſane clariſſimi Viri meritis dignitate. Sed fortuna viris invida fortibus, non ſemper aequa praemia dividit. Interea quum Jacobum jam nonageſimus annus gravaret, brevi Romae deceſſit menſe Septembris Anno MDXVI. ubi tumulatus quieſcit.* In hoc uno deceptum arbitror Ughellium, quòd ſerius quàm par erat, renuntiatum Epiſcopum ſcribat Jacobum noſtrum. Nam in Concilio Lateranenſi V. Seſſione VIII. habita Anno MDXIII. die XVII. Decembris ſubſcribere incipit *Reverendus Pater Dominus Jacobus Aquinatenſis Epiſcopus*, uti & in ſubſequentibus Seſſionibus. Reliqua ab Ughellio adnotata omnia cum his, quae hactenus ſunt dicta, rite cohaerent, ac proinde ſatis nobis notus eſt Scriptor.

Quod eſt ad ipſum *Diarium*, ſive ad *Commentarios*, quos nunc primùm edituri eo, ad illos conſcribendos incitatus eſt Jacobus tum exemplo, tum literis, a Cardinali Papienſi hero ſuo. Ejuſdem Cardinalis Epiſtola DCXXV. inſcripta eſt *Papienſi Volaterrano*: ſed inſcribenda eſt *Papienſis Volaterrano*, hoc eſt Cardinalis Papienſis Jacobo Volaterrano Secretario ſuo. Ibi Cardinalis poſt commendatas *Annotationes diurnas anni ſuperioris* a Jacobo factas, ita ſcribere pergit: *Moneo ergo ut perſeveres, ne gravet te labor. Urbana quoque, quum erimus Romae, etiam annotare poteris*

ſed

ſed publica tantùm. Nos verò Senatoria nonnulla, quod aliquando fecimus &c. Haec ſcripta a Papienſi Anno MCCCCLXXV. Itaque vides, jam tum coepiſſe Jacobum noſtrum quaedam ſuorum temporum acta, codicillis commendare. Illius autem Commentarios ab Anno MCCCCLXXIX. ad MCCCCLXXXIV. deductos cenſuit doctiſſimus Zenus, titulum Codicis Vaticani, a nobis ſupra memoratum, ſequutus. Et ſane in Codice quoque Eſtenſi ab Anno MCCCCLXXIX. Exordium quoddam ſumi videtur illius Diarii. Verùm ex ipſo quoque Codice habemus, nonnulla coepta ſcribi Anno MCCCCLXXII. & per ſubſequentes Annos continuata, quae tamen fragmenta potius dicenda ſunt, quàm perennis Hiſtoria. Accedit quod ad eum quoque Annum MCCCCLXXII. hiſce *Commentariis* uti coepit Odoricus Raynaldus in texenda Annalium Eccleſiaſticorum ſerie, quos & *accuratiſſimos* appellat, quales revera fuere. Sed utinam mihi quoque Codex accuratiùs conſcriptus contigiſſet, ut editionem elimatam haberent Lectores. Plura alia literis mandaſſe Jacobum noſtrum conſtat ex Literis editis Cardinalis Papienſis: & fortaſſe ad plures Annos hoſce *Commentarios* perduxit; ſed reliqua prorſus excidiſſe videntur. Horum loco in calce Diarii ſubjiciam Literas Innocentii VIII. Papae *Domino Jacobo de Vulterris* datas Anno MCCCCLXXXVIII. quum Forolivienſis Populus in Hieronymum Riarium Comitem eidem Urbi dominantem ſaeviit, quas mihi alter Eſtenſis Bibliothecae Codex ſuppeditavit.

Digitized by Google

Digitized by Google



JACOBI VOLATERRANI DIARIUM ROMANUM DE XISTI IV. PONTIFICATU.

Anno MCCCCLXXII.



Igesima prima Aprilis datus est publice Senatus Oratoribus Federici Comitis Palatini Principis Electoris, qui numero quatuor fuere. Eorũ hæc fuit Oratio. Excusarunt tardam missionem, congratulati sunt de assumtione Pontificis, merita ejus à primis etiam rudimentis plurima retulere. Hortati sunt ad capescendam Christianorum causam in Turcas, ad quam & Comitem obtulerunt. Laudavere Bavaram Domum; plurima in hostes fortiter, in Ecclesiam pie gesta commemorarunt; ad Federicum descenderunt; quem unum victoriis & gloria militari visi sunt Germanis Principibus anteferre. Professi denique obedientiam sunt, & benedictionem illi à Pontifice poposcere. Responsum est non satis commode; prætermissa multa; illud Patrum judicio non probatum, quod quum in referendis victoriis illa quoque stringerentur, quæ contra Maguntinam Ecclesiam (sedente Pio) à Comite extra communionem posito habita est, sine reprehensione, vel leni saltem, passus sit Pontifex rem A turpem fieri. Ad quintam decimam Maji abiit in Legationem Hispanicam Rodericus olim Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus, post Episcopus Albanensis Vicecancellarius, annos natus duo de quadraginta; profectus autem est mari; prosequuti eum ex more sunt Patres ad Portam Ostiensem, quo in loco osculo & complexibus vale est dictum. Retentus Ostiæ ob procellosum mare, tamdem ad 24. post ortum solis solvit ac navigavit. Vocati hodie sunt in consilium Patres; vocationis caussam præbuerunt Oratores Johannis Ducis Albæ Russiæ; ii venerunt, ut venerarentur B primo Romanorum Pontificem; inde desponderent filiam Despoti olim Peloponesi, quæ Romæ una cum duobus fratribus patriâ profugis pietate Sedis Apostolicæ alebatur. Jussi autem erant consistere ad diversoria Montis Marii, quæ prominent Urbi, ut de conjugio, & ratione honorandæ Legationis interea posset decerni; veniebat enim nonnullis in dubium, quid in his esset nostri officii, quando de Fide Ruthenorum non satis constaret. Dictæ sententiæ sunt; decretum conjugium, permissum quoque, ut sponsalia, sicut postulabatur, in Basilica Sanctorum Apostolorum Petri C & Pauli, adhibitis Prælatis, ex ordine fierent. Impetratum quoque, ut familiæ Pontificis & Patrum, obviam illis procederent. Harum rerum allatæ rationes, quod Rutheni olim Concilium Florentinum acceperint, & Archiepiscopum Latinum à Sede Romana habuerint. Nam Græcis à Patriarcha Constantinopolitano

Digitized by Google

mos erat accipere ; & Oratorem ad ſe mitti nunc poſtuletur, qui Fide eorum omnium inſpecta, rebus etiam cognitis, ſiquid devium eſt, in viam rectam reducat ; & ad profitendam etiam obedientiam acceſſerint; & denique ſi maxime hæretici Rutheni ſint, non tamen ex Jure Pontificio irrita cum iis conjugia habentur, & quod errantes filii alliciendi etiam honoribus & benignitate ad gremium matris Eccleſiæ videantur. Die XXV. Maji introducti in Conſiſtorium ſëcretum iidem Oratores Ducis, quem dixi, obtulerunt literas apertas in membranuncula cum Bulla aurea pendenti, in quibus tantum erat Lingua Ruthenica *Magno Xiſto Pontifici Romano Johannes Dux Albæ Ruſſiæ, percuſſa manu fronte, reverentiam exhibet, idemque rogat, Oratoribus ſuis fidem præſtari*. Laudaverunt igitur Pontificem, gratulati ſunt de ſuo Pontificatu, commendaverunt Ducem, ejuſque nomine pedibus Apoſtolicis (ſic enim dixerunt) reverentiam perſolverunt; obtulerunt denique munera, Jubam Gibellinam, & Gibellinas pelles LX. Laudatus à Pontifice eſt Dux, quod Chriſtianus eſſet, quod adhæſiſſet Concilio Florentino ; quod à Patriarchis Conſtantinopolitanis à Turca inſtitutis numquam paſſus eſſet Græcum Archiepiſcopum peti ; quod conjugium Chriſtianæ Sponſæ appeteret, nutritæ diu apud Sedem Apoſtolicam ; quod demum reverentiam ad Romanum Præſulem miſiſſet, quæ apud Ruthenos inſtar plenæ eſſet obedientiæ ; eidem quoque habitæ pro muneribus gratiæ. Affuerunt his rebus Oratores Regis Neapolitani, Venetorum, Mediolanenſis, Florentinorum, & Ducis Ferrariæ, qui aliis de rebus vocati ad Pontificem erant. In eodem Senatu de Fœdere Italico acta hæc ſunt. Vocaverat ab initio Pontificatus ſui Xiſtus Italos Oratores ad innovandum Fœdus commune, quod olim, ſedente Nicolao Quinto, actum Neapoli eſt. Agitata res, & quamplures menſes in eo vertebatur difficultas omnis, quod Rex, Dux Mediolani, & Florentini in eo innovando exprimi & confirmari contendebant. Fœdus aliud, ſedente Paulo Secundo, inter ſe tantum initum, quo Eccleſia plurimum lædebatur. Veneti ab initio huic poſtulationi adverſi tamdem dederant manus, & ad arbitrium Pontificis cuncta referebant. Pontifex rem damnoſam rejiciebat, dignitatis etiam ſuæ non ſtatuens detrimentis propriis aſſentiri. Dati Cardinales ſex erant ad hæc ipſa cum Legatis tractanda ex conſuetudine noſtra; pervincere numquam horum potuerant contumacias. Relata igitur re ad Pontificem, decretum eſt, Legatos dimitti. Dimiſſionis cauſſæ ſunt dictæ, quod vocati illi eſſent ad innovandum commune tantùm, non privatum etiam Fœdus; quod in privato nulla eſſet utilitas publica, quando non una omnium, ſed ſejuncta quædam à ceteris appareret voluntas, id actura ſemper, ut minus Itali invicem fiderent, minus fidè ſubvenirent, minus etiam nos timeret Turchus factionem hanc noſcens; quod nulla eſſet noſtra exiſtimatio, quod tantum de nobis iis cederemus, commiſſa in Eccleſiam arma hac innovatione probantes; eſſe ea in re damni plurimum, lucri quam minimum; quod ſi acquieviſſe paulum his difficultatibus dicant, non videri horum atque illorum temporum eamdem rationem. Illi Regem, Ducem, & Florentinos fuiſſe infeſtos; Xiſto autem quemque horum favere, quod metus cauſsâ nil damnoſum confirmare cogatur. Hæc in Senatu conſenſu omnium probabantur. Illa tamen angebat res, quod non innovati Fœderis culpa omnis apud ignaros noſtra videbatur futura. Hoc benignitas Dei, in illo ipſo articulo reſponſi dandi, oneris noſtri eſſe non voluit; in foveam incidere foſſores ipſos compulit, etenim Orator Regius, Anellus nomine, inchoante jam ſermonem Pontifice, oravit, ut ſibi liceret voluntatem Ferdinandi ex literis ea nocte acceptis monſtrare. Facta poteſtate, illas recitavit. Earum erat ſententia, quod compertum haberet, Ducem Mediolani inſtructas triremes XV. in Patruum, ſeu Johannem Aragonum Regem, adjumento Andegavenſium mittere, eamque rem nulla ratione eſſet laturus. Nolle, ſi ita fiat, ulli innovationi aſſentiri. Ita illius interceſſione, non repulſa noſtra, diremtus tractatus. Suſpicati nonnulli ſunt, quod rem Volaterranam ſpectaret Rex ; noluiſſe adversùs Florentinos & Ducem novis vinculis ſtringi. Quidam hanc retulere interiorem cauſſam in diſceptationibus habitis. Cardinalis Urſinus eo redegerat ſuaſionibus ſuis Mediolanenſem & Florentinos, ut acquieſcerent, tolli ex privato illo fœdere quicquid offendebat Eccleſiam. Id autem omne res erat Comitis Urbini, & Ruberti Malateſtæ, qui & amici erant Regis, & ultionem timebant Eccleſiæ. Si ergo ei correctioni annuebat Rex, illorum amicitiam prodere & perdere unâ operâ videbatur. Si non annuebat, ingratus in Eccleſiam erat, offendebat Pontificem, turpiſque impedimenti notam ſubibat. Quæ omnia eo erant illi graviora, quod artificio Ducis, & Florentinorum videbantur permitti, quorum jam alieniorem in ſe animum cognoſcebat. Ut igitur utrumque hunc ſcrupulum declinaret, prætextum de triremibus prætulit.

Die ſolemni Corporis Domini, circumlato Sacramento à Pontificia Vaticani ad Molem uſque Adriani, atque inde viâ ſacrâ ad Baſilicam Petri, in ea Cardinalis Neapolitanus è familia Caraffa tituli Sancti Euſebii, Legatus ante ad claſſem maritimam deſignatus, ſacris eſt operatus, Pontifice & Patribus aſtantibus. Iis expletis, Vexilla triremium per Oratores Principum & Potentatuum portata ad Pontificem ad ſummum ſolium, in quo reſederat, ſunt; qui illis benedixit ſolemni ex cærimonialibus benedictione. Inde diſceſſum eſt ad horam ejus diei vigeſimam. Ipſe Pontifex comitatus Patribus & Prælatis, ad triremes profectus eſt ; quæ paulo infra Cœnobium Beat Pauli Porta Oſtienſi Piſis advectæ medio alveo Tiberis ſubſederant. In Prætoriam aſcendit Pontifex, & Patrum nonnulli, ex cujus puppi loco edito, unde videri ab omnibus poterat, ſimili ſolemnitate triremibus benedixit, quæ quatuor tantum erant. Nam reliquæ numero quatuordecim cum duabus onerariis Brunduſium proceſſerant. Tot eo anno armavit Eccleſia, quum Veneti quinquaginta ſex, Ferdinandus triginta armaſſet. Benedixit etiam Legato & familiæ, & pronuntiari alta voce juſſit, remittere ſe culpam & pœnam iis ex nautis vel pugnatoribus, qui aut in pugna aut alio caſu vitâ excederent. Quibus actis, Legatum reliquit in claſſe, ipſe ad Vaticanum reverſus eſt. Erat illi nomen Oliverius, annos natus circiter quadraginta, ſummæ modeſtiæ & religionis, Juris Canonici & Civilis profeſſor. Ante hunc Legatum & Vicecancellarium, quem ſuperiùs annotavi, diſceſſerant etiam in pro-

Digitized by Google

provincias ſuas duo alii Cardinales, Sancti Marci Marcus nomine ex familia Barba ad diem 22. Februarii annos natus circiter ..... magnæ modeſtiæ & religionis pater, ſed literaturæ mediocris, cui Germania tota, Hungaria, Bohemia, & Polonia fuerat in legatione decreta. Item & Cardinalis Nicænus Tuſculanus Epiſcopus ſexagenarius, jam magni ingenii ac magnæ auctoritatis Antiſtes natione Græcus, qui ad ..... Aprilis profectus, Galliam, Angliamque ad Legationis opus accepit. Calendis Junii per Legatos Ducis Albæ Ruſſiæ in Baſilica Petri nomine Ducis deſponſa eſt. Deſpotorum Soror Zoë vocata à vita. Deduxerunt eam Regina Boſnenſium profuga Regno, & vidua, quæ apud nos alebatur, item & Clarices Laurentii Medicis genitrix ex domo Urſina, mulieresque tam Florentinæ quàm Senenſes, tum etiam Romanæ multæ; item & familiæ omnes Patrum. Operatus eſt ſacris ad Pacem ..... Epiſcopus; iidem eædemque eam domum reduxerunt. Queſtus eſt poſtridie in Senatu Pontifex, ſine mandato Ducis ſponſam illam eſſe; nec priùs animadverſum id vitium, quàm in dando anulo rogatus Legatus illud exhibere, nullum attuliſſe ſe dixit, negans id ex more gentis Ruthenæ in Conjugiis. Venere in Senatum Oratores Mediolanenſes à Pontifice poſtulati; cum iis introducti ſunt Regis Ferdinandi, Venetorum, Florentinorum, Ferrarienſis, & Sabaudienſis. Præter conſuetudinem etiam annorum horum, Francorum Regis Legatus Cænomanenſis Præſul retulit, eſſe ad Pontificem à Duce Literas, quas reddi in Senatu recitarique cuperet, ex quibus de triremibus in Aragonum Regem mittendis Dux idem factum ſuum purgaret. Redditis ac recitatis, inventa eſt, quæ ſequitur earum ſententia &c. Datus eſt Senatus Oratoribus Ducis Albæ Ruſſiæ, qui grande aliquid pro Fide Catholica allaturos ſe affirmabant. Latinam orationem habuere, in qua commercium privatum eſſe ſibi cum Tartarorum Rege ajentes, ventum ſæpe cum eo in hunc ſermonem dixere, ut duceret in Turcos grandem exercitum, quem nec Aſia, nec Græcia ſuſtinere poſſet; eamque rem illum libenter facturum, ſi poſtquam ingreſſus bellum eſſet, penderentur ſibi in ſtipendii ſupplementum dena aureorum millia in ſingulos menſes. Oportere etiam addebant portari ad eum barbarico more munera tanto Principe digna, quæ minus ſex millium non eſſent; viam illi futuram monſtrarunt per Albam Græcam ad fines Regni Hungariæ. Rejecta res eſt his potiſſimum rationibus, quod non ſatis tuta fides Oratorum videretur, metuſque eſſet, ne in muneribus iis privatæ rei, non publicis commodis ſerviretur; quod inexploratum nobis eſſet, an Rex Hungariæ tutum ſibi putaret tantam multitudinem Regno ſuo iter habere; quod verendum eſſet, ne deficiente ſtipendio (etenim mendiciſſima gens eſt) in Chriſtianos bellum converterent; quod denique victoria Mahometani hominis tam nobis peſtifera, quàm Turcho eſſe poſſet. Datus eſt Calendis Julii publice Senatus Oratoribus Regis Portugalliæ. Venerant ad profitendam obedientiam. Orationis ornatæ & gravis hæc fuit ſententia: monſtrarunt ex veteri, & nova Lege, quàm ſalutaris obedientia eſſet, quæ magna debetur Romanæ Eccleſiæ, quæ mater eſſet & magiſtra omnium; quanta meriti à Deo Reges Portugallienſium propter hanc obedientiam ſint; quanta geſſerunt ab Alphonſo ejus nomine Primo uſque in hunc, qui Quintus eſt. Venere in hanc commemorationem expeditiones frequentes in Mauros & Afros, inſigneſque de iis habitæ victoriæ; defluxit oratio in laudes ipſius Alphonſi Quinti, in laudes nationis, quæ in omne edictum navigandi in hoſtes Fidei, ire ſe putaret ad plenum lætitiâ convivium; cujuſque, non ut de Romanis ſcripſit Livius, eſſet noſtra ætate & pati, & facere fortia. Laudarunt inde Pontificem magnificis verbis, doctrinæ, integritatis, Religionis, & manſuetudinis; congratulati Collegio ſunt, quod tam Sancto Pontifice fruerentur; profeſſi puram, liberam, abſolutamque obedientiam ſunt. Commendarunt Regem, & Regnum; demum precati ſunt Deum, ut diutiſſime præſtaret illum Eccleſiæ incolumem. Reſponſum à Pontifice eſt; laudatus tantummodo Rex, & habitæ pro obedientia gratiæ. Datus eſt decimâ Julii publice Senatus Oratoribus Gallis ad profitendam obedientiam, orationis ſuæ hæc fuerunt capita. Excuſaverunt ſeram miſſionem Regis, cauſſam omnem in duras Regni res conferentes; oſtenderunt lætitiam ejus ingentem ex Pontificatu Xiſti. Laudaverunt Patres electionis factæ. Laudaverunt ipſum Pontificem pluribus verbis. Gratulati ſunt Principibus ſeculi, ſobolique ſuæ, quod regendi eſſent à tanto Paſtore; deſcenderunt in commendationem ſanguinis Regii, Lilia tria, quæ in Inſigni ſtant, ſic interpretantes, ut uno ſignificari dicerent oleum, quo in Coronatione ungitur Rex; altero Vexillum, quo eſt ſemper defenſa Fides Catholica; tertio potentiam, qua id ſæpe potuerunt & poſſunt. Porro autem ingentem dixerunt eſſe fidem Regis in Apoſtolicam Sedem & in Romanum Pontificem; quo in loco commemorantes ipſius Romanæ Sedis inſtitutionem divinam, eminentem, glorioſam, & neceſſariam ſaluti noſtræ, nimirum venerari ſe illam veniſſe addiderunt; dederuntque obedientiam debitam. Poſtremo obtulerunt Regem & Regnum. Reſponſum ita eſt à Pontifice, ut plane appareret, orationem ſuam meditato allatam, non ex propoſitis ſumtam; multa enim præteriit ſilentio, quæ neceſſariò rememoranda judicabantur. Tantùm delectatum ſe illorum oratione dixit: Recenſuit importune ſatis merita Gallorum nonnulla in Eccleſiam, vetuſta quidem, & minimam vix partem meritorum habentia; illud de præſenti Rege Ludovico opportune, quod ſedente Nicolao Quinto ſuſtulit Schiſma, & adminiſtrante Pio Secundo abolevit de Regno Pragmaticam, de obedientia denique, & oblatis gratias habuit. Ante exitum ejus in publicum orta eſt gravis de loco contentio inter Oratores Regis Neapolitani & Portugallenſis, utriſque priorem deberi ſibi aſſerentibus. Miſit Pontifex, qui dicerent Cardinalibus, viderent ipſi, quid ea in re eſſet agendum. Dictæ ſententiæ ſunt; conventum in uno, hoc eſt, non videri in eo articulo ipſis judicium de honoribus Regum ferendum, quod Pontifices & Concilia æque vitaſſent. Ceteris in rebus diſſenſum. Quidam præferendum Portugallenſem ajebant, quod liber Rex eſſet, & nullis ſubditus, & apud Imperatorem prælatus aliquando memoriâ eſſet; quidam etiam contra anteferendum Neapolitanum, quod id Regnum antiquius eſſet, quod Hieroſolymitanus etiam eſſet, quo nomine ungeretur, & plus polleret viribus; qui denique ſedenti-

Digitized by Google

dentibus Nicolao, Caliſto, & Pio, præceſſiſſet ſemper; neque id attendendum, quod ſubditus diceretur Eccleſiæ. Subditum etiam Portugallenſem Imperatori eſſe, à quo Fides Romano Pontifici juraretur. In his altercationibus medium conſilium à Xiſto ſumtum, ut uterque à Senatu habendo abeſſet: cui rei quum maximis clamoribus neutri aſſentirent, & jam procedente Pontifice à vi temperaturi non viderentur: ex tertia Aula repulſi à Cardinali Urſino in cubicula interiora ſunt, atque ſeorſum recluſi: ita habitus quiete Senatus. Dictum ab Oratore Regis Caſtellæ eſt; ita novum Regnum eſſe Portugalliæ, ut hic, qui regnaret, decimus tantùm Regum eſſet. Ego abfui interim.

Anno MCCCCLXXIII.

Die VII. Martii retulit Cardinalis Sanctæ Crucis ad Senatum de quodam Religioſo Firmano, qui ordinari ſe ad Epiſcopatum titulo tenus poſtulabat, nullo eum Epiſcopo in ſuffraganeum depoſcente. Rejecta rogatio eſt. Dixit Rotomagenſis, novo exemplo id peti; neque enim niſi in aliorum ſuffragatores dari tales Epiſcopos ſolitos. Paulo ſedente unum petitum à Duce Britonum, qui miniſterio ſuæ Capellæ præeſſet. Nec Principi tanto ad ornamentum etiam ſacrorum privatorum indultum. Die X. Martii Schola Lovanienſis in Germanis, Magiſtro quodam Petro Thomæ Profeſſore, hoc contendebat: *propoſita de futuris contingentibus, nec vera eſſe, nec falſa*. Hæreticum hoc dicebatur, nec conſentaneum Fidei. Ad hæc diſceptanda Brixienſem tantùm Epiſcopum, & paucos quoſdam Theologos adhibuerat Pontifex. Quibus etiam auctoribus definire contentionem ſtudebat. Jactata in Senatu res eſt, probantibus defenſionem cunctis, eamque veram aſſerentibus; id modò deeſſe ad facti auctoritatem videbatur, quod paucorum conſilio definiebatur. Dixit Papienſis, convocandos ex omni natione Epiſcopos Magiſtroſque, qui Romæ erant, atque iis approbantibus decretum ſcribendum. Solere nos, quum quempiam inter Sanctos conferimus, convocationem hanc facere; non convenire; cum de Fide agitur, illam omitti; Pium quoque Pontificem, cum de Sanguine Chriſti effuſo dudum ageretur, Prælatos Eccleſiæ ad diſceptationem congregaſſe; idem feciſſe, quum Mantuæ ſanxiſſet, qui ad futurum Concilium appellarent videri contra Eccleſiam facere. Laudata ſententia eſt, & vocati ad conſilium Prælati. Die V. Aprilis quum de Eccleſia Ambianenſi ageretur, cujus pæne tota diœceſis in ditione Ducis Burgundiæ eſt, Civitas autem Regis Gallorum, uterque autem ex ſuo judicio dari Epiſcopum contenderet. Dictum à Spoletano eſt, primam ſemper rationem à Jure Canonico de ipſa Eccleſia haberi, quod inde Epiſcopatui eſt nomen, & in ea Epiſcopalis eſt Sedes & ibi denique ad electionem convenitur novi Paſtoris. Agebatur de ulciſcendis Anconitanorum injuriis, quas Veneti crebras per hos annos intuliſſent, & nunc inferunt quotidie; & de Monitorio decernendo dicebantur ſententiæ. Affirmabatur hoc genus pœnæ illos non laturos eſſe; etenim Germanorum commerciis illico carituros, quæ centum millibus aureorum ſolo Cretico, & aromatibus in annos ſingulos ſtent; Germanos magnâ curâ vitare ſolitos, qui extra Eccleſiam ſunt, & parere decretis Sedis Apoſtolicæ. Die VII. Aprilis, Thomas quidam vir acris ingenii quum Imperatoris Federici nomine aſſumi ad dignitatem Cardinalatus Dominicum Epiſcopum Brixienſem contenderet, eamque ob cauſam poſtulato Senatu, ac dato, fervidius loqueretur, ſæpe inter agendum Monarcham Orbis Imperatorem appellabat. Tum Cardinalis Rotomagenſis, qui etiam cauſæ Dominici minus favebat, paulo commotior factus: *male*, inquit, *agis, Thoma. Non tuus Imperator, ſed hic noſter Pontifex Monarcha eſt Orbis. Pati non poſſum, Romanæ amplitudini detrahi*. Tum ille: *non omnium*, inquit, *Monarcham Imperatorem ajo; temporalium tantùm intelligo*. Et Rotomagenſis: *nec temporalium quoque illi eſt Monarchia. Jure divino, & Pontificio tota Romani eſt Præſulis*. Idem qui ex Patribus jus didicere, uno judicio confirmarunt. Reductâ iterum ad Senatum Anconitanorum re, quum in Venetos multa à Patribus dicerentur, qui ſibi Jus Superi maris vindicabant, nec Anconitanos navigare, aut quemquam Picentum, qui ad litus ſunt, navigio tranſportare de Oppido in Oppidum aliquid patiebantur; qui etiam contumelioſo rerum noſtrarum titulo, Præfectum Claſſis oræ Picœnæ, Paulo ſedente, inchoatum, nunc etiam habebant. Dixit Cardinalis de Urſinis, Alexandrum Tertium natione Senenſem Venetis hoc permiſiſſe, ut mare id Superum, quantum à Ravenna Venetias pertinet, à prædonibus tuerentur; ejuſque cuſtodiæ cauſſa exſequi neſcio quid permiſſum; illos paulatim hortante ambitione & avaritia, juris ſui totum id Mare feciſſe. Decreta autem Anconitanis Diplomata ſunt, quibus excommunicantur Prædatores ac Vexatores navigiorum ſuorum & mercium. At jus apprehendendorum Prædonum, rerumque ſuarum conceditur, ubicumque in Eccleſiæ ditione fuerint adinventi; hujuſque denunciandæ rei cauſsâ Baptiſta Brendus Romanus Civis juſſus eſt illuc proficiſci. Rurſum depoſcente Thoma mitti ad Conventum Auguſtenſem, qui proxime erat habendus, Legatum Romanæ Sedis, dixit Cardinalis Genenſis, cui ex Germanorum commercio ſunt nota Germanica, nullius ſibi uſus eam miſſionem videri. Conventus illorum eſſe inanes. Decem intra non multos annos habitos, quorum non ſit fructus perceptus; hoc autem incommodi numquam deeſſe, quod Populorum de nobis innovantur lamenta; etenim magnis apparatibus tam Principes quàm alios illorum æmulos, ad illos accedere, eorumque ſumtuum ferendorum cauſsâ tributa ſuis imponere, atque identidem dicere imperio Romani Pontificis ſe proficiſci, & adjuvari profectionem neceſſarium eſſe: ita miſeras plebes non ſuorum Principum, ſed noſtras injurias lamentari. Ad Cardinalatum autem ex illa natione eſſe idoneos addidit Epiſcopum Uratislavienſem, & Auguſtenſem, & Metenſem, & neſcio quos ex domo Bavarica. Item & Tridentinum, qui ſæpe ad hanc Sedem Orator veniſſet. Dictum quoque eſt, Prælatos Germanarum Eccleſiarum ideo Cardinalatuum ſtudioſos non eſſe, quod in eorum Conventibus; quos crebros de publicis habent, ei dignitati locus non eſt; neque enim eorum quemquam, qui anteire ſit ſolitus, pati Cardinali poſtponi. Ideoque vel alios non convenire, vel Cardinalem factum ad Conventum non accipi. De Epiſcopo Eiſtetenſi referebatur exemplum. Quum Pius eam dignitatem obtuliſſet, gratias agens, beneficium

Digitized by Google

clum remisit. Hodie die XXVIII. Maji, Pontifex novo exemplo Federico Vicario Urbinati locum in Capella dedit ad subsellia Cardinalium, ita ut ultimus consederet. Displicuit ea res Patribus; erat enim Ecclesiæ subditus, & quadriennio ante apud Ariminum Dux hostilis exercitus nostrum profligavit, & exuit castris. Porro autem is locus proprius est Primogenitis Regum. Admonuit Rotomagensis ea de re Pontificem; admonuit Mantuanus; perseveravit nihilominus in instituto. Agebatur de desponденda filia Federici Johanni ex fratre filio, & Senogalliâ, Mondavioque illis tradendis. Putatum est carnis & sanguinis id pernicioſum exemplum fuisse. Ferdinando Rege Neapolitano mittente Federicum secundogenitum filium ad Carolum Ducem Burgundiæ desponденdæ unigenitæ filiæ causâ, quum iter illi Româ tenendum esset; dictæ sententiæ de eo recipiendo à Patribus sunt. Sana pars nonnisi Cardinalem unum obviam mittendum censebat, quod secundogenitus esset. Erant qui cuperent & ipsi exire, quod vel amicitia vel affinitate essent Regi conjuncti. Censuit Cardinalis Senensis, unum tantùm mittendum; ceteris imperandum, ne exirent; mitti plures non posse, quin omnes exeant, quibus cum illo necessitudo intercederet. In hujus sententiam decretum est, ut solus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula Pontificis Nepos advenientem exciperet, ceteri familias mitterent. Die ..... Novembris magnâ pompâ Urbem ingressus est; sequenti, Senatu indicto, acceptus à Pontifice est, permissusque genupoſito stare, donec sermo perageretur. Inde sigillatim ad subsellia salutans Patribus ultimus omnium est consessu receptus. Visitavit domi Patres, & ab iis est in Pontificia visitatus, ad quam in cubiculis superioribus honoris causâ diverterat. Datus est hodie XXIII. Januarii, Senatus Hungarorum legationi, ad quem publice habendum venit in anteriorem Aulam Pontifex. Mandatorum summa hæc fuit. Obedientiam laudaverunt, quæ Vicario Christi debetur; Matthiam Regem extulerunt, quod armis & Religione & reverentia Romanæ Sedis excelleret; Cardinalem Sancti Marci ab Hungaris redeuntem præclare legationem gessisse testati sunt. Gratulatum Regem asseruerunt, audito Xisti Pontificatu; in Xisti meritis recensendis aliquamdiu sunt immorati; post excusarunt seram missionem, causati tempora, quæ ante non siverunt; porro autem Regem & Regnum in officio Romanæ Sedis dixere; obedientiamque ex consuetudine obtulere. Extrema orationis pars deplorationem habuit Christianæ Religionis, quæ hinc à Mauris, inde à Saracenis, ex Septentrione à Tartaris, multis ex locis à Turcis in angustum deducta sit: quo loco contentiore voce, quæ exaudiri undique posset, his verbis ad eam tuendam exhortati sunt Xistum: *Imitare divinum illum Pium Secundum Fidei Catholicæ vindicem*; & non multis intermissis quum verba eadem repetissent, finem fecere. Fuerunt legati Vesprinienſis Præsul, & Johannes inter Sclavos Bau Orationem habuit Præsulis nepos juvenis Ferrariæ ad humanitatem eruditus.

Petierunt die II. Martii in Senatu Oratores Ducis Sabaudiæ, ut inter Ludovicum Sabaudiensem Regem Cypri, ejusque uxorem, Venetosque adversos id Regnum tenentes judicium institueretur. Dati sunt Patres nonnulli, qui audirent plenius Sabaudienses, & referrent ad Senatum. Inter eos quum discreparetur, num instituendum judicium esset, dixit Trasonensis, vir gravis & doctus, sæpe postulata à Sede Apostolica ejusmodi judicia de Regnis & Principatibus; fuisse putatum semper, non esse ea nostræ cognitionis, sed Cæsareæ potestatis; ad nos autem pertinere, quum ratio peccati in medium affertur; sed ante oportere cognosci de peccato. Eam rem, quum multi discriminis sit, consultius esse totam omitti, & reddi Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei. Eadem die, & inter eosdem Patres, quum de Ecclesia Constantiensi Germanica ageretur, cujus Episcopo seni datus adjutor erat, & post obitum successor, Compactatis non obstantibus, quæ electiones concedunt; multaque pro Compactatis ipsis dicerentur: Dixit Trasonensis, Compactata, necessitate suadente, inducta fuisse; illis, quum detrahi salva fide aliquid potuisset à Pontificibus, semper detractum; sed iis non omnes Germanos uti potuisse, ut Leodienses, Tridentinos, & quosdam alios; non omnibus eorum utendorum concedendam facultatem; ea tantùm constituta fuisse cum Imperatore; illi data nostra Diplomata. Nonnullis quoque aliis eadem concessa, ita ut duo de viginti confecta, & data asserant, quæ in Archiviis nostris reperientur. Cum his ergo solis fidem hanc esse servandam; quamquam etiam petente Cæsare electiones Ecclesiarum & Sacerdotiorum illi sint datæ; & derogatum pactis semper, nec hanc derogationem tanti æstimandam videri. Olim Nicolaus Tongen absens & nescius ab Ecclesia Varmiensi Prutenis translatus est ad Caminensem in Pomerania. Causæ sunt dictæ die VI. Novembris quod neque possessionem ipsius Varmiensis adisset, neque adire permitteretur. Inventum est postea, esse eum in possessione, & maximis suffragiis ad eam retinendam juvari. De præficiendo ergo Præsule Caminensi nunc agebatur. Oportebat Nicolaum aut ad Varmiensem transferri; quod translatio ad Caminensem jure valeret; aut declarari, quod causæ translationis veræ inventæ non essent; ipsam translationem invalidam videri & nullam. Dixerunt nonnulli, incommodam rem Apostolicæ Sedi esse, quod nosmet declaratione aliqua doceremus, invitum & nescium transferri non posse. Satius esse à Caminensi iterum ad Varmiensem Nicolaum transferri; & quoniam decreto Constantiensis Concilii cavebatur, ne quis transferretur invitus, nisi eo citato, & causâ ante cognita, etiam additum est adjiciendam auctoritatem ei Concilio non esse, cujus decreta Martinus ejus nominis Quintus confirmare, nisi in quibus de Fide Catholica ageretur, protinus noluisset. De eadem causa Caminensi ortâ alterâ in Senatu disceptatione, an posset invitus transferri Episcopus; multâ utrimque sunt dicta. Neapolitani Cardinalis hæc fuit sententia, quam ab eo strictam & missam ad me præcedenti folio huic volumini assuri. Vocatis ad pomeridianum consilium Patribus, recitari Pontifex jussit Literas Ludovici Gallorum Regis tam ad se quàm ad Senatum. Erat earum sententia: missos in Galliam Oratores Pontificis Præsulem Forolivienſem, & quemdam ejus præguſtatorem affirmasse, summum sibi pacis Italicæ desiderium esse, eamque ob causam delegisse illico Oratores, qui illius procurandæ causâ ad Sedem Apostolicam venirent. Iter autem illis ingressis nuntiatum sibi esse, non esse id desiderium pacis, sed ad nec-

Digitized by Google

ctendas moras, ducendoſque vana ſpe animos; propterea revocatos eſſe ad ſe, & permultum dolere, quod quæ in Turchos utilius eſſet converti, in Chriſtianos Pontifex exerceret. Recitatum ſubinde exemplum reſponſi, hortatique Cardinales, ut & ipſi in eamdem ſententiam ſcriberent; utque minori defatigatione noſtra id facerent, ſemper quum expediret peti Cardinalem, unum ex noſtro numero deligi, qui literas ſcriberet, & à Cardinalibus probatas clauderet, & cum Pontificiis mitteret. Additum ex re Apoſtolicæ Sedis eſſe, mitti ad Cæſarem Oratores, qui cauſſam illius tueantur; & ſiquidem adverſarii male ſuaſiſſent, ipſi diluerent. Prælatum unum eſſe ad id utilem dixit, Auditore etiam Rotæ adjuncto. Probata eſt res, & literæ etiam Senatus cum Pontificiis ſimul decretæ. Profugerat ad nos pulſa Regno Catharina Regina Boſnæ, quod jam ante occupaverat Turchus. Ejus filius, abnegata Fide, cum illo erat contra Chriſtianos militans. Quum autem annos circiter duodecim apud nos ea fuiſſet noſtris pecuniis ſuſtentata, diem obiens, Heredem amiſſi Regni Pontificem Romanum reliquit, addita conditione, ſi filius ad Fidem rediret, utique in paternum Regnum rediret. Ad offerendum teſtamentum, Regnumque tradendum inſtitutus eſt Vicecancellarius. Hodie itaque ceteris in Senatu abſolutis, introducti nonnulli Reginæ domeſtici ſunt, qui & teſtamentum oſtenderent, enſemque, & calcaria Pontifici traderent in poſſeſſionis aditæ ſignum. Laudavit Reginam Pontifex, teſtamentum accepit, ſimul & enſem, prehendique à ſingulis Patribus voluit, ut unum cum illo corpus nos facere ſignificaret. Imperavit Vicecancellario, ut documenta acceptæ hereditatis confecta in Archiviis Apoſtolicis condi curaret. Venturi die XV. Januarii dicebantur à Rege Francorum Oratores cauſsâ conciliandæ pacis in Italia. Pontifex enim, & Ferdinandus Rex in Florentinos pugnabant, & Venetos, & Mediolanenſes inter ſe junctos. Quum honores multi Mediolani & Florentiæ illis tranſeuntibus impenſi nuntiarentur, retulit ad Patres Pontifex, quibus accipiendi Romæ judicarentur. Dictæ in eam rem ſententiæ ſunt. Putabant quidam, nullos impendendos hos honores; non mittendas obviam familiam ſuam & noſtras, mitti tantùm ſolitas, cum profitendæ obedientiæ cauſsâ initio Pontificatus veniunt. Mittendas major pars cenſuit. Rationes dictæ, quod novum exemplum non fieret, quando ſedente Nicolao V. Oratores Venetorum, Mediolanenſium, & Florentinorum, ad tractandam pacem vocati miſſione familiarium ſunt honorati. Rurſus etiam eiſdem idem honor impenſus, quum ſtatutâ Laudæ inter ſe pace ad conficiendum Italicum Fœdus poſt paulo ſunt miſſi. Et ſedente proxime Paulo II. Oratores hujus ipſius Regis, cujus caput erat Balivus Rotomagenſis, pari ſolemnitate eſſent accepti. Item quod miniſtris Pacis non honoratis, perſuaderi facile magno Regi poſſet, ad ſuſpiciones & indignationes proclivi, ingratam eſſe Pontifici pacem. Pacem autem in tanta turbatione rerum non minoris æſtimandam ad communem ſalutem, quàm obedientiæ profeſſionem, etiam ſine miſſione & profeſſione debitam Principibus, ac neceſſariam. In hanc ſententiam conceſſit Pontifex, atque intrantibus illis Urbem die XXV. Januarii preſto affuerunt familiæ. Hodie datus eſt illis Senatus frequens, in quo

A nixi genibus uſque in finem mandata regia ediderunt. Eorum ſumma hæc fuit: Regem ſuum videntem ardere bello totam Italiam, Turchos imminere noſtris exitiis; caput defendendæ Chriſtianæ Religionis Romanum Pontificem eſſe; illi potiſſimum Pacem convenire; de ea concilianda interpellatum proxime ab Epiſcopo Forolivienſe, affirmante ex Literis creditiis, ac ſuo nomine, aſſentiri Pontificem, & cupere, ut judicii ſui eſſet illam ſtatuere. Miſiſſe Oratores ſuos ad eam tractandam progenitorum imitatum exempla, qui & de Fide Catholica, & Apoſtolica Sede bene ſemper meriti legerentur: quo loco multis verbis ex veteri Hiſtoria illa ipſi recenſuerunt merita;
B etiam quæ Ludovicus nunc regnans præſtitiſſet, non tacuerunt. Porro autem addiderunt, quod idem Pontifex bellum in Italia, alienis affectibus, magis quam ſuis, ſerviens, ſuſcitaſſet, pernicioſum Fidei, & ſuæ Sedi periculoſum; multa etiam dura de ejus operibus eſſent nuntiata; indixiſſe Aurelianis magnum Conventum Prælatorum ac Procerum; Prælatos, & Eccleſiaſticos conveniſſe. Communi autem omnium ſententia tria judicata ad communem ſalutem maxime neceſſaria. Primum ut deponerentur arma à Pontifice, & pax Italiæ redderetur. Proxime ut Concilium generale congregaretur ad decernenda Chriſtianorum conſilio, quæ in Turchos viderentur utilia. Tertio loco, niſi his aſſentiret, nullæ vacationes, nullæ pecuniæ ſinerentur ad Apoſtolicam Sedem ex Regno illo venire. Non debere Pontificem ſe diſceptatorem recuſare inter Romanam Eccleſiam, & hoſtes ſuos. Ad judicia enim progenitorum ſuorum ſæpe remiſſas eſſe electiones de Præſulibus Romanis diſcordes, atque illorum interventu ſublata Schiſmata, pacemque univerſali Eccleſiæ redditam. Hereditarii etiam juris ſui eſſe poſt ipſos Pontifices Concilia congregare; eo autem cupidius his conſtituendis intendere, quod nec Duces Mediolanenſes ſuos ex Genua & Savona feudatarios, erepto per vim feudo, nec Florentinos antiquo ſecum junctos fœdere in tantis diſcriminibus poſſet relinquere. Veniſſe
D enim ad ſe eorum, Venetorum quoque, & Ferrarienſium Ducis Oratores, recenſuiſſe antiqua beneficia ſanguinis Gallici, premente eos nunc Pontifice, & Rege Ferdinando, item & Turcho fores Italiæ quotidie pulſante, non habere ad quem confugerent, præterquam ad vetus ſui Regni præſidium; oraſſe cum lacrymis, ut ſe ſe non deſereret, congregaret Concilium, & malis omnibus obviam iret; motum verò ſe eorum precibus juſſiſſe illos non diſcedere, donec quid ſui Romam miſſi factum apud Pontificem eſſet literis ſignificarent. Longæ orationis hunc exitum fecerunt, ut iterum ante oculos ponerent
E diſcrimina multa ex continuatione belli proventura; offerrent Regem mediatorem ad pacem, & ſe ipſos ſuo nomine; in qua conſtituenda eſſet eis certa ſcientia ſervare dignitatem Apoſtolicæ Sedis, & injurias ulciſci, ſi quæ illatæ viderentur, Romanæ Eccleſiæ; hortarentur, porro ad deponenda arma, ad congregandum Univerſale Concilium, in quo vel ſua Sanctitas, vel Legati Apoſtolici præſiderent; ſejungeret ſe ab eorum participatione & conſiliis, qui illum ad permiſcenda omnia induxiſſent; Regique ac Regno benediceret, quodque opus reverens, & dignum Principe Catholico, benigne acciperet. Viſum eſt nihil

Digitized by Google

hil dictum & poſtulatum; voluerunt, quod non matri Eccleſiæ conveniret, & emendationis Apoſtolicæ eſſet. Eis auditis, juſſit Pontifex extra Senatum illos exſpectare, ut idonee cum Fratribus de reſponſo conſuleretur. Una omnium ſententia fuit, petenda hæc poſtulata in ſcriptis, & differendum in diem alium reſponſum, donec quod reſpondendum eſſet mature cognoſceretur.

Anno Nono Pontificatus Sixti.

MCCCCLXXIX.

ENarratis breviter, quæ exiſtimavi pertinere ad notitiam vitæ & obitus Cardinalis Papienſis, addam deinceps, quæ per ſingulos ferme dies accident aliqua memoria digna; non tam ut alii ea lecturi ſint, quàm ut mihi ipſi ſatisfaciam. Qui ne otio langueam, id mihi laboris ſumſi, ſolitus in ejuſdem Cardinalis famulatu ſcribendo, vel legendo aliquid ſemper operari, quum certò ſcirem magis mihi otium quàm laborem ſcribendi obſuturum. Igitur, ut hujuſmodi annotationum mearum ſive Diariorum meorum initium faciam tempus expugnationis Montis Imperialis, qui Pogibonzo Florentinorum Oppido imminet, ſubjiciam. Septimo itaque Idus Septembris ejuſdem Anni 1479. ineunte Anno Nono Pontificatus Sixti Pontificis Quarti maximi, Eccleſiæ & Ferdinandi Regis Neapolitani copiæ eo Monte potitæ ſunt, quamvis valido Florentinorum præſidio cuſtodiretur, cui tunc Conſtantius Sforcia Toparcha Piſaurienſis præerat. Plures tamen utriuſque partis in acie pugnantes cecidere, inter quos Julius Sabellus Mariani filius, qui Eccleſiæ ſtipendio militabat, magni animi, nec minoris exſpectationis juvenis, ſclopeti ictu percuſſus, interiit. Exercitui Eccleſiæ tunc præerat Federicus Feretranus Urbinas, & Calabriæ Dux Alphonſus regius primogenitus; nam Pontifex & Ferdinandus communi conſilio adversùs Florentinos bellum gerebant. Florentinis verò Veneti fœdere adhærentes nonnullas in auxilium copias miſerant, ſed ſerò & ad conſerendas manus parum idoneas. Belli autem hujus, quod ſuperiore anno, & menſe Junio cœptum eſt, origo alio fortè loco referetur. Hoc tantùm ad temporum notitiam ſatis ſit ab interitu F. Salviati Piſani Archiepiſcopi, & captivitate Reverendiſſimi Cardinalis Sancti Georgii Legati Apoſtolici initium ſumſiſſe, qui non ut caperetur, ſed ut in vita ſervaretur, amantiſſime & honorifice cuſtoditus fuit. Obierat per eos dies Auguſto menſe Comenſis Cardinalis Sancti Clementis apud Racanetum, ortus ſui & agri Picœni Civitatem, quo per æſtatem diverterat. Antonius Jacobus ei nomen fuit, gente Veniera. Fuerat hic Romæ Apoſtolicorum Diplomatum Scriptor; inde Syracuſanus Antiſtes, à Pio II. in Hiſpaniam miſſus, ubi ab Hiſpaniæ Rege honore eſt auctus, & ad Eccleſiam Legionenſem translatus, atque ab eodem Rege Orator ad Pontificem Paulum II., qui Pio ſucceſſerat, deſtinatus. Defuncto Paulo, Sixtus Quartus ſucceſſor eumdem Comenſi Eccleſiæ uberiori præfecit; ac poſtea ſecundo Pontificatus anno Cardinalem creavit. Vir fuit acris ingenii, magnæ ſolertiæ, linguæ liberæ, & intrepidi animi; ideoque Pontifici, & Mecœnati parum gratus, ut creditum eſt. Relata ſunt ex ejus hereditate ad fiſcum aureorum millia viginti inter pecuniam, vaſa argentea, veſtes ſui uſus, & ſtragula. Cadaver Romam delatum, & in Æde ejus Titulo conditum. Expugnato Imperiali Monte, quem dixi, quum priùs Pogibonzum certatim, & nonnulla alia Vallis Elſæ, & Vallis Ambræ Caſtella in Pontificis & Regis poteſtatem deveniſſent, admota ſunt caſtra ad Oppidum Collenſe ſupra ripam Elſæ fluminis poſitum, ſitu, & manu egregie munitum, tentatis primùm Oppidanorum animis per exercitus Præfectos. Quum illi ab Florentinorum fide nullo modo velle deficere reſpondiſſent, obſideri eſt cœptum Oppidum, & oppugnari valide. Illi duos fere menſes continuos reſtitere. Tamdem diruptis mœnibus bombardarum aſſiduis ictibus, annona jam deficiente, ob timorem direptionis & incendii, quod ab hoſtibus nuntiabatur, poſtulatis & acceptis conditionibus, die .... Novembris hoſtes intra mœnia recepere. In ea obſidione utrimque plurimi cecidere; ſed qui alicujus famæ & nominis referrentur, nulli fuere. Oppidi verò cuſtodiam ſibi ſumſit Dux Calaber; Senenſibus, quibus ex conditionibus fœderis cedi debuerat, ejus potiundi ſpes data. Qui tamen fruſtrati, & Ferdinando id præcipue imputantes, nonnihil ab obſervantia regia receſſiſſe crediti ſunt. Interea Pontificiæ & regiæ copiæ in hyberna ſe recepere, & tractatus pacis apud Neapolitanum Regem haberi ſunt cœpti. Laurentius enim Medices, cujus deprimendi gratiâ bellum eſt cœptum, quum vidiſſet inferiori loco Florentinorum res eſſe, ſe totum Regiæ Majeſtati commiſit, ac ſexta die menſis Decembris Florentiâ abiens, Piſas pervenit; unde triremi aſcenſa, quam ad id paratam habebat, paucis comitatus Neapolim navigavit. Menſes circiter duos ibi eſt commoratus, ab ipſo Rege honorificentiſſime receptus & habitus, unde in patriam remeans, non mediocriter poteſtate & auctoritate eſt auctus. Pacis verò Florentinis à Rege datas conditiones non ſatis probavit Pontifex, quia parum ex ſua & Sedis dignitate ſunt viſæ; eis tamen acquieſcere melius exiſtimavit quàm novis malis rurſus involvi. Non enim videbat, quomodo ea improbaret, quæ mandato ſuo egerat ad eam rem miſſus Laurentius Juſtinus Tifernas, Eques magnæ hactenus apud eum & Hieronymum Riarium fidei, quæ tamen ex ipſo tempore illam ob cauſſam minui multum eſt cœpta. Pacis verò ipſius conditiones in maxima celebritate in Æde Virginis Populeæ ex pulpito per Generalem Auguſtinenſium P. Ambroſium Ceranum ſunt recitatæ, dum ageretur divina res, aſtante Pontifice & Cardinalibus ac Curiæ Magiſtratibus die ſolemni Annuntiationis Beatæ Mariæ, qui quintus & vigeſimus eſt Martii menſis. Sed jam ad priora redeamus. Eodem ferme tempore, quo poſt adeptum Collis Oppidum in hiberna Pontificis copiæ ſe recepere, Catherina Marzana Roſſani Principis filia, neptis Ferdinandi Regis, quæ paulo ante Antonio Baſſo Ruverio, nepoti Pontificis, fuerat deſponſata, ex Neapoli Romam venit die Sabbati decima octava menſis Novembris, & in Ædibus Sancti Petri ad Vincula ea nocte quievit. Sequenti verò die mane in Pontificiam Vaticani cum maxima pompa; equo albo dono à Pontifice ei dato, pervenit. Ibi rei divinæ ambo interfuere, cui operatus eſt Petrus Guillermus Rocca Archiepiſcopus Salernitanus, primus Pontificis Referendarius,

maximæ auctoritatis, gravitatis & veneratio-
nis Præsul. Venerato Pontifice & peractis sa-
cris Sponsalibus, eâdem pompa deducta est
domum. Maximo apparatu celebratæ sunt nu-
ptiæ, & more Regio convivis epulæ datæ.
Novæ quoque nuptæ munera oblata plura, &
ea domus, quæ paulo ante propter obitum
Papiensis fuerat plena luctu, tunc risu & læti-
tia exsultare visa est: ita humani sunt casus.
Cardinalis N. Racanatensis, Pontificis nepos,
ejusdem Antonii frater, easdem ædes sibi lo-
cavit à Religiosis Cœlimontanis, ad quos mor-
tuo Papiensi redierant. Ad sextum & vigesi-
mum diem Novembris cooptatus sum in ordi-
nem Secretariorum Pontificis, & Apostolicæ
Sedis, de numero senario Participantium in
loco Jacobi Cæsenatis, qui eo die ad Imolen-
sem Ecclesiam, licèt absens, designatus fuit.
Diplomata statim confecta sunt, & mihi tra-
dita, ac secunda Decembris die fui à Collegis
meis receptus benevolentibus omnibus, & mihi
congratulantibus. Collegæ verò hi sunt, Mar-
cellus Rusticus Romanus, Gaspar Blondus
Forolivienſis, Andreas Trapezuntius, Matthias
Palmierus, Franciscus Nozeranus. Sextus ego
reliquus sum, qui operor his scribendis Jaco-
bus Volaterranus Nicolai filius, & Ecclesiæ
Volaterranæ Archidiaconus. Eodem mense
adscriptus etiam sum inter Pontificis Cubicu-
larios, qui honoris caussâ ad ejus obsequium
sunt. Manibus suis Pontifex mihi habitum de-
dit, astantibus Ferdinandi Oratoribus, & plu-
ribus Palatinis Præsulibus. Hujus honoris mei
interceſſor fuit Antonius Pontificis nepos,
quem dixi, in cujus obsequia veneram; nam
quum me prius inter domesticos asciviſſet Pon-
tifex: *Jacobe*, inquit, *amamus te propter meri-
ta tua; bono animo esto; & si quid in tuum com-
modum accidet, promtos nos esse scito ad bene tibi
faciendum. Placet, ut adhæreas Antonio nepoti
nostro. Qui sibi servit, nobis servit*; ac plera-
que subjunxit plena pietatis, & caritatis pa-
ternæ. Octavo Idus Decembris, qui fuit dies
Lunæ, Gabriel Veronensis, Cardinalis Agrien-
sis nuncupatus, Urbem ingressus est, ac qua-
triduo post dicendæ sententiæ in Senatu sibi
facta potestas fuit, quod illi aperire os dicunt
Intranti Urbem obviam iere Patres omnes us-
que ad Portam Populeam; inde suo ordine
se moventes ad Pontificiam Vaticani illum
deduxere, medium inter duos primos inferio-
ris ordinis Cardinales. Exspectabat Pontifex
in publico Senatu; quem ad hoc solum voca-
verat, sedens in Throno suo; ascendentem
Cardinalem Throni gradus ad osculum pedis,
manus & oris excepit. Inde à singulis Patri-
bus ad oris osculum est receptus, quos omnes
per subsellia dispositos per ordinem amplexus
est, & cum veneratione deosculatus. Postre-
mo inter ceteros Patres sibi locus est datus,
qui ex vocationis ordine sibi obveniebat. His
peractis, dimissus Senatus est, & Cardinalis
domum deductus, quam in Pelliceario trivio
mercede sibi conduxerat. Is modus servari
semper solitus est, quum primùm novi Cardi-
nales recipiuntur. Veniebat autem tunc ex
Hungaria, ubi multos annos fuerat in consilio
Matthiæ Regis, cujus auspiciis, virtute tamen
duce & fortuna comite, eam dignitatem est
assequutus. Sed non erit ab re de hoc Patre
altius nonnulla recensere. Fuit hic unus ex
discipulis sanctissimi & Religiosissimi viri Jo-
hannis Capistrani ex Ordine Minorum Beati
Francisci nuntiatoris divini verbi sua tempe-
state celeberrimi; quo inter arma Christiana
apud Belgradum defuncto (ut est nota Histo-
ria) cum Hungaris mansit, magistri sui disci-
plinam & vitam continuans. Perspecta vitæ
hujus integritate, in pretio virum habere
cœperunt. Veniens igitur paulatim in Regis
notitiam, missus est aliquando ad vicinos Prin-
cipes, quum grave aliquod tractandum acci-
disset. Sedente Paulo II. viri hujus odor ad
nos usque pervenit; vocavit ad se eum Ponti-
fex, ususque est multum operâ suâ ad placan-
dos Reges Poloniæ, & Hungariæ, tunc inter
se propter Regnum Bohemiæ dissidentes, quod
uterque, damnato propter hæresim Pogebra-
tio ad se pertinere contendebat. Remissus, &
revocatus est, pluries semper se ita gerens, ut
Romani Pontificis judicium de se augeretur in
dies, & Hungaro gratior efficeretur. Vacanti
Albensi Ecclesiæ, Rege postulante, præficitur;
ad Agriensem majoris dignitatis & census,
inde transfertur, quotidie Regi magis acce-
ptus, adeo ut unicum Regis Consilium ubique
ab omnibus diceretur & haberetur. Quum
autem Apostolica Sedes dare illi nationi Car-
dinalem unum decreviſſet, & multi Præsules
ejus Regni, genere; auctoritate, & opibus
clariſſimi ad eam dignitatem aspirarent, in
hunc solum vertit se Rex, & officia, ac stu-
dia sua omnia ad hujus amplitudinem contu-
lit, vel hunc, vel nullum recepturum se asse-
rens. Tamdem superiori biennio maximo fa-
vore Pontificiæ, & regiæ Curiæ, Cardinalis
creatus, & titulus Sanctorum Sergii & Bacchi
ei est datus. Evenit, ut est postea intellectum,
quod eodem die Laurentius Medices Floren-
tiâ discessit Neapolim navigaturus, ut superius
monstratum est, quo Agriensis Cardinalis Ro-
mam est ingressus. Eodemque die pacis nun-
tius Florentiam allatus, & Laurentii reditus
in Pisanum portum est nuntiatus. Nam post
duos fere menses, quibus Neapoli fuit, rebus
publicis & privatis compositis, duabus trire-
mibus Pisas delatus est; & Pax interim, quæ
se præsente firmata fuerat, publicata est. Ex
quo non modò ejus auctoritas continuata est,
ut à plerisque creditum fuit, sed mirum in
modum aucta.

Anno MCCCCLXXX.

AD XII. Kal. Februarii qui dies Veneris
fuit, Romam est ingressus Cardinalis San-
ctæ Luciæ in Silice, qui Heslet vulgo cogno-
minatus est, natione Germanus patria Herbi-
poli. Georgio sibi nomen est, Heslet cogno-
men. Humilibus parentibus ortus, per supe-
riora tempora Romæ notus, in Protonotaria-
tus ordine constitutus, in favore Federici Cæ-
saris ad Cardinalatum superiore biennio assum-
tus est, Patribus longo tempore ejus creatio-
nem non probantibus, animi inquieti vir exi-
stimatus, & novarum rerum cupidus, à non-
nullis petra scandali nominari consuevit. Ve-
lit Deus, ut deinceps sit in illo mens bona,
& ad Ecclesiæ Consilium recta. Die XXVIII.
ejusdem mensis Januarii dicendæ in Senatu
sententiæ sibi data potestas est. Februarii die
ultima, qui Martis fuit, ingressus est Urbem
Leonardus Toccus Despotus Artæ cum Johan-
ne, & Antonio fratribus, ac Carolo filio à
Napoli veniens, à Pontifice vitæ subsidia pe-
titurus. Ei obviam itum est à famulis Cardi-
nalium ad Portam Lateranensem, etiam do-
mum usque deductus, quam mercede inter

viam

Digitized by Google

viam Pellicéariam, & Tabernas obſcuras, ſibi paraverat. A Cæſareo hic ſanguine Imperatorum Conſtantinopolis ortum ducit, etiam in Græcia latiſſimum dominatum retinens. Præſenti Anno à Turcho inde eſt pulſus; profugus à Regno confugit cum uxore, liberis, & fratribus ad Ferdinandum Aragonenſem Neapolitanum Regem, cujus neptem Franciſeam nomine annis ſuperioribus in matrimonium duxerat. Deſpotum Artæ eum nominant; & ea quidem pars Græciæ eſt, quam veteres Acarnaniam, ut creditur, appellabant, ac Cefalonia, Jacyntus, & nonnullæ aliæ Inſulæ & provinciæ ſibi obediebant. Priuſquam Regno pelleretur, à Turcho ſæpe in amicitiam vocatus, conſtantiſſime infidelis Principis fœdera recuſavit; Chriſtianorum ſæpenumero ſubſidia incaſſum efflagitavit; Venetis etiam quibus propter Ferdinandi affinitatem amicus ille non putabatur, adhærere minime voluit; tamdem urgente hoſtili claſſe avita Regna relinquere coactus eſt, & aſcenſa triremi, quam ad fugæ occaſionem paratam tenebat, cum conjuge, liberis, & fratribus, ac regia gaza, quæ ſibi reliqua erat, celeri navigatione in Italiam trajecit, & in Tarentinum portum delatus. Rex confugientem ad ſe affinem in Regnum recepit, ac bono animo eſſe juſſit. Pontifex poſt biduum illum clementer audivit, iniquam fortunam ſecum indoluit, aureis mille illum donavit, ac millia duo in annos ſingulos ſibi daturum promiſit; majora ſe facturum oſtendens, ſi quieſcere à bellis daret Deus, uti ſperabat. Adjuvabat eum apud Pontificem Antonius nepos, eo quod uxor ejus Catherina ſoror erat Franciſcæ Deſpotæ, ut eorum utar vocabulo. Menſem integrum & ultra Romæ manſit; inde Neapolim rediit, dimiſſo Ferdinando ex concubina filio, qui in Pontificis familiam aſciri debebat. Is quatriduo poſt patris receſſum ſimulans illum ſequi velle, eo quod Romanum aërem ſibi obfuturum verebatur, mare proximum petiit, ubi Veneta mercatoria navi inventa, miniſtris tantùm duobus comitatus, Venetias navigavit. Dictum poſtmodum, à Venetiis Corcyram profectum, & à ſuis evocatum, partem paterni imperii recuperaſſe. Juvenis audax eſt, & manu promtus, annos duos & viginti natus. Memini eum in ſermone quodam dixiſſe: *etſi anulos amiſimus, nihilominus digitos integros retinemus*: opinor Græcum eſſe proverbium. Erneſtus Dux Saxoniæ die Mercurii, quæ fuit vigeſima & ſecunda Martii Menſis, ingreſſus eſt Urbem; ſolvendi voti enim gratiâ Romam venit, Duce Brunſuicenſi nomine, & Guiliermo Comite Hennebergenſi Principibus Germanicis illuſtribus, comitatus. Ipſe autem Erneſtus ex Romani Imperii Electoribus unus eſt, & magni Mareſcallatus dignitate præfulgens. Nigra veſte tam Princeps quàm ceteri uſi ſunt, ac ſuper ſuam quilibet album baculum peregrinationis inſigne in pectore deferens. Equi circiter ducenti cum illo, cuncti fere ſpecie & forma præſtantes. Obviam illi eſt itum à Pontificis & Patrum familiis ad Populeam Portam. Medius ipſe equo ſuo vectus inter Cardinales Heslet Presbyterum & Senenſem Diaconum, alterum Germanum alterum Italum, qui & Linguam, & mores Germanorum optime callet, & ipſi Principi per alia tempora admodum notus & clarus. Domum quæ ſibi in Parione parata erat, deductus eſt. Pontifex magnis honoribus illum affecit; quum rei divinæ, vel ſacris

A veſpertinis interfuit, ſemper in Cardinalium ſubſelliis ei locus eſt datus, immediate poſt ultimos Patrum, qui niſi maximis Principibus dari non conſuevit. Aureæ Roſæ munere Patrum conſenſu eſt honoratus, quæ paulo ante ipſius adventum in ſolemni cœrimonia de more fuerat conſecrata; atque ex Petri Baſilica, ubi peracta fuerat res divina, à Patribus & Proceribus Curiæ, domum deductus eſt, Roſam ipſam manibus geſtans. Id myſterium habet inter præcipua ſacroſancta Eccleſia Romana; & ad maximos Reges & Principes quandoque deſtinari per ſummos Pontifices conſuevit. Ex Cardinalibus & Proceribus Palatinis quamplures variis muneribus eum Principem
B ſunt proſequuti, ſed ante alios Hieronymus Riarius, qui ut animi magnitudine, opibus & gloria ceteros antecellit, ita à nemine in Saxone honorando vinci paſſus eſt. Ad diem enim decimum Aprilis menſis Venationem illi exhibuit adeo celebrem, ut à multo tempore citra ejuſmodi vel viſa, vel audita non ſit. Principes ipſi, & eorum comites vecti equis, inſignibus, gemmis, & auro fulgentes, ac leporarios laqueo tenentes, maximum Populo ſpectaculum præbuere. Sequebatur eos innumerabilis Equitum multitudo, canum levium,
C & eorum, qui excitant è ſilvis feras ac venaticorum omnis generis vis maxima illuc traducta eſt. Romana Juventus, & Nobilitas omnis, viſendi, placendi ſtudio, in venationis loca ſe contulit. Ex Curialibus cujuslibet ordinis illuc iere quamplurimi; artificum eo die Romæ intermiſſa ſunt Opera, quippe qui feſtus & celeber ab omnibus habitus eſt, quia non longius ab Urbe ultra octo millia paſſuum venatum eſt; ideo etiam pueris exeundi poteſtas fuit. Cervorum miræ magnitudinis & Capriolorum vis maxima excitata fuit & capta; & feræ nonnullæ manibus Principum ſunt com-
D prehenſæ, quaſi ipſæ ad felicitatem diei illius capi voluerint. Lætæ acclamationes tollebantur; quiſque laudem ex cane deſiderabat, quem laqueo regebat, & in excitatum leporem emiſerat. Spectaculum omnium jucundiſſimum erat Capreolum proſpicere nunc hos, nunc illos prætereuntem; canes alios à fronte, alios à lateribus incurſantes. Convivium Venatoribus non modò, ſed omnibus illuc confluentibus ad Mallianos Fontes ſub dio paratum eſt, non tumultuarium, ut aſſolet, ſed copia, ornatu, & luxu pæne Regio. Dici non poſſet, quantum Germani illi Proceres, more ſuo lætantes, voluptatis & jocunditatis eo die acceperint. Cantantium & lætantium vocibus, canum latratibus, clangoribus tubarum, & cornuum ululatibus ſilvæ omnes, nemora, & arbuſta omnia perſonabant. Receſſit autem XIV.
E Aprilis, quæ Jovis fuit dies, iiſdem Cardinalibus abeuntem comitantibus, qui venientem deduxerant. Ita per eos dies, quibus tam Princeps quàm comites ejus, omnes noblſcum ſunt commorari, humaniter ſe habentes, ut ſui deſiderium apud omnes reliquerint. Donatus fuit adveniens à Pontifice exculentis, & poculentis ac cereis ex dignitate Romanæ Sedis; abiens verò Agnis Dei, & cereis albis benedictis eſt muneratus, ut tam ſancto Sacramento comite dato abſque noxa incolumis cum ſuis in patriam reverteretur. Dum adhuc Romæ eſſet Erneſtus, die Sabbati, quo celebrantur ſolemnia Matris glorioſæ Domini Salvatoris noſtri, itum eſt ad divina à Pontifice, Patribus, & cunctis Ordinibus, & Proceribus

Digitized by Google

Curiæ ad Ædem beatæ Mariæ Populeæ, quam ſuperioribus annis Pontifex ipſe pro ſua religione à fundamentis inſtauraverat, & in eam formam ex humili & populari redegit, quam nunc cernimus. Ibi ſacris operatus eſt Cardinalis . . . . . & ſacrorum medio Pacis conditiones, de quibus ſupra mentio facta eſt, ex pulpito recitatæ fuere per Ambroſium Coranum Generalem Patrem Auguſtinenſium. Hæ autem conditiones ejuſmodi fuere, ut ex dignitate Pontificis & Sedis, minime fint æſtimatæ, tractatæ, & firmatæ Neapoli apud Ferdinandum, qui ſua magis quàm quæ ad Romanam Sedem ſpectarent, reſpexit: unde augeri mota ſuſpicio cœpta eſt, & ex eo tempore Pontifex alienior factus ad Venetorum partes perſpicue jam ſe convertit. Hujus rei ſupra mentionem aliquam fecimus, & interim dicetur, quum de Venetorum fœdere referemus.

Calendis Majis, quæ die Lunæ evenerunt, Cardinalis Heslet tituli Sanctæ Luciæ in Silice, quum fuiſſet aliquot dies non ſatis firma valetudine, ut ſuæ ſaluti conſuleret, ab Urbe receſſit, in Germaniam natalem patriam reverſurus. Florentiæ & Bononiæ, ut eſt poſtea intellectum, adeo eſt ingravata ægritudo, ut Romam allatus fuerit de obitu nuntius; vanus nihilominus, nam paulo poſt in Germaniam pervenit incolumis. Die Aſcenſionis Salvatoris noſtri in Cœlum, qui venit XI. menſis Maji, itum eſt ad divina de more in Baſilica Petri; Pontifex interfuit cum Patribus & Prælatis; operatus eſt ſacris Cardinalis Sancti Marci Prænestinus Epiſcopus. Homiliam diei illius peroravit Titus Viterbienſis Ludi Præceptor non ignobilis, qui priuſquam ex ſuggeſto deſcenderet, recitavit alta voce Fœdus inter Pontificem & Venetos, cujus conditiones ad verbum perlegit. Dictum eſt, & à pleriſque pro vero creditum, inſcio Senatu tractata ea omnia fuiſſe & firmata, & tunc primùm à Patribus intellecta. Solus Cardinalis Foſcarus, Petrus nomine, natione Venetus, tituli Sancti Nicolai inter Imagines, Venetorum ſuorum nomine cum Pontifice, & Hieronymo Comite ea tractaſſe creditur; ſicque ex ſerie documenti publici; quod lectum eſt, facile apparebat. Conditionum ipſarum ſummam, ſi poteſtas mihi videndi eas facta erit, adjiciam; ſed quantum ego non ex lectione, ſed auditu ipſo percipere potui, ad conſervationem utriuſque Status dumtaxat ſe extendere mihi viſæ ſunt. Per idem tempus, ut eſt poſtea ad verum cognitum, Maumethes Turcarum Rex potentiſſimus, & toti Chriſtianæ Reipublicæ jam formidandus, claſſe centum velorum in Rhodum Inſulam trajecit. Civitatem ejus nominis die XXIII. Maji obſidere cœpit; eam obſidionem Rhodii maximo animo, & ſummis laboribus tres fere continuos menſes pertulere, nonnumquam ab hoſtibus ita preſſi, ut ex muro, quem jam inſcenderant, quandoque cum illis pugnatum ſit, ac non de repellendo à mœnibus hoſte, ſed jam de Civitate ipſa ejiciendo ſit laboratum, adeo ut non tantum virtuti Equitum, quæ procul dubio maxima eſt, quantum Dei beneficio, & Divi Johannis interceſſioni, in cujus protectione Civitas eſt & Religio, tribuendum, quod impiiſſimi Tyranni manus evaſerint. Pontifex naves duas magnas à Genuenſibus acceptas in ſubſidium obſeſſis miſit, omni genere commeatuum, & inſtrumentorum proferenda obſidione egregie oneratas. Totidem etiam Ferdinandus Rex paulo ante tranſmiſerat, quæ opportuno tempore navigantes, in Portum ipſum invitis hoſtibus delatæ, obſeſſis animum addiderunt, & neceſſaria ſubminiſtrarunt. Quæ verò à Pontifice mittebantur, vel quod longior à Genua navigatio eſſet, ſive quod venti non inſervirent, ſoluta jam obſidione, venere, non minus tamen quam Regiæ Rhodiis utiles, & gratæ, tum quod bonum Pontificis, & Romanæ Sedis animum erga ſe viderent, tum etiam quod multa, quæ vecta ſunt, maximo uſui, refrigerio, ac ſolatio miſeris fuere. Obſidionis hujus totam Hiſtoriam, quia eleganter, & ad veritatem à Guilielmo Caorſino Rhodiorum Vicecancellario, qui & ipſe intra Urbem erat, ſcripta eſt, non repetam altius; ab inſtituto etenim meo diſcederem, quum tantum nonnulla ſummatim ad brevem temporum cognitionem notanda miſi aſſumſerim, ut initio ſum præfatus, Papienſis Cardinalis obitum referens. Ex illius igitur ſcriptis cognoſci aperte omnia poſſunt. Rhodum hoc tempore, & Hieroſolymitanam Religionem tenet & regit Pater ampliſſimus Petrus Daubuſſon natione Gallus, annos quinque & quinquaginta natus, vir maximi animi, nec minus ſapientis conſilii, qui ſuperiore quinquennio ab univerſo Religionis Concilio ſummo omnium conſenſu ad eam dignitatem fuit aſſumtus, mortuo Baptiſta Urſino Romano Procere, qui & ipſe duodecim ferme annos Religioni præfuerat, ad eam dignitatem etiam à generali Concilio evocatus, quod ſedente Paulo II. Romæ celebratum eſt, ubi prædeceſſor ejus diem obierat, cujus corpus in Divi Petri Baſilica conditum eſt ante Cellulam Beati Gregorii. Idibus Maji, quæ die Lunæ evenerunt, quinque Cardinales in ſecreto Senatu deſignati ſunt, qui nihilominus ante aliquot menſes creati dicebantur, ſed ad eam diem ſecretò habiti: non abſque cauſſa eſt credendum. Eorum nomina hæc ſunt, Paulus Fregoſus Archiepiſcopus Genuenſis Presbyter tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, Coſmus Urſinus Monachus Ordinis Sancti Benedicti Abbas Farfenſis, & Tranenſis Archiepiſcopus Presbyter tituli Sanctorum Nerei & Achillei, Ferricus de Cluniaco Burgundus Epiſcopus Tornacenſis tituli Sancti Clementis, Johannes Baptiſta Sabellus Protonotarius Diaconus Sancti Viti in Macello, Johannes Columna Diaconus Sanctæ Mariæ in Aquiro. Horum duo tantùm Romæ inventi, Urſinus videlicet & Columna; ceteri abſentes. Sabellus Peruſinam provinciam adminiſtrans, poſt paucos dies Romam reverſus eſt. Interim duo præſentes domi ſe continuere; ad diem verò tertiam Junii menſis, quæ evenit in Sabbato, quum die præcedenti Sabellus Romam ingreſſus in Populari Æde conſtitiſſet, obviam ei itum eſt ab omnibus Patribus; ſed tres novi abſque pileo in Vaticanum honorifice deducti ſunt, & in Senatum publicum introducti; ac Pontificis ore pronuntiati; & ejuſdem manu inſignia pileorum eis data. Admiſſionis morem & ceremonias in Agrienſis receptione ſupra explicavi. Idem ſervari in omnibus conſuevit. Ad abſentes duos Genuenſem & Tornacenſem, pilei miſſi ſunt de more. Eodem die priuſquam Senatus haberetur, receſſit ab Urbe Cardinalis Matiſconenſis nomine Philibertus, natione Burgundus, tituli Sanctorum Johannis & Pauli, iturus in Galliam, ut recuperaret à Rege Francorum cenſus Sacerdotiorum ſuorum, quos multos annos ſequeſtrari mandaverat, eo

quod

Digitized by Google

quod intellexiſſet, contra ſe cum Burgundo hoſte ſentire. Sed bono patri undique fuere anguſtiæ; nam apud Burgundos ejus frater capite truncatus eſt ob ſuſpicionem regiæ amicitiæ; ipſe apud Gallos omni Sacerdotium ſuorum cenſu privatus fuit. Hic ſecundo Xiſti Anno ex Epiſcopo in Cardinalem aſſumtus eſt, cum eam dignitatem Ferrico Protonotario Cluniacenſi, Burgundi Principis nomine, in Romana Curia procuraret; nam quum in illius amplitudine eo tempore nullam ſpem cerneret, adverſante Latino Cardinale Urſino, ad ſe ipſum ornandum converſus, eodem Cardinale ſibi favente, deſiderii ſui compos eſt factus; vir mitis ingenii, mediocris doctrinæ, & bonæ mentis pater eſt habitus. Fungitur nunc Legatione Viterbienſi, quæ ſibi potius ad vitæ ſubſidium data eſt, quàm quod Cardinalis in ea propter vicinitatem Urbis ſit neceſſarius. Zacharias Barbarus Venetorum Orator Urbem ingreditur; à Patrum omnium familiis ei obviam itum eſt; magnæ auctoritatis & gratiæ apud ſuos vir hic Patritius habitus eſt. Iiſdem ferme diebus, Luchinetta neptis Pontificia, Juliani Cardinalis Sancti Petri ad Vincula ſoror vidua deſponſatur Johanni Franciſco Franciotto Lucenſi mercaturam Romæ exercenti, juveni nobili & locupleti, qui Depoſitarius Pontificiæ pecuniæ illico deſignatus eſt, Meliaduce Cicada Genuenſi id munus dimittente. Matrimonium parum utrique convenire viſum pluribus ex cauſſis, ſed ætatis in primis diſparitate; nam Viro anni XXIV. ſunt, Uxori ultra XXXV. quæ debet eſſe junior viro. Ad nonam menſis Junii, quæ Veneris dies fuit, abiit in Legationem Gallicanam Julianus Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, Pontificis nepos, annos natus . . . . . Proſequuti eum ex more ſunt Patres ad Portam Flamineam, quo in loco oſculo & complexibus vale eſt dictum. Fuit hic primis menſibus Pontificatus Sixti ab Epiſcopatus Ordine ad Cardinalatum aſſumtus una cum Petro ex Ordine Minorum, qui poſtea Cardinalis Sancti Sixti dictus eſt. Hi autem primi fuere à Sixto Pontifice Cardinales creati, quo die quatuor Legationes in eodem Senatu decretæ fuere, Nicæno Gallicana, Vicecancellario Hiſpana, Neapolitano Orientalis maritima, Aquilejenſi Germanica. In ſua Nicænus defunctus eſt; ex ea enim jam rediens Ravennæ occubuit. Tres reliqui incolumes Romam rediere. Sed ad Sabinenſem redeamus. Vir eſt naturæ duriuſculæ, ac uti ingenii, mediocris literaturæ. Cenſus Sacerdotiorum magni, ſupellex ampla, vaſorum argenteorum vis maxima. Eccleſias fere omnes, & Cœnobia ſuæ curæ & miniſterio commiſſa inſtauravit, & lapſa reſtituit. Baſilica Sanctorum Apoſtolorum, & conjunctæ ædes, quas inhabitat, & Templum venerandum Sancti Petri ad Vincula, argumento omnibus eſſe poſſunt. Tribus Cathedralibus Eccleſiis uno tempore præeſt, Avenionenſi, quæ auſpiciis ſuis in Metropolim eſt erecta, Meldenſi in Gallia, & Sabinenſi, quæ una ex ſex, quæ primoribus Patrum ſemper in titulum dari conſuevit. Tribuſque Legationibus nunc fungitur, Avenionenſi videlicet, Picœna; & Gallicana, in quam in præſentia proficiſcitur. Qui ſi non alia operabitur, id certe non deerit, quod Romanæ Curiæ detrimenta maxima inferet; quicquid enim ea capere deberet ex illa Natione, ipſe intercipiet: in quo velit Deus, vanus & mendax inveniar. Præſentis novæ Legationis cauſa ea eſt præcipua, ut Gallum, & Burgundum longo tempore diſſidentes conciliet, & conciliatos ad ferenda auxilia in bellum contra Turcas hortetur & impellat. Det ei Dominus Deus gratiam in conſpectu Regum & Principum, ut jactis bonis ſeminibus colligatur is fructus, qui non tam ſperatur quàm deſideratur. Die Mercurii XIV. Junii menſis, Georgius Cardinalis Ulixiponenſis Urbem primo ingreſſus eſt, à Luſitaniæ ſolo patrio in Romanam Curiam veniens. Decimo Calendas Julii apud Senenſes civilis motus exortus eſt; tres enim Civium ordines, Novennarius, Reformatorius, & Popularis, qui annos circiter ſeptuaginta ſeptem unanimi conſilio & conſenſu Rempublicam adminiſtraverant, propter nonnullos exules diſcordia laborantes in contentionem venerunt. Tamdem Novennarius Calabri Principis Alphonſi favore adjutus, & nobilitatem ad munera Civitatis alliciens, Reformatorium, qui ei adverſabatur, Reipublicæ adminiſtratione privavit, & paulo poſt per diverſa loca in exilium miſit. Reformatorii ordinis loco, qui totus Civitate eſt pulſus, ex omnibus aliis eſt erectus, cui Agregati nomen eſt inditum, qui nunc Novennario, & Populari immixtus, Reipublicæ adminiſtratione congaudet. Ad diem XIII. Julii menſis, miſit Pontifex Oratorem ad Senenſes gratulatum pro innovata eorum Reipublicæ gubernatione, eo quod ſperabat futuram quieti totius Italiæ, & ſaluti Civitatis, Sedique Apoſtolicæ in primis amicæ. Obtulit Magiſtratui & toti Senatui cuncta, quæ ſuæ poteſtatis eſſent pro ſalute illius. Orator verò fuit Sinolphus Otherius nobili Montoria familia genitus, Pontificis Cubicularius, Decurio, Acolytus Apoſtolicæ Sedis, & Diplomatum Scriptor; vir proceræ ſtaturæ, magni animi, nec minoris ingenii, linguæ promtæ, & ad obeunda negotia in primis idoneus; nullis parcens laboribus; ubi opus eſt vigiliarum patientiſſimus; & ubi potus, ante alios continens, cui ex eo potiſſime id Legationis munus eſt datum, quod apud Senenſes auctoritate plurimùm valeret, & Pontifex de eo maxime fideret. Nec quidem immerito; cui enim ſe ipſum totum committit, & credit, publica quoque mandare non dubitat. Namque is eſt, qui Pontificem in publicum venientem validis lacertis ſuſtentat & ſublevat. Et ut Simeon Salvatorem noſtrum infantem ulnis regebat, ita Sinolphus Salvatoris Vicarium ætate grandævum regit & ſuſtinet. Senis tunc agebat Alphonſus Aragonius Calabriæ Princeps, ut ſupra monſtratum eſt. Civitatis decreta omnia nutu ſuo fiebant; nec de re aliqua jam ad Senatum referebatur, quin prius Calaber illam probaſſet; adeoque creverat ejus auctoritas, ut niſi compulſus fuiſſet in Apuliam proficiſci ad obviandum Turcis, qui ut ſuo loco dicetur in Italiam trajecerant, & Idruntum occupaverant, ejus Civitatis imperio procul dubio potitus eſſet; ſicque actum erat de totius Etruriæ libertate. Dictum eſt, lugentem è Civitate abiiſſe. Itaque debent plurimùm Etruſci Turco, qui ab eorum cervicibus jugum ſervitutis amovit; ſed in primis debent Senenſes, qui primi Tyranno paruiſſent.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS,

Et Annus X. Pontificatus Sixti.

Anno MCCCCLXXX.

QUemadmodum nono anno Pontificatus Sixti initium dedit obitus Cardinalis Papienſis, ita mors Antonii Baſſi Pontificii nepotis decimo principium afferet. Obiit enim die Veneris duodecima menſis Auguſti, quum duodecim tantùm dies languiſſet. Namque aucta febre correptus, quum nihil ſibi intermiſſionis dediſſet, quinimmo in horas majores vires acquireret, diem clauſit extremum. Triduo ante obitum viſitavit eum Pontifex, ac multis piis & amantiſſimis verbis languentem ſolari conatus eſt. Sed non voces Pontificis avunculi conſolantis; non Pontificii Medici ullis antidotis; non Cardinalis frater ægroto ſemper aſſiſtens; non pendens aſſidue ab ore languentis Viri Conjux, virgo Regia, ſpecie & pietate præclara; non ceteri fratres ex cubiculo non recedentes; non Miniſtrorum & Ancillarum fidele miniſterium ſibi profuere. Vocavit itaque ad ſe Dominus Deus tanta quiete, ut in vitæ exitu non morientem ſed dormientem dixiſſes; ac ſicut nobiſcum vivens abſque labe & macula vita fuit, ita moriens gratum omnibus ſui deſiderium dereliquit. Confeſſus eſt peccata ſua, dum integri adhuc ei ſenſus eſſent, & communicavit; & ſacro poſtremo liquore eſt unctus; ac Sacerdotis manu vivificæ ſigno Crucis eſt communitus, audiens ſedulo ſanctas Lectiones, & nonnumquam à ſe ipſo, quamvis interruptis vocibus, legenti reſpondens. Viſitavit etiam illum pridie, quàm è vita excederet, Comes Hieronymus Riarius, vir apud Pontificem primarius. Fraternis verbis febrientem ſolari conatur; hortatur bono ſit animo, non frangatur ægritudine, quæ brevi procul dubio eſſet abitura; offert omnia ſua, & ſe, ut amantiſſimo fratri. Ille, ſive in mentis exceſſu, ut ſæpe aſſolent ægrotantes, ſive ex induſtria, eo quod cerneret tunc impune diu conceptum, & retentum virus ſe poſſe evomere, in Comitem acriter admodum eſt invectus. Non egit gratias offerenti ſe in obſequium, prout erat amantis fratris officium; ſed tamquam in hoſtem acerrimum illita veneno ſpicula contorſit. Geſta enim nonnulla Comitis ubique damnata, & mores quoſdam ubique improbatos conſtanter commemoravit: pro quibus Dei judicium procul dubio ſibi affuturum pronuntiabat, quod nulla arte aut humana ope poſſet effugere. Ejuſmodi autem, ea recenſens, vehementia uſus eſt, quali nulla in re benevalentem uſum meminerunt, qui ſecum veteri & frequenti conſuetudine juncti fuerant. Attamen prudens Princeps illa tamquam ab eo, qui propter languorem ſui jam juris eſſe deſiiſſet, æquo animo excipiens, languenti multum compaſſus eſt; & caſum illum, in quem videbat adductum, vehementer indoluit. Nobis omnibus, qui lectulum circumſtabamus, præ pudore rubor quidam ſubortus eſt, & pleriſque è conſpectu ſe ſubtrahentibus. Sequenti die funus celebratum eſt ea pompa, qua decuit. Corpus in Petri Baſilica poſitum prope matris Eccleſiæ Sepulcrum marmoreum, quod egregio opere in ſororis memoriam Pontifex fieri curaverat, quum ante annos circiter octo Romæ & ipſa occubuiſſet. Turcorum Claſſis navigiorum diverſi generis circiter centum ex Apollonia, quam Vellonam, opinor, nunc dicimus, die XXVIII. menſis Julii, quæ Veneris fuit, ex improviſo in Italiam trajecit; tranſmiſſo freto, quod interjacet paſſuum circiter quinquaginta millibus. Idruntum Civitatem Apuliæ ſub Ferdinandi Aragonenſis ditione poſitam, eo quod primo impetu capere nequivit, Civibus ſeſe defendentibus, obſidere cœpit, & oppugnare; ejus namque Præfectus Acchinettus, quem ſua lingua *Baſſà* vocant, eo animo venerat, ut ſi ex improviſo Urbe potiri non poſſet, machinis, & tormentis adhibitis, quorum magnam copiam ſecum adduxerat, omnino illam expugnare conaretur. Itaque illis interim expoſitis, occupato Portu & Urbe circumdata, quæ parvi admodum eſt circuitus, magna vi omni genere tormentorum illam adoriri cœpit, ita ut nulla per dies noctesque quies Oppidanis daretur. Qui quum imparati eſſent, fruſtra alias Regem deprecantibus, ut ſubſidium ad eos mitteretur; nulliſque ſubſidiis comparentibus, tamdem victi in poteſtatem hoſtium die XI. Auguſti menſis devenere. Urbs tota direpta eſt, cæſi fere Cives omnes & indigenæ; imbellis ætas in ſervitutem acta eſt, præter ſenes utriuſque ſexus, qui pæne cuncti interemti fuere. Sacerdotes omnes, & ipſe in primis Idruntinus Antiſtes, ætate & vitæ ſanctimonia venerandus, crudeliter occiſi. Templa Deo dicata funditus diruta, vel in profanos & turpiſſimos uſus converſa; Sanctorum Reliquiæ canibus objectæ; Virgines raptæ & ad ſtuprum deductæ, ac ſuper ſanctiſſimas Aras violatæ. Nihil crudelitatis, aut impietatis omiſſum eſt. Cuique Nobili caput abſciſſum, & affixum lanceis, tota Urbe ad ſpectaculum deferebatur. Dies hic magni mali initium eſt, ut incendium toti Italiæ formidandum, ac paulo poſt, niſi opprimatur, apprehenſurum non modo Italiam univerſam, ſed reliquum etiam Orbis, ubi Chriſti nomen invocatur. Rhodiana obſidio, de qua ſupra dictum eſt, die XXII. Auguſti menſis ſoluta fuit; perſeveraverant enim dies novem ſupra octavam, ut intellectum eſt poſtea. Ad diem tertium & vigeſimum Auguſti, profectus eſt Neapolim colendiſſimus Presbyter Gabriel Cardinalis Agrienſis ad Ferdinandum Regem, ad quem Sedes Apoſtolica illum deſtinaverat, quum primùm Romam allatum fuit de direptione Idruntina. Dominus ſit in labiis ſuis, ut cor Regis ad magna moveat, & confirmet. Die Jovis ultimo Auguſti, Johannes Aragonenſis Cardinalis Sancti Adriani, Ferdinandi Regis filius, ex Legatione Hungarica rediens, Urbem ingreſſus eſt. Fuerat in ea fere annum integrum. Profectus in Diaconatus ordine, Presbyter rediit. Exiſtenti apud Hungaros mutilata eſt ei Apoſtolicæ Legationis poteſtas, quod ea pluribus in rebus abuſus eſſet; ſed paulo poſt in integrum reſtituta. Filius eſt hic, ut dixi, Neapolitani Regis, annos

na-

natus . . . . . & viginti, ſuperiore triennio ad Cardinalatum aſſumtus, quum tamen prius aliquot menſes uteretur inſignibus, purpureo pileo excepto, quod audio ante hac nemini conceſſum fuiſſe. Pro hujus in Senatum aſſumtione diviſos Patres cohortatus eſt Pontifex; vicerunt tamdem, qui creandum cenſuere. Papienſis mei ſententia in contrarium fuit. Vir eſt morum gravitate conſpicuus, modeſtia inſignis; ad religionem, & ceremonias Eccleſiæ non educatus modò, ſed natus videtur; ingenio perſpicax; acutus, & prudens ſermo; ſecretiora ejus incognita non mihi ſolùm, ſed ſuis, quos etiam domi alit. Tarentinæ Eccleſiæ præfectus fuit; jam aliquòt annos diſpenſante ſecum Pontifice, ac nuper Hungaro procurante, cui ſoror Beatrices matrimonio juncta eſt, Strigonienſi metropolitanæ apud Hungarum admodum locupleti adminiſtrator ab Apoſtolica Sede eſt datus; Præſul namque Strigonienſis Regi ſuo infenſus, relicta Eccleſia, ad Federicum Cæſarem confugerat, in cujus Regno adhuc eſſe intelligo. Caſinenſe Cœnobium cum Oppidis ſuis & arcibus retinet à primo Sixti Pontificatus anno, quod Paulus Pontifex, eo quod eſſet loco ad nocendum Eccleſiæ opportuno, in ſua & Sedis poteſtate poſt obitum Ludovici Cardinalis Aquilejenſis ſemper retinuit; qui non modò Cœnobium, & ditionem ejus temporalem Regio filio non conceſſiſſet, ſed ne illius quidem glebulam oſtendiſſet. Et ſi nunc Sixto eſſet res integra, Pauli Prædeceſſoris veſtigia cupide ſequeretur: ita malo Romanæ Sedis ſero ſapimus: quamquam tutiorem partem & ſaniorem amplecti putaverit ſapientiſſimus & clementiſſimus Pontifex. Secundo Septembris die apud Vicum Varronis, ſeu Varii, quem hodie Vicovarium appellant, Urſinorum Oppidum in Sabinis ſupra viam Latinam poſitum, vita functus eſt Neapuleo Urſinus clariſſimus noſtri temporis, & hodiernæ militiæ imperator, Virginio filio unico herede relicto. Habitus eſt vir magni conſilii, & in familia Urſinorum primatum retinens; Imperator totius militiæ Pontificiæ, quem generalem Capitaneum appellamus, ſenex jam, & podagra pernimium gravatus erat. Eodem fere anno frater ejus Robertus, qui Urſinus Eques cognominabatur, in Etruria mortuus eſt, vigente adhuc bello inter Pontificem & Florentinos. Et gentilis ſuus paulo ante Urſus nomine, Aſculanus Dux, militaris diſciplinæ clariſſimus vir, diem quoque obierat; ac ſuperiore biennio duo alii Neapoleonis fratres vitâ functi erant, Latinus ſcilicet Tuſculanus Epiſcopus Cardinalis, & Johannes Tranenſis Epiſcopus, & Abbas Farfenſis. Sicque trium annorum curriculo fratres quatuor, & alium arcta cognatione eos tangentem, omni laude & commendatione dignos, amiſit Urſina Familia: ita humani ſunt caſus. In ſecreto Senatu Pontificio hodierni diei, qui quartus fuit Septembris menſis, Forlivium Flaminiæ potens & nobilis Civitas datur in Vicariatum Comiti Hieronymo Riario Imolæ Vicario ſub annuo cenſu aureorum mille, Patribus omnibus conſentientibus, & Pontificis proviſionem palam verbo commendantibus, ac chirographo proprio Diplomata conceſſionis hujuſmodi conſcribentibus. Ea Civitas longo tempore in Vicariatu Ordelafforum inclytæ familiæ fuerat. Namque Eugenius Quartus Pontifex maximus Cichum Ordelaffum in ea inſtituit, cui poſt mortem filius Galeottus ſucceſſit.

A Quo interemto, Pinus frater in ejus locum inſtitutus eſt, & à Sede Apoſtolica confirmatus. Defuncto deinde Pino abſque prole legitima proponitur Pontifici puer Sinibaldus Pini ex concubina filius. Commendatur toti Senatui ab iis, qui Pini ſectam ſequebantur, & Galeotti filio exuli inimicabantur. Tamdem Pontifex, Senatu probante, Sinibaldum ad ſucceſſionem habilem decernit, & Vicarium inſtituit. Paulo poſt moritur puer. Civitas diverſarum partium ſtudio in diverſa diſtrahitur. Pars Romanæ Sedi ſubjici cupit, & petit; pars exuli favet; pars alia ad Hieronymum animum adjicit, qui non ſegnis inventus inſtat apud Pontificem dari ſibi in Vicariatum
B Civitatem pleno & indubitato jure ad Apoſtolicam Sedem reverſam; pollicetur ſe Romanæ Eccleſiæ obedientiorem fore, cujus alumnus ſit, quàm alium quempiam; Ordelaſſos jam non amari in Civitate propter tyrannidem præteritorum annorum; & extinctam pæne eſſe Familiam illam; unum ſolum reliquum eſſe, & eum quidem captum mente, & ſenſu mancum. Ita annuente Pontifice, & magna Populi parte favente, præmio quoque nonnullis alienæ factionis allectis, tamdem Civitas omnis in ſtudia Riarii erigitur, & in eum converſa polum, Comitem Vicarium & Dominum petit. Arx igitur illico hominibus Hieronymi traditur. Sic Vicarius, ut diximus,
C illius Civitatis efficitur.

Ad octavum diem Septembris, quo celebratur ſolemnitas Nativitatis Mariæ matris Salvatoris Domini noſtri, itum eſt mane ad rem divinam peragendam ad Ædem Popularem à Pontifice & Patribus ac Prælatis, & Populo Romano & Clero in magna frequentia, tam propter ſolemnitatem, quæ apud omnes Chriſtianos maxime celebris eſt, quàm etiam ſtudio videndi Hieronymum Comitem, cui intra rei divinæ ſolemnia Vexilla Eccleſiæ, & generalis Pontificiæ militiæ ſceptrum à Pontifice data ſunt, necnon jusjurandum fidelitatis delatum, quod ipſe armatus procumbens ad Pontificis genua ſedentis in throno totum perlegit, & ex formula præſtitit, Vexillaque &
D ſceptrum accepit. Triduo enim ante quam de obitu Neapuleonis allatum eſſet nuntium, Pontifex eumdem Comitem Imperatorem militiæ ſuæ illico deſignavit; & die hoc ſolemni ſacrata & benedicta prius à ſe Vexilla & ſceptrum Imperatoria inſignia ei detulit. Petrus Marganus Romanus Civis vir jam ſeptuagenarius, opibus & pecunia admodum potens, Pontificiſque nepotes affinitate contingens ad XV. menſis Septembris quum ſumtâ cœnâ ſederet ad fores ædium ſuarum, & cum ſuis confabularetur, recentem auram captans, ex improviſo à Proſpero Cruceo Romano Cive, qui ab exilio incognitus Urbem ingreſſus fuerat,
E pluribus vulneribus, confoſſus, infra diem interiit. Ille enim cum Franciſcum Vallenſem Lælii filium, cui præcipue erat infenſus, interimere nequiret, eo quod ſe cautius cuſtodiret, in Petrum Vallenſis ſocerum generi partes ſequentem, ſed nil tale cogitantem, ferrum exercuit, Chicus Simoneta vir per ſuperiora tempora ſummæ auctoritatis, & gratiæ apud Mediolanenſium Principes, qui multos annos à Secretis ſervierat, & in tantum accreverat, ut unicum illorum conſilium ubique haberetur, & eſſet in Arce Papienſi, penultimo die menſis Octobris, juſſu Ludovici Sforziæ, ac Roberti Severini, apud quos erat ſumma illius

im-

Digitized by Google

imperii, & in quorum poteſtate Dux Johannes Galeatius puer manebat, quibus ille diu infenſus admodum fuerat, capitis pœnâ mulctatur, quum tamen ipſe futuri ſupplicii non ignarus divinæ rei interfuiſſet, & orarias preces Virgini matri Dei porrexiſſet, ac de rebus ſuis domeſticis diſpoſuiſſet. Nigram veſtem induere voluit, & ſupplicii locum nigro panno ſterni curavit. Ad XXV. diem menſis Novembris, qui Sabbato evenit, & in quo Catharinæ Virginis & Martyris ſolemnitas celebratur, ingreſſi ſunt Urbem Florentinorum Oratores numero duodecim, Civitatis ejus facile principes, Franciſcus Soderinus Præſul Volaterranus, Aloyſius Guicciardinus, Antonius Rodulphus, Bonjohannes Janfiliatius, Petrus Minerbettus ex equeſtri ordine, Guidantonius Veſputius Jure Conſultus, Maxius Albizus, Ginus Capponus, Jacobus Lanfredinus, Dominicus Pandolphinus, Johannes Tornatonus, & Antonius Medices. Veniebant autem ad deprecandum à Summo Pontifice veniam pro his, quæ in Beatitudinem ſuam, & Apoſtolicam Sedem deliquerant, tam ob captivitatem Apoſtolici Legati, quam ob Sacerdotes Dei à ſe crudeliter interemtos, inter quos ante alios fuerat Franciſcus Salviatus Piſanus Archiepiſcopus, quem ad feneſtras Curiæ ſummi Magiſtratus laqueo ſuſpenderant: unde bellum graviſſimum exortum eſt, quod toto ferme biennio perſeveravit. Obviam eis nequaquam ivere vel Pontificis vel Patrum familiæ, eo quod adhuc cenſuris Civitas & Populus ſubjacebat. Obviam illis tantùm proceſſerunt, qui illorum aliquem propinquitate vel amicitia contingebat. Die verò Lunæ, qui ſequutus eſt, & is fuit ſeptimus & vigeſimus, datus eſt iis Senatus ſecretus, in quem tamen ſunt intromiſſi nonnulli privatim Prælati, ac inferioris ordinis viri. Volaterranus Præſul, quem diximus caput eſſe Legationis, orationem pro omnibus habuit. Ejus fuit ſumma, ut pro commiſſis exceſſibus in Pontificem & Romanam Eccleſiam, Populus Florentinus doleret, & nunc tamdem veniam per eos humilem peteret. Oratio erudita habita eſt, & artificio plena; recitata autem fuit ſumma omnium attentione & laude; nec minus commendata Oratoris actio quàm orationis ornatus. Acceſſit enim ad orationis laudem ipſius Epiſcopi egregia indoles, qui in Pontificis & Patrum, atque in vivendi ætate graviſſimi & probatiſſimi ſenis mores præferebat, ac tali ingenuitate, & modeſtia oculos in ſe converterat. Commendavit eum Pontifex multis honorificentiſſimis verbis, dimiſitque eos audituros aliàs, quæ ipſe de ea re in Senatu ſuo decerneret; quandoquidem non conſueviſſet abſque Patrum conſilio aliquid grave ſtatuere; juſſit tamen eos bono & quieto animo eſſe, & de Apoſtolica Sede bene ſperare. Dominico autem die, qui proxime ſequutus eſt, tertio Decembris Menſis, in quo prima ſacra Dominici Adventus ab Eccleſia celebrantur, quibus intereſſe ſemper Pontifex conſuevit, quum per eos dies inter Pontificem & Oratores, de pacis conditionibus actum eſſet, ac tamdem conventum fuiſſet, juſſi ſunt illi venire in Baſilicam Apoſtolorum Principis, qui quum in ipſius Porticu aliquantulum Pontificem & Cardinales exſpectaſſent, tamdem aliquali interjecta mora ad ejus conſpectum admiſſi fuere; ſed in hunc ferme modum, qui ſequitur, acta eſt cerimonia. Sedebat Pontifex averſus à Templo in

A ſella ſerica purpurea ſuper limine portæ æneæ, quæ media eſt, clauſis nihilominus valvis, circumſtantibus in corona Cardinalibus & Prælatis, & qui muneribus Curiæ fungebantur, in maxima Populi frequentia, qui viſendi ſtudio accurrerat. Oratores autem omnes demiſſis detectiſque capitibus coram Pontifice venientes, primum ſe ad terram projecerunt. Omnes eum cum humilitate venerantes, pedes ipſius deoſculati ſunt, inde procumbentes in genua errores contra matrem Eccleſiam & Pontificem ſunt confeſſi, & miſereri ſibi & Populo, à quo eſſent miſſi, humiliter petiere. Loquutus eſt pro omnibus unus ſpectatus Eques Aloyſius Guicciardinus, vir jam ſeptuagenarius, & magnæ apud ſuos auctoritatis, maternis tamen verbis & brevibus, atque à paucis propter ſtrepitum exauditis. Eo ſilente, juſſit Pontifex alta voce recitari formulam initarum conditionum & confeſſionis exceſſuum, per Philippum Curvenſem unum ex Notariis Apoſtolicæ Cameræ, aſſiſtentibus Advocato & Procuratore Fiſcalibus, qui unum vel plura, ſi opus eſſet, ad perpetuam rei geſtæ memoriam documenta conficerent. Summa vero conditionum paulo inferius adjicietur. Formulâ lectâ, Oratores ipſi, jure jurando in ſanctis Pontificis manibus præſtito, obligaverunt ſe ipſos & Florentinum Populum, cuncta inviolabiliter ſervaturos. Tunc Pontifex, indicto ſilentio: *Peccaſtis*, inquit, *filii multum, primùm in Dominum Deum Salvatorem noſtrum, occidentes crudeliter & nefarie Piſanæ Sedis Archiepiſcopum & Sacerdotes Dei; ſcriptum eſt enim: Nolite tangere Chriſtos meos. Peccaſtis in Romanum Pontificem, qui vicem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti gerit in terris, diffamantes eum per univerſum terrarum Orbem. Peccaſtis in ſacroſanctum ordinem Cardinalium, retinentes invictum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Sedis Apoſtolicæ Legatum. Peccaſtis in omnem ordinem Clericalem, auferentes à Clero ditionis veſtræ tributa, & ea quidem admodum gravia, contra voluntatem ipſius, & Romano Pontifice minime permittente, rapinarum, incendiorum, direptionum, & malorum multorum cauſſa fuiſtis, non obedientes monitis noſtris Apoſtolicis; qui utinam à principio veniſſetis ad nos patrem animarum veſtrarum; proculdubio non fuiſſet opus experiri armis ad ulciſcendas injurias illatas Eccleſiæ. Nos certe inviti egimus, quicquid egimus; ſed tamen pro miniſterio Apoſtolatus noſtri ita fuit agendum. Nunc verò, filii, ad nos in humilitate venientes in gremium gratiæ vos recipimus; fatentes errores & exceſſus abſolvimus. Nolite peccare amplius, filii; nolite ut canes redire ad vomitum. Satis ſuperque experti eſtis, quantum valeant arma Eccleſiæ, & quàm durum ſit objectare capita ſcuto Dei, & ejus loricam velle confringere.* Et in hanc ſententiam pluribus dictis non minus paterne & pie, quàm conſtanter & fortiter, capiens manu virgulas, quæ de more geſtari manibus à Penitentiariis ſolent, leviter percutiebat humeros cujuſque Oratoris, ad quemcumque ictum caput humiliter inclinantis, dicens ſedulò pœnitentiæ Pſalmum, qui incipit *Miſerere mei Deus*, Cardinalibus ſemper ad vocem Pontificis ſequentem verſiculum reſpondentibus. His peractis, iterum ad ſancti pedis oſculum ſunt admiſſi, & manu à Pontifice benedicti ſunt. Elevatus ſellâ ſtatim eſt Pontifex, patefactæque valvæ Baſilicæ, & ad majorem aram Templi ab omnibus itum eſt, Oratoribus ipſis, & ceteris ſuo ordi-

Digitized by Google

ordine præcedentibus. Acta ibi divina res fuit cum celebritate consueta. Amplissimus Pater Johannes Baptista Sanctæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Melphitensis operatus est Sacris. Orationem habuit Religiosus quidam patriâ Viterbiensis ex Prædicatorum Ordine, ornatu multo & copiâ refertam. Quæ nihilominus indigna habita est Religioso viro; etenim non tam Evangelii verba declaravit, ut erat officii sui, quàm militarem disciplinam Pontificem & Patres docere conatus est. Sed ad Oratores redeamus. Peractis Sacris, jussit Pontifex familiam suam domesticam, & ceteras Cardinalium omnium, Oratores domum deducere, ut qui Urbem paulo ante ingredientes propter anathema non honorasset, tunc absolutos absque honore esse non sineret. Pii & sapientis patris consilium habitum. Formulæ obligationis hæc est summa. Videlicet primum fatentur errores; erratorum veniam petunt; Ecclesiasticam libertatem aliquo tempore non impedient; provisiones Apostolicas servabunt tam factas, quàm faciendas. Non inferent arma vel bellum Ecclesiæ, vel ejus subditis mediate vel immediate; parebunt omni tempore mandatis Apostolicis; non imponent tributa Clero, nec imposita exigent, præter quæ jam sunt indulta ad tempus pro Pisano Gymnasio. Protestati sunt, ex his non præjudicari sibi, si quod jus habent in iis, quæ ante cœptum bellum possidebant. Agent, quod Populus infra mensem cum dimidio rata habebit hæc omnia. Pontifex pro pœnitentia mandat armari Triremes quindecim eorum impensâ in bellum, quod parat adversùs Turcum, indicitque, nisi omnia ad unguem servent, reincidere illos in priores censuras. Ita promiserunt, & stipulatum est.

Octava die mensis Decembris, qua celebratur Conceptio beatæ Mariæ Virginis, Pontifex in Sacellum à se nuper à fundamentis erectum ad sinistram Petri Basilicæ situm mane ad Divina descendit, Patribus & Curiæ Proceribus de more comitantibus. Sacris est operatus Urbevetanæ Præsul Ecclesiæ, Georgius nomine, apud Parmam, Ruverea gente & ipse progenitus, vir industrius, & ab eodem Pontifice quinquennio ante ad Episcopalem dignitatem promotus. Tum profectus est ad Ædem Mariæ Popularis, nonnullis Patribus, & multis Prælatis, ac Oratoribus eum comitantibus. Ipse Pontifex pensili sella vectus est, equis duobus illam sustentantibus, sedens ipse, purpureo pallio circumdatus, pileum, & sericeum capitiolum in capite gestans. Procubuit ante aram, & Virgine secreta oratione adorata, reversus est in Vaticanum ea, qua ierat, via, secus Tiberim, quam jussu suo nuper lateritio stratam Xistinam appellari voluit. Die Dominico X. mensis ejusdem, qui secundus est Adventus Domini, itum est in Vaticanum à Patribus ad Divina. Interfuit Pontifex, & Sacris est operatus Bartholomæus Præsul Tifernatis Ecclesiæ, & Urbis Romæ Procamerarius. Homeliam peroravit Franciscus Assisinas, insignis Theologus ex Ordine Minorum, & ipsius Religionis Procurator in Curia Romana. Oratio fuit luculenta, gravissimis sententiis referta; auditus est cum summa attentione, & ab omnibus, quod raro accidit, commendatus. In hodierno Senatu habito die Veneris XV. Decembris decretum est, ut continuo triennio Pontifex paratam habeat classem quinque & viginti Triremium in bellum adversùs Turcum; Ferdinandus verò Triremes itidem quadraginta; mutuo se obligantes, eorum neminem per tempus initurum cum hoste concordiam. Pro Ferdinando Anellus Orator ipsius se obligavit ad ipsum, habens privatim mandatum; Vicecancellarius verò ex suo munere, accersitis etiam testibus, extra Senatum conventa Pontificis & Regis publico nomine astipulavit. Die Dominico XVII. Decembris mensis, qui Dominici Adventus tertius fuit, itum est à Cardinalibus in Vaticanum ad Divina, quæ in Aula consueta acta fuerant. Eo die, de more Sacris operari consuevit ex Patribus unus. Operatus est ergo Cardinalis Sancti Chrysogoni à Præsulâtu suo Recanatensis cognominatus, sororis Pontificis filius, Hieronymus nomine, vir mitis naturæ & integerrimæ vitæ, atque ab omni vitio & labe procul alienus, literaturæ etsi non magnæ non tamen negligendæ; in eo maxime commendandus, quod bonos & eruditos homines diligit, & favore, quantum potest, prosequitur. Ad Cardinalatum triennio ante ab avunculo assumtus, dum apud Perusinos moraretur; Census ei Sacerdotiorum modicus est, ita ut vix honestam familiam alere possit. Sacris his non interfuit Pontifex, quod minus benè se haberet. Homeliam recitavit Procurator Augustinensium in Romana Curia, quem nec laudatum nec vituperatum intelligo. Sequenti die Lunæ XVIII. mensis jam dicti, Præsul Volaterranus, quem dixi, & Guidantonius Vespucius Jureconsultus clarissimus, nobilis & acuti vir ingenii, & qui reliqui erant ex omni Florentinorum Oratorum numero, mane absque pompa Urbe egressi versùs Florentiam iter ceperunt, animis (ut est à plerisque creditum) non bene pacatis propter imperatas Triremes, quarum onus, ut non exspectatum, ita nimis grave visum est eis. Deus bene vertat. Abeuntes pauci admodum ex Curialibus sunt comitati. Quæ sequuta est die ejusdem mensis Decembris XIX. Cardinalis Sabellus, qui quum superiori mense esset Administrator provinciæ Umbriæ, Legatus ad Ligures fuerat designatus, mane & ipse abiit, comitantibus extra ordinem Cardinalibus quatuor, qui privatâ amicitiâ illi erant affecti, multis præterea Romanis Civibus & Curialibus, sui nominis & dignitatis studiosis; iturus enim erat celeriter in destinatam provinciam. Legationis hujus causæ duæ præcipue afferuntur, altera ut sedaret civiles motus per eos dies Genuæ exortos inter Fregosos & Adornos; altera ut Triremes pararent pro Pontifice ad trajiciendum in Turcos venturo vere, vel potius ad obsistendum, ne in Italiam ipsi majori conatu & classe, quàm præterita æstate, trajicerent. Hujus amplissimi Patris præcipue delecta industria est à Pontifice & Cardinalibus, quia vir est summæ auctoritatis & maximi ad res gerendas animi, pluribus & difficillimis Legationibus clarus. Fuerat hic à Pontifice Paulo II. multos jam annos propter magna merita tam sua quàm familiæ suæ, ad Ordinem Cardinalatus assumtus, sed intervenente inopinato Pontificis obitu, nec publico pronuntiatus fuit, nec data ei de more insignia. Assumto inde Pontifice Xisto, tantum valuit contrariæ factionis auctoritas, ut usque ad hoc tempus tali dignitate fraudatus fuerit. Johannes Baptista sibi est nomen, pervetustâ & clarissimâ Sabellorum familiâ ortus, annos natus circiter sex & quinquaginta. Dominico die, qui immediate sequutus est, & is fuit professus

Natalis Jesu Christi Salvatoris nostri, & quartus ejusdem Salvatoris Adventus, non descendit Pontifex ad Divina, podagrâ magis solito illum aggravante. Plurimi quoque ex Patribus Sacris non interfuere, privatis se ædibus continentes ob ingentem pluviam, quæ totos XII. dies & noctes ita continuavit, ut Tiberis fluvius multum accreverit, ripasque omnes transcendens, Viam Xistinam nuper latere stratam jussu Pontificis, & inferiora ædium Cardinalis Racanatensis inundaverit; & Portam, quæ est à tergo Molis Adriani, intraverat; formidatumque est, ne ad altitudinem superioris quadriennii perveniret; fuit enim inundatio talis ab annis sexaginta non visa. Extat adhuc monimentum amplissimi Patris Jacobi Cardinalis Papiensis, qui tunc vivens eadem ædes inhabitabat: quo quidem monimento posito in ædium vestibulo monstratur adhuc aquarum ascensus. Nec tantum timor erat aquarum, quàm futuræ pestilentiæ fore certum præsagium; raro enim Romæ accidit, ut ejusdem fluminis magnas inundationes magna pestilentia non sequatur: quod annis superioribus est comprobatum. Secessit enim propter pestilentiam Pontifex cum omni curia Vetrallam primo, inde Ortam, & Narniam, ac postremo Fulgineum petens, maximo cum sumtu, tamen incommodo omnium. Eodem die itum est à Patribus in Basilicam Apostoli Petri ad celebranda Vespertina Sacra Nativitatis Dominicæ, quibus Pontifex non interfuit. Cardinalis Rotomagensis Guillelmus nomine, patriâ Normandus, à Regibus ortum ducens, octogenarius, jam primum in sacro Senatu locum tenens, & Camerariatus munere fungens, sacris eo die, & sequenti, pro Pontifice est operatus. Die Martis, quo sunt celebrata Protomartyris Stephani Sacra, in eamdem Basilicam iere Patres ad rem divinam. De more Sacris est operatus Cardinalis Novariensis, tituli Sanctæ Praxedis, Johannes nomine, Mediolani ortus, sed Parmâ ex familia Arzimbolda oriundus. Hic superioribus annis à Xisto Pontifice ad ordinem Cardinalatus assumtus fuerat, intercedente Galeatio Maria Mediolanensium Duce, eo scilicet, qui quadriennio ante tali die, & in Templo ejusdem Stephani, in Civitate Mediolanensi crudeliter trucidatus est à Johanne Andrea Lampuniano, qui & ipse statim à Principis satellitibus eadem ferme crudelitate est interemtus. De reliquis vero, qui cum Lampuniano in Principem conspiraverant, paulo post est sumtum supplicium. Historia nota est. Hic autem Cardinalis alias secularem vitam egerat, uxorem duxerat, & liberos susceperat. Supererat unus adhuc, optimæ indolis juvenis Juri civili dans operam. Paulo II. Pontifice maximo sedente, uxore defuncta, Protonotarius primò, inde Novariensis Episcopus est ordinatus. Multis Legationibus pro Duce suo ante Cardinalatum honorificentissime functus est, vir civilis Doctrinæ consultus, & boni nominis Pater est habitus. Ad hæc Sacra etiam non descendit Pontifex, chiragrâ impeditus. Sermonem habuit Gallus quidam ex familia Cardinalis Mediolanensis de laudibus & meritis ipsius Protomartyris: Tiberis præcedente nocte in immensum creverat. Non tantùm ad Papiensis monimenta pervenerat, ita ut eo die in Vaticanum ire potestas non fuerit, sed etiam tribus in locis pertingebat unda equorum corpora, videlicet ad latus Ædis beati Celsi, & paulo post exitum Portæ Pontis Adriani, ac medio ferme viæ, qua itur in Vaticanum, ubi Tyburtino lapide sculpta sunt Pontificis Sixti insignia. Hoc Mercurii die XXVII., quo celebrantur Sacra Divi Johannis Evangelistæ, itum est à Patribus in Lateranum ad Divina. Ibi Sacris est operatus Cardinalis Ulisbonensis tituli Sanctorum Petri & Marcellini, cujus supra meminimus. Orationem habuit Archiepiscopus Antibarensis, Stephanus nomine, patriâ Venetus, vir majoris elegantiæ quàm doctrinæ. Commendata est Oratio. Die Dominico ultimo Decembris mensis & anni juxta Romanum morem, quem nos his annotationibus sequimur, celebrata sunt Vespertina Sacra Octavæ Natalis Dominici in Petri Basilica. Præfuit illis Ausias tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalis Montis Regalis, natione Hispanus, patriâ Valentinus, à Xisto, primo sui Pontificatus anno, ad Cardinalatum assumtus, quum Procamerariatus munere fungeretur, Vir fere sexagenarius, Pontificii Juris & Theologiæ peritissimus habitus. Superiore anno Germanica Legatione functus est; Germanorum Concilio, quod Diætam vocant, interfuit & præfuit Pontificis nomine. Celebratum autem fuit . . . . . .

Anno MCCCCLXXXI.

Sequenti die Sacra eadem, quæ de Circumcisione appellantur, eodem in Templo sunt celebrata. Pontifex adhuc languens non interfuit; Cardinales de more interfuere; idem Cardinalis illis est operatus. Ita enim consuetum est semper, ut qui Vespertinis præfuerit, idem divinam rem sequenti die agat. Orationem habuit Prior Sancti Stephani. Ad quintum diem Januarii mensis, qui profestus fuit Epiphaniæ, iere Patres de more ad vespertinam Orationem, quæ acta est in Sancti Petri Ecclesia. Ei præfuit Cardinalis Aquilejensis, vulgo Sancti Marci appellatus, Prænestinus Episcopus, Marcus nomine, nobili Barborum familia apud Venetos genitus, Paulum II. Pontificem maximum sola cognatione contingens, vir mitissimi ingenii, morum gravitate, vitæ integritate, maximarum rerum experientia admodum clarus, ab ipso Paulo anno tertio sui Pontificatus ad Cardinalatum assumtus est. Primo Sixti Pontificis anno in Legationem Hungaricam missus fuit, eodem die Urbe digrediens, quo Papiensis Cardinalis ex Perusina Legatione in Urbem rediit, tamen invicem sibi obvii non fuere; & eâdem Populari Porta alter exivit, alter ingressus est; & ambo visendi utriusque studio & desiderio tenebantur. Sequenti celebritate, & die, in eadem Basilica Sacra sunt celebrata, quibus idem Cardinalis est operatus, Patribus ceteris & Curiæ Proceribus de more convenientibus. Orationem habuit Titus Viterbiensis, qui paulo ante à ludi literarii ministerio ad Castrensem Cathedralem Ecclesiam modici admodum census promotus fuerat. Opinione non mediocris doctrinæ, eo quod bis jam publice orasset, ab omnibus fere commendatus; sed dum credit conceptam de se æstimationem augere, adeptam jam parvo momento male orando amittit. Ad XVI. diem Januarii, quo celebratur Sancti Marcelli Natale, profectus est Pontifex ad ejus Basilicam. Est autem Ædes illa Titulus amplissimi patris Johannis Cardinalis Veronensis, Sancti Angeli vulgo appellati, patriâ Veneti, nobili Michaëlia

chaëlia familia geniti, Pontificis Pauli fororis filii, & ab eodem Pontifice una cum Baptiſta Zeno & ipſo ex alia Pontificia ſorore filio, tituli Sanctæ Mariæ in Porticu, ad Cardinalatum aſſumti. Pontifex ultra menſem & dimidium in Pontificia ſe continuerat, partim quod podagrâ fuerat impeditus, partim quod propter aſſiduas pluvias vagandi poteſtas, præſertim Pontifici, non eſt viſa ſatis idonea. Die Mercurii, quo celebritas eſt beati Antonii Confeſſoris, profectus eſt Pontifex tempore meridiano cum aliquibus ex Patribus ad ipſius Ædem in Quirinali Colle poſitam à fronte Baſilicæ majoris Mariæ. Vectus eſt ſolita ſella ſua penſili, binis equis illam ſuſtinentibus, præcedente altero, altero ſubſequente, ipſo autem medio ſedente. Sbaram vocant eam vulgo. Monaſterio illi Præfectus eſt Conſtantinus quidam Judæis parentibus ortus, noſtris Sacris ante aliquot annos initiatus, vir ſolertis ingenii, & ad rem parandam idoneus. Senatus hodiernus habitus die Veneris XIX. Januarii peperit nobis Legatum ad Germanos. Deſignatus eſt Cardinalis Melfitenſis, & de more à Patribus domum deductus. Legationis cauſſa, quæ effertur in vulgus, eſt ea potiſſimum, ut Federicum Cæſarem, & Regem Hungarorum Matthiam, multos jam annos invicem contendentes, ſimul conciliet. Eo autem maturius credunt profecturum, ut Concilio Germanorum Pontificis nomine interſit, quod apud Norimbergam Germaniæ nobile Oppidum ..... Diœc. indictum eſt ad ſecundam diem Quadrageſimæ celebrandum. In eo Senatu, quum de ejuſmodi Legatione referretur, exquirerenturque Patrum ſententiæ, ferunt Cardinalem Aquilejenſem Prænestinum Epiſcopum, de quo ſupra mentionem fecimus, dixiſſe: mittendi Legati ita neceſſariam ſibi videri rationem, ut nemo ex Patribus jure optimo vel poſſit, vel debeat ſe ab eo munere excuſare, præter tres tantum, quorum primus eſſet Cardinalis Rotomagenſis, Epiſcopus Oſtienſis, propter ſenium, qui jam octogenarius eſſet; Cardinalis Mediolanenſis tituli Sanctæ Mariæ in Tranſtiberim propter adverſam valetudinem, quod aſſiduo podagra vexetur; & Cardinalis Urſinus propter corporis imbecillitatem, quod & ipſe podagra quandoque laboraret, & parum firma valetudine, ſæpe numero ægritudine infeſtetur. Tamdem Pontificem in Melphetenſem oculos convertentem, Patrum ſententiæ ſunt ſequutæ. Hic Pater ei muneri idoneus viſus eſt, eo quod propter bonitatem & integritatem ſuam Nationi in ſuſpicionem non veniens, facile in ſententiam ſuam Cæſarem, & Hungarum creditus eſt reducere poſſe. Johannes Baptiſta ei eſt nomen, Genua oriundus, longo tempore verſatus in Curia ad obſequium Cardinalis Bononienſis germani fratris Nicolai V. Pontificis maximi; cujus ædem apud Sanctum Laurentium in Lucina poſt illius obitum habitat, ibi nunc dominus, ubi antea ſervus fuerat. Secundo Xiſti Pontificis anno ab Epiſcopatus ordine ad Cardinalatum evectus non tam patriæ ſtudio quàm favore Juliani Cardinalis Sancti Petri ad Vincula Pontificis nepotis, propter æmulationem Petri Cardinalis Sancti Xiſti, cujus auſpiciis dicebant Mediolanenſem ad eamdem eodem tempore dignitatem promotum, ne videlicet plus hic, quàm ille auctoritate apud Pontificem valere diceretur; ſed revera magis ei præfuit boni nominis odor, & anteactæ vitæ conſtans & commendata opinio, quàm vel patriæ caritas, vel ſtudium alicujus alterius. Ad diem XXVIII. Januarii, Orator quidam Maximiliani Burgundorum Ducis Urbem ingreſſus eſt. A nullis eſt ei obviam itum, niſi à paucis privata ſibi amicitia junctis. Adventus ejus cauſſa minime mihi adhuc cognita eſt; ſed parvi momenti admodum eſſe creditur, cum homo ejus nationis non ſit, & quatuor menſes in itinere fuerit, ac Minorum Religionem profiteatur, qui procul à ſecularibus negotiis eſſe conſueverunt. Audio eum virum eſſe Theologiæ peritum, acutum in primis, & lingua admodum promtum, patriâ Venetum, ſed in Galliis apud Comitem Sancti Pauli diu verſatum, & ab ipſa quodammodo infantia ab eo Principe educatum. Nomen ei..... Ad XXX. ejuſdem menſis, qui die Martis accidit, ingreſſus eſt Urbem Guidantonius Veſputius Florentinorum Orator, unus ex duodecim, qui ſuperioribus menſibus ad Pontificem venerant. Oratores ſocialium obviam ei proceſſerunt; Patrum verò familiæ nullæ, præter unius Ulisbonenſis; ſed Curiales aliquot Florentini à Porta Populari, per quam eſt ingreſſus, domum cum honoribus eum deduxerunt. Eadem die delectus Patrum nonnullorum apud Neapolitanum eſt habitus; actum eſt de Cardinali Andegavenſi, qui annis circiter duodecim à Rege Francorum Ludovico carceri fuerat mancipatus ob ſuſpicionem læſæ Majeſtatis, qui videlicet cum Carolo Burgundorum Principe in necem ſuam machinatus eſſet, nunc vero ſtudio Apoſtolici Legati Juliani Cardinalis Sancti Petri ad Vincula eſt cuſtodia eductus. Ipſi Legato à Rege judicandus traditus eſt, ſed Legatus abſque decreto Pontificis & Senatus, judicium ejuſmodi ſumendum non putavit. Ideo à Pontifice dicitur petiiſſe quid agendum. Die Veneris ſecundo Februarii menſis, quo Purificatio beatæ Mariæ Virginis celebratur, itum eſt à Cardinalibus in Vaticanum; exiit Pontifex in minorem Pontificiæ Cellam, quæ Sancti Nicolai dicitur; candelas in ea benedixit, atque diſtribuit Patribus primum, inde Oratoribus, & Prælatis, Principibus, & Baronibus, & Magiſtratibus; ipſe tamen Pontifex de manu primi Patris ante alios ſpecioſiorem receperat. Procedens inde ſub umbraculo, quod ab Oratoribus, & Romanis Proceribus deferebatur, Prælatorum ordine in ſacra veſte procedente, in anteriorem Pontificiæ Aulam veniens, è loco ſuperiore, qui in atrium deſpicit, candelas exſpectanti plebi manibus ſuis de more projecit; inde eodem ordine procedente, deſcendit ad rem divinam in Petri Baſilicam. Ibi Sacris eſt operatus ampliſſimus Pater Petrus Foſcarus Venetus, Cardinalis tituli Sancti Nicolai inter Imagines, vir graviſſimus & integerrimus, & apud ſuos non minoris auctoritatis quàm nobilitatis. Hic ab Ordine Protonotariorum à Paulo II. Pontifice maximo ad Cardinalatum fuerat aſſumtus una cum Sabello, & Cluniacenſi, qui Tornacenſis appellatur, de quibus eſt ſupra facta mentio, ſed non publice enuntiatus, ut eſt moris: itaque multos annos ea dignitate fraudati fuerunt. Tamdem ſuperiore biennio Xiſti beneficio iterum deſignati & publicati, ſicut ſocii paſſionum, ita conſolationum fuere, invicem nunc ea dignitate fruuntur. Die quæ ſequuta eſt, Blaſii martyrio addicta, meridiano tempore profectus eſt Pontifex ad Popularem Virginem, Patribus & Oratoribus nonnullis illum

comitantibus, qui deprecatione facta ad majorem aram, per Campum Floræ in Pontificiam rediit, inclinante jam Sole. Ad quintam Februarii, quæ dies Lunæ fuit, & in qua colitur Paſſio beatæ Agathæ Virginis, meridiano Sole exivit Pontifex ad Agathenſe Sacellum in Quirinalis Collis clivo poſitum, quod commendatum eſt ampliſſimo patri Franciſco Gonzagæ Diacono Cardinali, in cujus conjunctas ædes ſatis commode conſtructas æſtivo tempore cum carioribus ſuis, vitandi æſtus & urbanæ moleſtiæ cauſsâ, ſecedere conſuevit. Adoratis autem aris Pontifex in Pontificiam eſt reverſus, Cardinalibus illum uſque ad Pontem Adriani comitantibus. Cardinalis Melphitenſis, quem ſupra ad Germanos Legatum fuiſſe deſignatum annotavimus, in Senatu, qui hodie Mercurii die VII. Februarii habitus eſt, Legationem ſibi deſtinatam ſponte depoſuit. Ei ſuffectum dicunt Urſum Theanenſem Epiſcopum, virum doctum, & in Civili ſcientia conſultiſſimum, atque integræ admodum vitæ Antiſtitem habitum. Depoſitæ verò Legationis à Melphitenſi cauſſam eam in vulgus dixerunt, quod millia duo aureorum, quæ ſibi dabantur, parum ſibi ſint viſa. Quæ non ad eundum modò in longinquam Legationem, ſed vix ex Urbe recedendum, ſatis exiſtimata ſunt. Si qua tamen fuerit cauſſa verior, ut certe credendum eſt, ipſi ſciunt Patres & Pontifex, apud quos res eſt acta. Mihi ſit ſatis diem annotaſſe, poſtquam interiora conſilia mihi nota eſſe non poſſunt propter humilem ſortem meam. Hodie ad 12. Februarii die Lunæ meridiano tempore profectus eſt Pontifex ad Ædem ſacram Virginis Popularis, eo quod præcedenti Sabbato ob nubilum cœlum exire noluerat. Vectus eſt penſili ſella conſueta; Patres nonnulli, Oratores, & Prælati illum ſunt comitati; adorata Virgine retroceſſit, & ad ſiniſtram divertens per Collem Quirinalem, & Diocletianas Thermas in Lateranum devenit. Ibi veneratis aris parumper eſt immoratus; Coloſſæum dextrorſum relinquens per radices Capitolini Collis, & inferiora Sabellorum in Forum Judæorum primo, inde per Theatrum Pompeji, quod Campum Floræ nunc dicimus, via Florida & Mercatoria ad Pontem Adriani pervenit, Patribus eum illuc uſque deducentibus. Ad XV. ejuſdem menſis, certis auctoritatibus nuntiatum eſt, & paſſim tota Urbe vulgatum, Præfectum copiarum Turci (Baſsà eum vocant) quem præterita æſtate diximus Idruntum occupaſſe, cum quadringentis equitibus, & mille peditibus, in Licienſem agrum excurriſſe, & noſtrorum plurimos, qui ei occurrerunt, interemiſſe, inter quos Julius Aquævivæ Comes occiſus refertur, vir maximi animi, & in re militari non minoris exiſtimationis & nominis, quem ſupra ceteros Rex Ferdinandus diligebat. Octingentorum ex noſtris interemti referuntur, hoſtium non plus quam viginti. Hoc nuntio noſtrorum animi maxime ſunt conſternati, non eorum modò, qui ſunt in Apulia vicini hoſtibus, & quotidie quæque hoſtilia patiuntur, ſed noſtrorum etiam, qui Romæ ſunt. Minorbinum Oppidulum ab Idrunto circiter tribus paſſuum millibus diſtans, diſſipatis noſtris, & trucidatis, biduo poſt cladem acceptam à Turcis eſt expugnatum, oppidanis ad unum cæſis. Ea in pugna cum Julio turmarum Præfecto nonnulli fortiter dimicantes ceciderunt; Julius ipſe, cum cervix lato enſe, quem ſcimitarram appellant, nondum eſſet abſciſſa, A equo valido prætervectus, poſt mille ſpatium paſſuum in terram delapſus crudeliter necatur. Extra ordinem ad diem XX. Februarii, qui Martis fuit, Senatus habitus eſt meridiano tempore, in eoque deſignatus fuit Legatus Claſſis, quæ Genuæ & Anconæ paratur, Cardinalis Genuenſis, abſens tamen. Senatum extra ordinem coactum diximus; nam quum tantum Lunæ, Mercurii & Veneris diebus matutino tempore vocari Senatus ſoleat, ceteris diebus & horis habitum poſſumus extra ordinem dicere. Cardinalis hic Majo proximo ad Cardinalatum aſſumtus, Paulus nomine, Genuæ ortus, Fregoſa primaria & potenti familia genitus, & in ea primatum retinens, Pii B Secundi Pontificis tempore Civitatis ſuæ dictaturam geſſit; inde in exilium actus, tamdiu fuit extorris, quamdiu Galeatius Sfortia illi Urbi eſt dominatus. Nunc poſt varias Civitatis ejus mutationes dictaturam gerit Thomaſinus Fregoſus, Cardinalis nepos, in ea tantum manſurus, quantum patietur gens inquieta, & novarum rerum ſemper cupida. Hic Pater jam ſexagenarius eſt; multos annos Genuenſi Eccleſiæ præfuit, vir manu ſtrenuus, & intrepidi animi, & qui non minus galea & enſe uti ſciat, quum erat opus, quam baculo Paſtorali & Mitra. Claſſi huic propterea præpoſitus, quod Triremium Præfecti Genuenſes omnes hujus Patris auctoritatem ſequentes, in omnibus dicto ſibi parebunt, & ſtrenue in ejus C gratiam operam navabunt. Die Sabbati, quo celebritas Matthiæ Apoſtoli hoc anno eſt celebrata, mane egreſſus eſt Pontifex, cunctis fere Patribus eum comitantibus. Primum Via Xiſtina ad Templum Populi, inde ad majorem Mariam ſecus Thermas Diocletianas, ac demum ad Baſilicam Lateranenſem profectus eſt; poſtmodum per Judæorum Forum, & Floræ Campum, Via Floræ & Mercatoria, trajecto Ponte Adriani, in Pontificiam rediit, Patribus uſque ad Pontem illum comitantibus.

Ad Calendas Martias, quæ die Jovis evenerunt, & in qua Romæ Agonenſes Ludi agi conſuevere, pinguem diem hunc vulgus appellat, itum eſt à Vicecamerario, & Hieronymo Comite, in Romanum agrum Urbi vicinum venandi ſtudio, multis Proceribus tum Romanis, tum Curialibus ordinum omnium, illos comitantibus. Exiere Porta .... quam Pertuſiam hodie vocant, in vertice Collis Vaticani poſita. Præcedenti nocte Urbe tota à Venatoribus clamatum eſt: cornibus, tubis, & canum ullulatibus omnia reſonabant. Venatores equites ſupra quadringentos, pedites totidem, aut etiam plures, interfuiſſe venationi aſſerebant; Canes leporarios, & eos, qui feras excitant, ſupra octingentos; ſed infelix venatio; capti dumtaxat Cervi duo referuntur, miræ nihilominus magnitudinis, caprei ſex, lepores, & vulpes abſque numero. In ſilvis cibus paratus omnibus volentibus Comitis ſumtu. Eadem die in Veſperis deſcendit Pontifex in Baſilicam Petri in veſte domeſtica, tamen familia comitatus, obtulit ſacrario Baſilicæ aureum pannum intertextum auro ad cooperiendam Cathedram Apoſtoli Petri, quæ in eodem Templo cum ſumma veneratione ſervatur; ac ſe præſente ſuo munere operiri illam juſſit; taliter ornatam in locum ſuum deferri mandavit à majoribus Templi Sacerdotibus incenſis cereis præcedentibus, cantatis quoque nonnullis ad cerimoniam pertinentibus. Die Mercurii VII. Martii, quam quartam

D

E

feriam,

Digitized by Google

feriam, & diem Cinerum vocamus (primus dies hic est Jejunii Quadragesimalis) descendit Pontifex ad Divina in Petri Basilicam cum Patribus omnibus. Hi, & Episcopi in veste sacra, & Prælati inferiores in albis, Oratores, Proceres, & ceterorum Ordinum Viri, Pontificis manu cinere caput signati sunt de more. Melphitensis Cardinalis Sacris est operatus; & Titus Viterbiensis, Castrensis Episcopus, orationem habuit ab omnibus commendatam, ita ut alterius maculam pæne diluerit. Orationis argumentum fuit de hominis conversione ad Deum. Sed ipsius Pontificis ante alios à primo Cardinali cinere caput aspersum; is autem fuit Rodericus Episcopus Portuensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius. Nam Rotomagensis, qui primum in Senatu locum tenet, ob podagram domi se continebat. Sequenti die Gallorum Regis Oratores Urbem ingressi sunt per Portam Sancti Petri. Pontificis familia, & Patrum omnium, eis obviam ivere. Hi vero sunt Johannes de Cassangues Dominus de Gemssac ex Præsidentibus Parlamenti Burdegalensis, Johannes de Res Dominus Sancti Lupi, Raymundus Perandi Archidiaconus Aluisiensis in Xantonensi Ecclesia Regius Eleemosynarius. Hic tamen superioribus honoris caussa additus. Primâ Dominicâ Quadragesimæ, quæ evenit XI. mensis Martii, itum est in Vaticanum ad Divina. Exivit Pontifex in propinquam cubiculis Aulam, quæ pro Sacello habetur quandoque, quousque aliud majus erit instauratum, quod egregio opere & magno sumtu reædificatur; quo die sacris operatus est Petrus Guillermus Archiepiscopus Salernitanus, & Homiliam peroravit Petrus Antonius Viterbiensis ex Ordine Prædicatorum, qui commendatus fuit fere ab omnibus. Vocati à Pontifice Gallorum Oratores die Mercurii 14. Martii in secreto Senatu, auditi sunt; obtulerunt in subsidium belli adversùs Turcos aureorum trecenta millia, ducenta videlicet à Clericali potestate exigenda, centum à Seculari, sub conditionibus tamen, quæ mihi adhuc penitus sunt ignotæ. Postulaverunt & alia à Pontifice & Senatu, ad consequendam pacem cum Burgundo. Decrevit Senatus examinari interiùs postulata ipsorum, & ad nonnullos delectos Patres rejecta est caussa. Die sequenti apud Rotomagensem primum Patrem, & ceteros delectos, auditi sunt. Ad secundam Dominicam Quadragesimæ, quæ evenit XVIII. mensis Martii, itum est de more ad Divina in Vaticanum. Exiit Pontifex in proximiorem cubiculis Aulam, in qua res divina ut plurimum agitur. Sacris operatus est Johannes Castrensis Episcopus, non is Castrensis, de quo supra fecimus mentionem. Duas enim Cathedrales Ecclesias eodem nomine appellatas invenies; alteram in Etruria in ditione Romani Pontificis, parvi admodum census, cui . . . . . Viterbiensis nunc præest; in Gallia alteram, cujus Præsulem hodiernis Sacris dicimus fuisse operatum. Is quidem est ex Principibus Armeniacis: ita enim gentili nomine appellabantur. Frater ejus Jacobus Nemesii Dux, & Castrensis Comes, ob suspicionem læsæ majestatis Regiæ, eo quod cum Burgundo sentire creditus est, jussu Regis Gallorum capite truncatur. Ad tertiam Quadragesimæ Dominicam, quæ fuit quinta & vigesima Martii, itum est à Patribus in Vaticanum de more ad Sacra, quæ Conradus Spoletinus Antistes est operatus, nepos amplissimi & gravissimi Patris Berardi Episcopi Sabinensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui sexto ante Papientem mense Romæ diem obierat. Homeliam peroravit . . . . . Augustinensium Procurator. Pontifex non interfuit. Die sequenti, in quem translata fuit Annunciationis celebritas, itum est etiam ad Divina; Pontifex nequaquam descendit. Sacris operatus est Ausias Cardinalis Sanctæ Sabinæ, Montis Regalis Archiepiscopus. Orationem habuit Marcus Neapolitanus sacri Apostolici Palatii Magister, Theologo, quàm Oratori convenientiorem. Commendatus ab omnibus fuit. Die XXVIII. Martii, Collense Oppidum Vallis Elsæ, & Mons Sancti Savini, quæ proximo bello Florentinis erepta fuerant, per Pontificem & Regem eisdem sunt restituta; erant enim in Regia potestate. Castellina vero, & Mons Dominicus, ac Sacellum Sancti Poli in Senensem potestatem ad tempus dimissa. Quartâ Dominicâ Quadragesimæ, quæ evenit Calendis Aprilis, itum est à Patribus in Vaticanum ad Sacra. Pontifex interfuit, qui proximis tribus Sacris non interfuerat. Celebrata ea sunt in Petri Basilica, ut Rosæ mysterium celebrius fieret. Rem divinam egit Cardinalis Sancti Vitalis Dominicus; & orationem habuit . . . . . Rosam vero . . . . Eodem die Oratores Caroli Andegavensis, Provinciæ Comitis, qui se Regem Siciliæ nominat, mortuo Renato patruo suo, cujus relictus est heres, Urbem ingressi sunt. Hi dies aliquot Narniæ restiterunt, eo quod Pontifici & Patribus non placeret ingredi eos tamquam Regios Oratores, qui titulus suspicionem daturus videbatur Ferdinando Aragonensi; tempora verò minime pati, ut suspicionibus novis augerentur alias mala præsentia. Itaque Urbem ingredientibus à nullis familiis vel Patrum vel Pontificis, eis itum est obviam. Gallorum Regis Oratores, quos Romæ esse supra monstratum est, & Prælati nonnulli, qui vel in Caroli dominatione Sacerdotia possident, vel Andegavensem sectam sequuntur, introëuntes honoraverunt. Die Martis Aprilis tertia, iidem Oratores à Pontifice sunt auditi, Oratoribus Gallis præsentibus. Dies auditorii alius majoris commodi destinatus est eis; sed tamen clementer accepti sunt, & amantissimis verbis à Pontifice appellati. Quærebatur hodierno Jovis die, quo indicta est Statio (ita enim appellamus Indulgentias Quadragesimales) ad Sanctum Silvestrum, & ad Martinum in Montibus; cur hic dies Stationes duas diversas loco & nomine secum afferat, quum unâ tantum reliqui sint contenti. Aderam ego in Cancellaria Apostolica, quum à nonnullis motum est dubium. Nicolaus Galiriatus Gallus unus dixit, intellexisse se alias ex amplissimo Patre Johanne Monacho Cardinali Atrebatensi, viro sacrarum Literarum eruditissimo, eam inde ambiguitatem exortam, quod Ecclesia Sancti Martini ædificata fuit, ubi tunc erat Ecclesia dicata beato Silvestro, quæ postmodum propter ejusmodi instaurationem partim primum nomen amisit, partim servavit, & vulgo Sancti Martini in Silvestro est appellata; prout evenit in Ecclesia Sancti Gregorii, quæ in Andrea est dicta, eo quod in eodem Colle, ubi Gregorii nunc est Monasterium, prius Sancti Andreæ Sacellum fuerat.

Quinto Idus Aprilis, qui dies Dominicus est, & de Passione nuncupatur, itum est de more à Patribus ad rem divinam, quæ quidem acta

fuit

fuit in Basilica Principis Apostolorum. Sacris autem est operatus Baptista Cardinalis Sanctæ Cæciliæ Melphitensis nuncupatus. Inter divinæ rei Solemnia jussit Pontifex in throno sedens, circumstantibus ad subsellia Cardinalibus, Præsulibus, Oratoribus, & totius Curiæ, ac Romani Populi, & Cleri Proceribus, recitari à latere suo Diplomata, quæ de Patrum Consilio edita erant. Eorum series admodum longa fuit; sed hæc, quæ sequitur, summula. Exposuit primo Ecclesiæ nascentis initia, & felices ejus per tempora longa successus; incadem postea decrementa delapsus est. Hostium deinde Christi nominis victorias & triumphos, & ruinas nostras & clades enumerat. Ac nunc tamdem positis ante oculos periculis & discriminibus, in quibus adducta est Christiana Respublica, monstratisque ingentissimis apparatibus Turcorum Regis adversùs Christianos omnes, & noviſſime contra Italiam, in qua proxima æstate ejus Imperator (Bassà vocant) magna classe trajecit, & Idruntinam Civitatem occupavit, hortatur, admonet, & obsecrat Reges, Principes, & Potentatus omnes Fidei orthodoxæ, ut qui bello laborant, pacem agere velint, vel si non possunt, inducias saltem per triennium paciscantur in proximis Calendis Juniis incipiendas; convertant quoque eorum arma in bellum Turcorum quilibet juxta vires suas; qui, si ipsimet ire in bellum nequeant, suo nomine & sumtu alium mittant, vel tantum pecuniæ ministrent, quantum ipsi toto triennio essent exposituri. Recipit idem Pontifex in suam, & Romanæ Sedis protectionem omnes euntes, vel mittentes in bellum, durante toto triennio, & toto semestri immediate sequuturo, postquam à bello redierint domum, promittens se defensurum statum omnem illorum adversùs quoscumque interim offendentes. Proponit cœlestia præmia monita hæc sua, & observationes recipienti; negligenti verò æternam damnationem & maledictionem suam enuntiat. Quia verò Diplomata ipsa passim habentur, non insistam in his pluribus. Recitavit ea altiori voce à Pontificis latere, ut dixi, ampliſſimus Pater Franciscus Piccolomineus Sancti Eustachii Cardinalis Senensis, primum inter Diaconos Cardinales locum tenens, non quidem in sacra veste constitutus, ut alias ipse idem, sedente Paulo Secundo, in Æde Capitolina in simili fere cæremonia, sed in quotidiana Senatoria, quam Capam vocamus. Is nepos fuit Pii Secundi Pontificis Maximi, Pontificatus sui anno secundo ad Cardinalatum assumtus, dum Senis tunc ageret, ad Romanam Curiam à Mantuano Concilio rediens, quod pro tuenda Fide primis sui Apostolatus mensibus indixit, & celebravit. Vir est pii & mitis ingenii, integritate vitæ, modestia, ac morum gravitate admodum clarus, literaturæ non parvæ, sed eruditos homines magno studio & favore complectens; apud omnes autem tam sui Ordinis quàm alienos in summa veneratione habitus. Picœni Provinciam adhuc juvenis sedente avunculo, cum summa laude administravit. Romanæ Urbis, & totius Italiæ graviſſimo tempore, quo Pontifex Anconam profectus est, Legationem quamhonorifice obivit Germanicam, qua functus est anno ultimo Pontificis Pauli, in qua apud Ratisbonam Germaniæ Urbem non ignobilem conventum de rebus maximis habuit; cui Federicus Cæsar interfuit, & Germanorum Secularis & Clericalis potestatis Proceres fere omnes. Quo in loco & obitus Pauli, & Xisti, qui nunc regnat, assumtio sibi est nuntiata. Unde paulo post acceptis Pontificis novi mandatis in Italiam est reversus, & tam à Senatu, quàm à Pontifice honorifice exceptus, nunc Romæ agit, tam Magnatibus quàm Popularibus gratus, annos duos & quadraginta circiter natus, ac talem vitæ ac morum ordinem retinens, ut plerique ei summum Pontificatum suo tempore auspicentur. Id faciat Deus pro sua pietate, & pro salute Ecclesiæ Sanctæ suæ; interim verò non dimittas Servum tuum, Domine, sed videant oculi ejus Salvatore tuum; beatiſſimo tamen Xisto constituti à Deo dies non brevientur, cui sit & semper adjutor & custos in sanctis operibus suis. Habitat Senensis (ut ad eum revertar) in magnificis ædibus, non magis ad dignitatem Cardinalatus, quàm ad Sacerdotalem frugalitatem à se constructis, inter Pontificiam viam, & Pompeji Theatrum, quod nunc Campum Floræ vocamus. Recitatis per eum omnibus cum summa gravitate, cunctis silentibus, & attentione maxima audientibus, prosequuta sunt Sacra de more, eisque in finem absolutis, Populo Pontifex benedixit; & Patribus comitantibus, & Episcopis, & reliquis, in Pontificiam Cubiculariorum humeris est reductus. Vocati sunt in Senatu Patres ad XII. mensis Aprilis tempore meridiano. Vocati etiam Romani Proceres, quos Barones appellant; adhibitique sunt Magistratus omnes urbani & primarii Romani Cives. Vocationis causſa patebit, quum altius nonnulla breviter repetiero. Laborat Romana Civitas inteſtinis malis; vigent discordiæ in ea, dissensiones, & odia; homicidia in ea multa à tribus annis citra, ex quibus nonnulla à primariis Civibus sunt perpetrata. Franciscus Vallensis Lælii filius, qui ante octo annos à Francisco Cruceo vulnus acceperat, eumdem nuper ad mensam Prosperi Crucei gentilis sui ex improviso crudeliter interemit, quum ille inter cognatos & hospites, epulas & pocula, astante quoque ejus sorore, quæ Prospero nupta erat, fraterne discumberet. Prosper, ut acceptam domi suæ injuriam ulciscereturcum in caput Vallensis, qui se cautius custodiebat, secure non posset, in Petrum Marganum Civem Romanum, virum in primis locupletem, Vallensium affinem, & eorum sectam sequentem, virus evomit; eumnamque proxima æstate, quum inclinasset jam Sol, ad januam domus suæ captantem frigora, & talia non cogitantem, occidit. Ex hoc se continere domi utriusque cognationis, & sectæ homines cœperunt. Quisque suos satellites, ut tutiorem se reddat, ad se evocat, ac domi alit, ut est hodie Romanis consuetudo, quum inimicant ad invicem. Franciscus & Prosper, factionum capita, & homicidæ, judicium formidantes, ad Romanorum Procerum Arces, quas sibi quisque fidas existimat, & suarum partium esse nosceit, se conferunt. Vallenses Columnensibus, Ursinis Crucei adhærebant. Tota igitur Civitas horum dissensione & odio quum laboraret, atque his malis vigentibus quiescere non posset, in se ipsam erigitur, ut uno consensu quærendam sibi salutem consulat. Ideoque delecti nonnulli, nomine publico ad Pontificem destinati, rogant, supplicant & obsecrantur, ut laboranti Civitati medicam manum imponat ad salutem; ut pie & paterne in eos prospiciat, ac tot nascentibus malis obviam eat; non patiatur infirmum esse totum corpus Civi-

tatis

fatis infirmitate paucorum. Evenire enim facile posse, ut durante impunitate & contumacia nonnullorum, tale incendium excitaretur, quod paulo post etiam volens non posset opprimere. Pius & sapiens Pontifex, qui antea malum omne à Proceribus Romanis provenire sentiebat, eo quod fontes ad se ipsos tamquam ad tutum asilum confugientes absque aliquo discrimine recipiebant, eosdem ante aliquot dies ad hunc ipsum eâ tamen causâ constitutum mandaverat vocari. Præsentes ergo alloquitur, toto sacro & urbano Magistratu & Romanorum Civium cœtu astante, hortatur, monet, rogat, obsecrat, velint ab hujusmodi malis abstinere; fontes, homicidas, exules, capite damnatos in sua munimenta non recipiant; male agentibus non faveant; de se haberi judicium sinant; Leges & Jura Romanorum, quæ patres eorum & tulerunt, & toti terrarum Orbi servanda dederunt, ipsi ante alios religiose custodiant, & ab aliis custodiri dent operam. Id esse boni Civis officium, & Nobilitatis, qua gloriantur, perspicuum documentum. Causam ipsi non præbeant quotidianis cædibus. Non pati tempora, ut ab intestinis malis laboret hæc Civitas, cui jam instat hostis à tergo, & alter Annibal Turchus cervicibus nostris immineat multum. Quum prosequutus Pontifex esset in eamdem sententiam, pauci pro cunctis respondent. Ii autem fuere Johannes Antistes Constanus nobilissimâ Comitum familiâ genitus, Stephanus Columna, Andreas Comitius, Virginius Ursinus, & Baptista Arronus Triumvir, qui nunc in Romano Populo summus est Magistratus, & Conservatores appellantur. Ostenderunt, gratissimam esse eis Pontificis mentem & monita, qui more pii patris cum pietate & caritate filios admoneret; egerunt Beatitudini suæ gratias immortales, pollicentes ejus imperio obnixe obtemperaturos, tam ad conciliandos inter se dissidentes Cives, quàm ad sumendum de damnatis supplicium. Pontifex eos mirifice commendatos jurejurando adegit, se deinceps in eorum vel Arcibus vel Oppidis homicidas vel damnatos non recepturos, adjectâ sex millium aureorum pœnâ ærario Pontificio persolvendâ. Quia verò magni admodum laboris esset Principatus hos sanguine civili conspersos conciliare, & ne semper etiam in minimis quibusque rebus adeundus Pontifex esset, quem adire frequenter propter gravissimas occupationes difficile admodum est, posset que aliquando magna rei gerendæ occasio deperire, delegit idem ipse Pontifex, probante Senatu, tres ex Patrum ordine, qui conciliandorum Civium curam omnem susciperent, quibus potestatem & auctoritatem omnem est impartitus, quæ ad eam rem necessaria visa est. Ii autem fuere Johannes Baptista Sanctæ Cæciliæ, Stephanus Sanctæ Mariæ in Transtiberim, Sacerdotes, & Franciscus Gonzaga Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.

Anno MCCCCLXXXI.

VUlgatum est Romæ ad XII. Aprilis Mensis, triremes duas Ibletti Fliſci Protonotarii Genuensis, quæ Neapolim navigabant ad recipiendum Prosperum Adornum, incidisse in navim ejus generis, quas Caravellas appellant, à Lusitania Rhodum versùs navigantem. Erat navis Præfectus Jacobus de Almedia Eques Hierosolymitanus, vir strenuus & nobilis, qui tam Regis sui mandato quàm zelo juvandæ Religionis ad ferenda Rhodiis auxilia proficiscebatur. Genuenses absque multo vel labore vel opere potiri navi existimantes, ac Piratarum more prædam partiri, in Caravellam impetum faciunt. Lusitani, qui egregiè erant armati, eo quod adversùs Turcos experiri opinabantur, valide Piratis resistunt, quamvis numero impares essent. Atrox pugna committitur non longe à Plumbini aquis; tamdem Lusitani victores vadunt; alteram ex triremibus capiunt; alteram aliquantulum sunt secuti; sed ea remorum beneficio salutem sibi paravit. Ex Genuensibus LX. periere; non plus uno ex Lusitanis; Præfectus in facie vulnus accepit. Læta Civitas fuit Caravellæ victoriâ, & venienti Romam Præfecto è Portu Civitatis-veteris omnes congratulati sumus; venit enim tam ad vulnus curandum quàm fratrem visendum, qui apud Pontificem sui Regis Legatione fungebatur. Ad horam tertiam noctis diei Mercurii, qui fuit Nonis Aprilis, magnum incendium excitatum est in ædibus Pazzianis prope Pontem Adriani; quod fere reliquum rerum suarum consumsit. Eodem die ierat Pontifex ad Templum Popularis Mariæ, plerisque Patribus, Oratoribus, & Prælatis illum comitantibus, viâ Xistinâ iens & rediens, pensili sella sua vectus. Britanniæ Oratores dicto die XIII. Urbem ingressi sunt, missi ipsi à suo Principe ad Pontificem, ut indictæ diætæ interessent. Eis obviam itum est ad Portam Sancti Petri à familiis tam summi Pontificis quàm Patrum, & fere Oratoribus cunctis, qui Romæ tunc erant. Oratorum nomina hæc sunt ..... Sabbato sequenti XIV. dicti mensis meridiano tempore, profectus est Pontifex ad Ædem suam Virginis Populeæ, qui veneratis aris viâ rectâ in Vaticanum reversus est, Patribus, qui illum deduxerunt, usque ad Pontem Adriani comitantibus. Dominica die, quæ sequuta est, ea Palmarum nuncupatur, itum est à Patribus de more ad rem Divinam. Pontifex in parvo sacello Pontificiæ Palmas benedixit; ipse primum digniorem de manu primi Patris accepit; reliquas gradatim distribuit Cardinalibus & Præsulibus in veste sacra, Prælatis, ceteriſque minoribus in albis constitutis; inde se movens, præcedente Prælatorum ordine, sub umbraculo, quod erectis hastis in altum ab Oratoribus & Romanis & aliis Proceribus portabatur, processit in quemdam majoris Aulæ locum, qui in atrium despicit, unde Olearum ramos, Palmasque Populo exspectanti & conclamanti in lætitiæ & religionis speciem, de more projecit. Itum est inde ad Sacra, quibus operatus fuit Johannes Cardinalis Novariensis, de quo supra mentionem fecimus. Cerimonia Palmarum eadem quasi est, quæ Candelarum, quam etiam supra monstravimus. Oliverius Caraciolus nobilis Eques Neapolitanus ad diem XVI. ejusdem mensis Romam venit, ut Catharinam Marzanam Suessani Principis filiam, neptem Ferdinandi Regis, Antonii nepotis Pontificis obitu viduam, Neapolim reducat. Camillus Pandonus & ipse Neapolitanus Eques, ejusdem Regis Orator ad Gallorum Regem destinatus, ad XVIII. Aprilis Urbem est ingressus. Familiæ nonnullæ Cardinalium ei obviam iere ad Lateranensem Portam. Feriâ quartâ Majoris hebdomadæ (ita diem Mercurii, quem vulgo Sanctum dicimus, appellat Eccle-

Eccleſia) iere Patres ad Orationem Matutinam tempore veſpertino, prout ſemper his tribus diebus fieri conſuevit. Dicta eſt Oratio in Aula conſueta Pontificiæ; interfuit Pontifex, & Orationi de more præfuit amictus purpureâ Cappâ, Mitram damaſcenam abſque ornatu aliquo in capite geſtans, Stolâ dumtaxat pendente ab humeris. Sedes Pontificis & Cardinalium, aliorumque Prælatorum ſubſellia, parietes quoque, & pavimentum Oratorii abſque palliis & ſtragulis toto hoc triduo dimittuntur, excepto ſequenti die Jovis, quando Divina res celebratur, tunc enim propter Paraſceve ſolemnem celebrationem ubique ſolemnis eſt dies. Ad rem Divinam agendam die Jovis, quam Sanctam vulgus, Eccleſia verò Majoris hebdomadis quintam feriam vocat, itum eſt à Patribus in Vaticanum. Sacris eſt operatus ampliſſimus Pater Rodericus Borgia, Valentinus Epiſcopus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, & Cardinalis Portuenſis. Divina re abſoluta, ſacrata hoſtia Dominici Corporis Pontificis manibus, capite detecto, ab Ara majori, in qua ſacrata fuerat, in parvum Pontificiæ Sacellum religioſe admodum portata eſt, & argenteæ arculæ ſuper Sacelli Aram condita pro Communione diei ſequentis, in quo ob vivificæ Paſſionis memoriam Sacrum Dominicum non conficitur. Præcedebat Pontificem Præſulum & Cardinalium Ordo, in ſacra veſte & Mitra conſtitutus; & quilibet eorum ardentem cereum manu geſtabat. Ipſe Pontifex veſte ſacra circumdatus, Cubiculariorum & Miniſtrorum ſuorum humeris in purpurea ſerica ſella ſua ſedens, deferebatur ſub umbraculo, quod Regum, ac Principum Oratores portabant. Poſitâ ſuper Aram hoſtiâ, eodem ordine deſcenſum eſt ad pulpitum marmoreum porrectum ſuper atrium Beati Petri Baſilicæ (eum locum Benedictionem appellamus) ibi primum alta voce ſunt recitata Diplomata, quæ de Cœna Domini nuncupantur, per Ugonem Bentium, unum ex Subdiaconis Apoſtolicæ Sedis, verbis quidem Latinis, ut ſcripta & edita ſunt, ſed maternis aſtanti Populo per Franciſcum Cardinalem Senenſem pedetentim vulgabantur. Inde projectis à Pontifice, Patribus, & Præſulibus in ſubjectam arcam candelis accenſis in ſignum æternæ maledictionis eorum, qui annuntiatis cenſuris ſubjiciebantur, Populo, qui illuc religionis cauſsâ confluxerat, de more benedixit. Abſoluta cerimonia eodem modo in Pontificiam Pontifex eſt reductus. Cardinales tamen atque Antiſtites ſacras veſtes exuerant. Poſtquam autem in cubiculum reverſus eſt, duodecim pauperibus hominibus pedes lavit, exemplo Salvatoris noſtri, quos antea albis veſtimentis, caligis, & calceis, veſtiri ad hoc ipſum miniſterium juſſerat. Redeo nunc ad Vicecancellarium, de quo non erit alienum libare nonnulla ad notitiam futuri temporis, niſi hic labor ſtatim cum Auctore perierit. Annos natus eſt hic circiter quinquaginta apud Oppidum Xativam Valentinæ Diœceſis, Calixti III. Pontificis maximi nepos fuit; initio Pontificatus avunculi ad Cardinalatum aſſumtus, una cum Ludovico conſobrino ſuo tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, qui à quatuor annis citra in Præſulatu ſuo Illerdenſi quietam vitam agit, ſi quietam licet dicere vitam illius, qui Apoſtolica Sede relicta, cui adjutor & Conſultor cum reliquis Sacerdotum Principibus à Domino datus eſt, non quæ Jeſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærens, privata magis quàm publica reſpiciens, officii Sacerdotalis oblitus, otiatur cum ſuis. Ambo Bononiæ Juri Pontificio operam dederant. Paulo autem poſt Rodericus Apoſtolicæ Cancellariæ Præfectus fuit, quæ vivente adhuc Nicolao V. aliquo tempore vacaverat. Vir eſt ingenii ad quæcumque verſatilis, & animi magni; ſermo ei promtus eſt, & in mediocri literatura valde compoſitus; naturâ eſt callidus, ſed ante omnia miræ ad res tractandas induſtriæ. Claret mirum in modum opibus, Regum & Principum plurimorum clientelis admodum clarus. Sedente Calixto avunculo Picœna Legatione functus eſt, & Anno primo Pontificis Xiſti in Hiſpanias cum poteſtate non modò de Latere Legati, ſed pæne Pontificia miſſus eſt, à qua in Italiam mari rediens, quum jam Piſanum Portum ingredi tentaſſet, maritimis fluctibus ita eſt triremis, qua vehebatur, disjuncta, ut pæne ſubmergeretur. Alia tamen, in qua erat familia fere omnis, alliſa litoribus periit. Antiſtites tres Parentinum, Aſſiſinatem, & Caſtrenſem, ac nobiles & ignobiles plures Seculares & Eccleſiaſticos, naufragium miſerabiliter abſumſit; pauci natantes terræ ſunt redditi incolumes, inter quos fuit Jacobus Buttafoco patriâ Luſitanus, meus in ordine Abbreviatorum Collega, cui inter capſas & tabulas natanti brachia & crura pluribus locis colliſa & confracta ſane inſpeximus; Dei magis beneficio quàm humana ope evaſere nonnulli. Ipſe Vicecancellarius timore magno perculſus, quum Piſis aliquantulum ſubſtitiſſet, Senam ſe ignota veſte contulit, ubi à Domino meo Cardinale Papienſi honorifice hoſpitio eſt receptus, noctem unam quievit, inde rectà Romam regreſſus eſt. Ædes habitat non minori ornatu quàm commodo à ſe conſtructas mediâ ferme viâ inter Adriani Pontem & Floræ Campum. Sacerdotiorum cenſus ingens ei eſt à Cœnobiis pluribus, quæ & in Italia & Hiſpaniis præcipue poſſidet, & à tribus, quibus præeſt, Cathedralibus Sedibus, Valentina, Portuenſi, & Chartaginenſi, ſed & ab ipſo Apoſtolicæ Cancellariæ munere, à quo in annos ſingulos octo aureorum millia ſibi provenire dicuntur. Vaſorum argenteorum, margaritarum, veſtis ſtragulæ, & ſacræ ex auro & ſerico, ac Librorum omnis doctrinæ vis maxima ei eſt, cuncta ſpecie & ornatu Regio & Pontificio. Mitto lectorum & equorum ornamenta innumera, etiam aurea, argentea, & ſerica. Mitto veſtem ſui uſus admodum pretioſam, & multam. Mitto ſignati auri ingens, ut dicitur, pondus. Cunctos Patres, dempto Rotomagenſi, pecunia & divitiis omnis generis ſuperare creditur. Die Veneris XX. Aprilis, quam Sanctam, & ſextam Majoris hebdomadæ feriam dicimus, & quæ majoris quodammodo religionis eſt, quàm dies aliqua totius anni, propter memoriam Paſſionis Salvatoris noſtri, itum eſt de more ad Divina in Vaticanum. Sacris eſt operatus Reverendiſſimus Pater Oliverius Epiſcopus Albanus Cardinalis Neapolitanus. Orationem habuit de Paſſione Guillelmus Siculus ex contubernalibus Cardinalis Melphitenſis, vir doctus Hebraice, Græce, & Latine; retulit myſteria omnia Paſſionis Jeſu Chriſti, eaque probavit Hebræorum ac Arabum auctoritate & ſcriptis, verba ipſa eorum Lingua in medium afferens, qui Hebræus à nativitate fuit, & in ejus Lege peritiſſimus habitus. Ante annos circiter quatuor-

tuordecim Christianorum Baptismate initiatus, ostendit plurima Judæorum arcana nobis hodie omnino incognita, quibus luce clarius monstratur, Judæos non tam cæcitate & ignorantia, quàm contumaci pertinacia in erroribus ipsorum perseverare. Oratio vero, quamvis spatium duarum horarum occupaverit, tamen grata omnibus fuit, tam propter varietatem quàm propter Hebræorum, & Arabum verborum sonum, quæ ipse tamquam vernacula pronunciavit, commendatus ab omnibus est, & à Pontifice & Patribus in primis. Albanensis autem, quem dixi Sacris fuisse operatum, Neapolitanus est, nobili Caraffeâ familiâ genitus, à Ferdinando Rege mirifice dilecta. Annos circiter quinquaginta natus est, vir magnæ modestiæ, moribus & vitæ integritate admodum clarus. Census Sacerdotiorum ei est ex modulo dignitatis; ore fere omnium commendatur vitæ institutio & modestia; id tamen imputari ei audio, quod præponi Papiensi Cardinali est passus, qui ante eum plures annos ad Cardinalatum assumtus fuerat; ambo autem erant in Sacerdotio constituti. Sed vacante Albana Ecclesia, quæ primo Presbytero, Papiensi scilicet, debebatur, illo præterito Neapolitanus illi præfici passus est: quod quidem à suis moribus multùm alienum est habitum. Sabbato, quod Sanctum dicimus, & evenit ad primam & vigesimam Aprilis mensis, acta sunt Sacra de more in Pontificia; interfuit Pontifex cum Patribus; Cerei benedictio primum cantata est; inde XII. Prophetiæ à Cardinalibus non tam cantatæ quàm lectæ ad Pulpitum sine velo aliquo. A postremis incœptum est, & ordine ventum ad Diaconos duos assistentes Pontifici; ultimam è Throno suo recitavit Pontifex, sedens propter debiles podagra pedes. Letaniæ deinde sunt dictæ; postremo Divina res acta, cui præfuit Dominicus Cardinalis Sancti Clementis, qui propter priorem titulum, Sancti Vitalis vulgo nuncupatur. Patriâ hic ..... gente & ipse Ruverea oriundus, nulla tamen cognatione Pontificem tangens, solo cognomine Ruvereo, & assiduo ac fideli obsequio ad hanc dignitatem promotus; nam ex Cubiculariatu tantummodo, absque alia vel dignitate vel gradu, ad Cardinalatum assumtus est. Literaturæ mediocris, nullâ tamen excellens doctrinâ, aut sanitate consilii, aut ingenii boni. Sola Principis gratia illum extulit, & bonum apud omnes nomen. Resurrectionis solemnitas de more celebrata est ad diem XXII. Aprilis in Beati Petri Basilica, in quam descendit Pontifex cum Cardinalibus & Prælatis omnibus in sacra veste constitutis. Ipsemet Pontifex Sacris est operatus, qui quum propter podagram stare non posset, sedens divinam rem egit; accepto autem Sacramento suis manibus ultra ducentos homines à solio suo communicavit. Epistola ab Isacio Argyropulo Cubiculario; Evangelium ab Abbate Sanctæ Balbinæ Græce cantatum est. Mantuanus Cardinalis Diaconus, & Ugo Benzius Subdiaconus in Sacris Pontifici ministrarunt; Vicecancellarius assistentis munere functus est; Antonius à Mirandula, Britonis, & Ferdinandi Regis Oratores Pontificis manus inter Sacra de more laverunt. Oliverio Caracciolo huic nomen erat. Peractis Sacris, ostensa Salvatoris nostri Facies est & adorata; inde itum est ad Pulpitum benedictionis, & exspectanti Plebi benedictum, ac plenaria concessa peccatorum remissio; non prius autem sacra vestis deposita est, quàm cœrimonia omnis consummata. Sequenti post Resurrectionem die ventum est etiam ex more ad rem Divinam, quæ acta est in Petri Basilica, Pontifice & Cardinalibus præsentibus. Sacris operatus est Cardinalis Tusculanus, quem propter priorem tituli Sanctæ Mariæ in Porticu vulgo appellamus. Nomen ei est Baptista, cognomen Zeno, patriâ Venetus, nobili, ut dixi, Zenorum familiâ genitus, sororis Pauli Pontificis filius, quæ Romæ anno superiore defuncta est, anno ..... Pontificis avunculi ad Cardinalatum ex Protonotario assumtus, facie, gestu, & incessu Paulum referens. Vir est naturæ duriusculæ; acerba non tam cum alienis, quàm cum domesticis conversatio; difficiles mores, & domus disciplina nimis austera; literaturæ mediocris; culta ei est & ornata familia; suppellex splendida, & vestis proprii usus dives atque magnifica; vasa argentea non minus gravia, quàm nitida. Annos circiter ..... natus est, Ecclesiæ Vicentinæ Præfectus, & in Petri Basilica Archipresbyter. Ædes Archipresbyteratus inhabitat supra gradus Basilicæ sitas, quas, regnante Paulo, Ricardus Cardinalis Constantiensis à fundamentis pæne instauraverat, quibus absolutis occumbens, parvo admodum tempore illis frui potuit. Tertia Paschatis die, Divina res de more solemniter acta est in eadem Apostoli Petri Basilica. Sacris operatus fuit Cardinalis Melphitensis. Non exivit Pontifex. Patres tamen interfuere. Evangelistæ Marci festivitas, quæ immediate post Paschale triduum accidit, post Octavam translata est. Sabbato, quod in Albis nuncupamus (evenit autem octavâ & vigesimâ mensis Aprilis) de more Divina res acta est in Aula Pontificiæ. Sacris operatus est Bellicensis Antistes, Monachus Allobrogensis, nobili admodum familiâ natus. Exivit Pontifex, & Dei Agnos non benedixit, ut credebant nonnulli. Ad ultimum diem Aprilis, abierunt Oratores Caroli Andegavensis, quos supra ad Pontificem venisse monstravimus. Qui privatâ amicitiâ eis jungebantur, usque ad Portam illos comitati sunt.

Calendis Maji, quæ die Martis evenerunt, quo celebratur solemnitas Beatorum Philippi & Jacobi, profectus est Pontifex cum Patribus & Prælatis, ad Basilicam Sanctorum Apostolorum, cujus Ædes inhabitat Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, nepos Pontificis. Divina res ibi est acta, solemniter adstante Pontifice & Patribus. Sacris est operatus Johannes Ceretanus Interamnensis, Nucerinus Antistes; quibus absolutis in conjunctas ædes se recepit Pontifex, atque ibi cum aliquot ex Patribus pransus est. Oratores nonnulli & Palatini Præsules fere omnes etiam honorifice & opipare sunt recepti. Sumto prandio quievit aliquantulum Pontifex, ac paulo post ex Porticu, quæ in Basilicam despicit, Vesperis interfuit, quibus finitis, comitantibus Patribus, in Vaticanum reversus est. Sequenti die, in quem translatam fuisse Beati Marci celebritatem dixi, ad ejus Ædem Pontifex cum Patribus est profectus. Divina res ibi solemniter acta est, cui fuit operatus Leonellus Vincentius Præsul Arbensis, vir modestiâ & doctrinâ insignis. Peractis Sacris, supplicatione totius Romani Cleri in sacra veste constituti, Sanctorumque Reliquias præferentis, de more annuo ante majus Altare, & Pontificem circumducta, ipse Pontifex in conjunctas ædes se recepit,

quas Paulus Pontifex à fundamentis magnifice conſtruxerat, ibique à Cardinali Aquilegienſi prandio honorifice admodum & laute exceptus eſt, ſecumque nonnulli ex Patribus manſere. Fuit ibi uſque ad veſperam, deinde in Pontificiam, ut pridie, comitantibus Patribus, eſt reverſus. Sabbato hoc eſt ad quintam diem, religionis gratiâ profectus eſt Pontifex ad Ædem Virginis, quam de Populo dicimus. Ad XV. Maji receſſerunt Oratores Regis Gallorum, & cum his Agathenſis Antiſtes Jacobus Minutolus Lucenſis. Mandatum eis à Rege eſt, ut Venetias proficiſcantur ad perſuadendum illi Senatui, ut & ipſi convenire velint pro pace Italiæ, ac probare, quæ nuper decreta ſunt Romæ inter Pontificem, & Oratores Fœderis ſocialis. Oratorum ultimus Raymundus Peraudi in Curia reſtitit, quem privata magis quàm publica tenuerunt. Singulis Maji menſis diebus Dominicis concurſus frequens admodum eſt ad Ædem Beati Sebaſtiani Martyris, quæ viâ Appiâ ſita à Porta nominis ejus circiter mille paſſibus diſtat, in religione, & veneratione maxima apud omnes eſt. Martyri Dei, qui ſe pie commendat, à peſtilentia tutum ſe fore ſperat & credit; ideoque frequenter quaque Dominica die à quocumque gradu & ſexu itur illuc. Pium ſpectaculum eſt, omnis ætatis & ſexus multitudini obviare, quam vix capere via poteſt. Sunt qui ob religionem cereos miræ magnitudinis offerant, qui argenteos Calices, qui cerea & argentea membra manibus portent. Calones, pistores, piſtores, vinarios, collegialiter cantantes totâ viâ obvios habes. Vigiliâ Aſcenſionis in Cœlum, quæ die penultimo Maji eſt celebrata, ivere Patres ad Eccleſiam Apoſtoli Petri. Orationi præfuit Georgius tituli Sanctorum Petri & Marcellini, Cardinalis Ulisbonenſis. Pontifex chiragrâ laborans non exivit. Eodem die receſſit Catharina Marzana regia neptis profectura Neapolim. Viduam relictam obitu Antonii nepotis Pontificis ſupra oſtendimus. Oliverius Caracciolus eam deduxit. Aſcenſionis die, qui fuit ultimus Maji, itum eſt à Patribus ad Divina in eamdem Petri Baſilicam. Ulisbonenſis, qui veſpertinæ Orationi præfuerat, Sacris eſt operatus. Pontifex in cubiculo ſe continuit, ideoque Plebi benedictionem exſpectanti minime dedit, prout conſuevere ſemper ea celebritate Summi Pontifices. Quia verò plures ea de cauſſa ad Urbem venerant, pia ſpe fraudatos ſe eſſe cernentes, maledictis & ſecretis murmurationibus Pontificem ſunt proſequuti. Circumſtantibus ad aram Patribus intra rei divinæ ſolemnia nuntiatur, Arcem Imolæ, quæ pridie Comiti Hieronymo erepta dicebatur, ſuis jam reſtitutam eſſe, ac nihil jam ea in re mali eſſe. Eo nuntio lætari omnes viſi ſunt tam Patres, quàm Proceres Comitis gratiâ. Ejus rei motus ita ſe habuit. Troilus Anconitanus, Britanno Præfecto Arcis infenſus, amicitiam ſimulans, in Arcem, ut amicus receptus, Præfectum obtruncat. Mota ea novitate Civitas eſt, & noctem totam, quæ ſequuta eſt, fuit in armis. Aderat ſortè Johannes Franciſcus Tolentinas Hieronymi Vicarius; is prudentiâ ſuâ cuncta ſedavit, & Arce in poteſtatem recuperata, ex ordine Hieronymo cuncta per alium nuntium patefecit, quo mirum in modum recreatus, Patres ad Divina conſiſtentes ſuæ lætitiæ participes eſſe voluit. Ipſe verò priore nuntio conſternatus noctem præcedentem inſomnis

A egerat, & maximis anguſtiis animum verſaverat. Deo actæ ſunt gratiæ, quod novum incendium, quod ſuſcitatum eo tumultu videbatur, ſtatim extinctum eſt. Obitus magni Turcorum Regis Venetorum literis nuntiatus eſt paulo ante Solis ortum diei Sabbati, qui ſecundus fuit Junii menſis. Erant literæ Veneti Senatus ad Pontificem, & eorum Oratorem Zachariam Barbarum datæ ad XXIX. Maji menſis. Scribebat autem Senatus pluribus ad Oratorem, exemplumque literarum addiderat, quas à Nicolao Cauco è Conſtantinopoli acceperat, qui apud Turcum munere legationis fungebatur. Summa hæc erat, Regem obiiſſe tertia die menſis Maji duabus ferme horis ante Solis occaſum, quum prope Conſtantinopolim eſſet in caſtris. Sequenti die corpus ejus in Civitatem ſecreto delatum, ac nihilominus, ut primum mors eſſet vulgata, tumultuatum fuiſſe, & ſexaginta ferme homines majoris apud Regem auctoritatis in eo tumultu trucidatos, inter quos Baſsà primarius fuerat, quum ſecundus admodum fœde pulſatus fuiſſet. Multorum inſuper Magnatum domos direptas; Judæis autem hominibus, qui ibidem negotiabantur, bona omnia abſque aliquo diſcrimine erepta fuiſſe. Tumultum tamen non multo poſt ſedatum auctoritate Iſacii cujuſdam, viri ſapientiſſimi, ætate & gravitate admodum venerandi, qui tempore patris defuncti Regis primus C Baſſarum & ipſe fuerat, ex eoque tempore auctoritatem & gratiam apud omnes ſibi ſervaverat. Ejuſdem opera Janizeros, quorum vigor & virtus inter Turchos homines emineret, conſenſiſſe in majorem natu Regis filium, qui tunc, eo quod patri minoris fratris æmulatione eſſet infenſus, apud Trapezuntium agebat. Ne autem natu minor, cujus favor & potentia magna erat, interim Regnum invaderet, voluiſſe eos infantem filium pro patre imperare, donec ille Conſtantinopolim reverſus eſſet, ad quem accerſendum nuntii illico miſſi fuerant. Felici hoc nuntio tota Romana Civitas & Curia lætata eſt; ac quamvis triduo ante ejuſmodi rumor per Urbem percrebuiſſet, D tamen nulla prius fides dictis habita, quàm Venetorum plumbatis literis nuntiaretur. Eodem die profectus eſt Pontifex cum Patribus & Proceribus Curiæ ad Ædem Virginis Popularis, ubi ſolemniter Veſperæ celebratæ fuere. Quibus ipſe Pontifex præeſſe voluit, & Plebi de more benedixit. Abſoluta oratione Veſpertina admodum lætus in Vaticanum reverſus eſt viâ Flaminiâ, & Latâ, ad Minervæ Ædem divertens, inde Vallenſi in Campum Floræ, & recta Mercatoria ad Adriani Pontem pervenit, & in Pontificiam, læte omnibus acclamantibus, rediit. In triduum ſupplicatio fuit indicta tam Patribus & Præſulibus Curiæ, quàm univerſo Romano Clero. Donatus eſt E eodem die ob felicem nuntium Orator Venetus albo equo Pontificio, freno, phaleris, & ſtrato ſericeis, auro argentoque admodum locupletibus. Ejuſmodi equum *Accineam* appellamus; ex his autem erat, qui ad pompam ſeſſore vacui, phaleris, & ſtratis inſignes, ante Pontificem gradiuntur. Sed Orator lege patriæ Legationem Venetiis renuntiaturus, donatum equum Magiſtratui offeret, tamquam ad Fiſcum ſpectantem. Sequentibus tribus diebus ad continuandam lætitiam ex obitu publici hoſtis conceptam, & ad agendas gratias Deo, acta Divina res eſt; & in Baſilicam Petri prius, tamen in ſupplicationem, eſt itum

tam

Digitized by Google

tàm à Pontifice quàm à Patribus & Præſulibus & Sacerdotibus reliquis, ac Curiæ Proceribus, ab area Templi; & per Viam ſacram reditum, quæ nuper latere Xiſti beneficio ſtrata fuerat, Oratoribus, & Primatibus umbraculum ſemper ſupra Pontificem deferentibus. Sacris operati Patres fuere; prima die Dominicus Sancti Clementis, ſecunda P. Foſcarus Sancti Nicolai inter Imagines, tertia Johannes Baptiſta Sanctæ Cæciliæ Cardinales. Quolibet autem die tam ſupplicationi, quam Sacris interfuit Pontifex. Tota Urbe, ineuntibus tenebris, ignes excitati ſunt, præcipue in locis editioribus; Campanæ quoque frequentiori tintinnabulo ad lætitiam pulſatæ; & à Mole Adriani non modo tubarum & fiſtularum ſonus, ſed Bombardarum & Sclopulorum crepitus dies & noctes ſine intermiſſione uſque ad ſatietatem ſunt auditi. Florentiæ per hos dies viri tres Florentini non ignobiles ſupplicio capitali affecti ſunt, eo quod in vitam Laurentii Medicis conſpiraſſe dicti ſunt. Ii verò fuere Antonius Baldutius, Amoroſus Baldovinettus, & Freſcobaldus. De primo ea tamen cauſſa ſupplicium ſumtum, quod indictam ſibi à fratre conjurationem non patefeciſſet, quum illum tamen à perpetrando facinore revocare conaretur. Sed frater quum jam vulgatum conſilium comperiſſet, fuga ſibi ſalutem paravit, Antonio fratre innocente, ut dixi, ad ſupplicium relicto. Ad quintam Junii, & diem Martis, ingreſſi ſunt Urbem Oratores Maximiliani Ducis Burgundiæ tres numero, quorum princeps erat . . . . . Septenſis Epiſcopus, patriâ Patavinus; reliqui ſortis ſecularis & equeſtris ordinis viri. Cardinalium familiæ eis obviam iere uſque ad Populi Portam, & deducti domum honorifice fuerunt. Cauſſa eorum adventus mihi adhuc eſt incognita. In Vigilia Pentecoſtes, quæ evenit nona menſis ejuſdem, veſpertina Oratio celebrata eſt in beati Petri Baſilica, cui Pontifex cum Patribus de more interfuit, illique initium dedit & finem, ac Populo benedixit. Hoc die Cardinalibus & Præſulibus, ceteriſque Prælatis, mos eſt mutare Capparum duplicia; etenim quemadmodum à celebritate Sanctorum omnium uſque ad hunc diem pellibus hermillinis utuntur, ita ex his Veſperis ad eamdem Sanctorum Omnium Vigiliam ſericeis duplicibus uti conſueverunt. Eumdem quoque morem inferioris ordinis viri imitari conantur. Orator quidam Mediolanenſium hodie Urbem ingreditur, & ceteris, qui ſunt Romæ, adjungitur. Privati nonnulli ei obviam ierunt. Salvus Siculus, celebris Theologiæ Profeſſor, qui plures annos ſacri Apoſtolici Palatii Magiſter fuerat, & in Ordine ſuo Prædicatorum magnæ auctoritatis & gratiæ; eodem die in generali Religioſorum ſui Ordinis Concilio, quod Romæ apud Minervam eſt celebratum, conſenſu omnium Generalis deſignatur: quæ apud eos ſumma eſt dignitas in omni Orbe Chriſtiano. Vacabat tunc ea dignitas obitu Leonardi Manſueti Peruſini, viri integerrimi & ſubtiliſſimi Theologi, qui paulo ante Romæ diem obierat. Die ſequenti, qui eſt Pentecoſtes, & Spiritus Sancti eſt dictus, Divina res in eadem Baſilica eſt acta. Pontifex & Patres interfuere; Reverendiſſimus Pater Marcus Prænestinus Epiſcopus, Cardinalis Sancti Marci vulgo nuncupatus, Sacris operatus fuit. Orationem habuit Guillermus de Quercu natione Britannus, & Principis ſui Orator ad Pontificem ex Carmelitarum Ordine. Oratio nec inepta, nec quamvis ab externo, barbare pronuntiata, nec etiam à celebritate aliena, adeo ut paſſim commendaretur. Sacrorum autem initio cum ſeſſum irent Regum & Principum Oratores, ortâ inter Britannum & Venetum de dignori loco diſſenſione, Pontifex Britanno ad ſe accerſito, illum ad ſiniſtram Throni ſui ſedere juſſit, eoque modo ſedata tunc diſſenſio fuit. Sacris abſolutis, Venetus Orator pretioſâ gemmâ à Pontifice donatus eſt, quum paulo ante etiam auratam veſtem dono accepiſſet; brevi enim, abſoluto Legationis ſuæ munere, ad ſuos rediturus erat. Propterea quum Pontifex beneficentiæ, & liberalitatis ſuæ monumenta ſecum deferre voluit. Vocavitque adhuc ſedens Florentinorum Oratorem Guidantonium Veſputium, ſibique in Patrum & Prælatorum conſpectu Plenariæ Indulgentiæ Diplomata tradidit pro Baſilica Sanctæ Reparatæ Florentinæ conceſſa. Quæ quidem grata Oratori fuere, & gratiora Florentinis futura creditum eſt. His peractis, e Baſilica receſſum, & Pontifex in ſuperiora Pontificiæ reverſus eſt. Patrum quiſque, in Porticu dimiſſo Pontifice, ad proprias ædes ſe contulit. Sed dum Divina res agebatur, longiſſimus Religioſorum Ordo, qui pridie in publico Concilio Generalem Prædicatorum elegerant, in ſupplicationem procedens, inter majorem Baſilicæ aram, & ſedentem Pontificem, tranſitum fecit. Bini gradiebantur, genibus ſemper in conſpectu Pontificis procidentes. Fuerunt autem, qui in præſentem ſupplicationem ſunt viſi, circiter ſexaginta ſupra quadringentos. Secundo die Pentecoſtes Divina res acta eſt in Ædc Xenodochii Sancti Spiritus, quod in Saxia dicitur. Pontifex, Patres, & Præſules in veſte ſacra conſtituti, ex Pontificia ſecus valvas Baſilicæ Petri uſque ad præfatam Ædem Sancti Spiritus in ſupplicationem iere, ac Sanctorum nonnullæ Reliquiæ reverenter ab eiſdem delatæ ſunt. In ea ſolemnitate Dominicus Cardinalis Sancti Clementis Sacris operatus eſt; quibus peractis, quiſque rediit ad propria. Tertio præfatæ ſolemnitatis, nec Pontifex nec Patres Sacris intervenere, eo quod ordinarie celebrata non ſunt.

Decima menſis ingreſſus eſt Urbem Venetorum Orator alius, Franciſcus Diedo, vir patricius & Jureconſultus egregius, ac magnæ apud ſuos auctoritatis & nominis. Pluribus legationibus functum eum dicunt pro Republica ſua tam apud externos quàm Italos. Romæ tamen ante hunc diem non fuerat. A Hieronymo Comite, & à Cardinalium familiis ei obviam itum eſt. Ad XIII. diem Junii, quo celebratur ſolemnitas Antonii Patavini, iere Patres ad rem Divinam in Baſilicam Apoſtoli Petri. Ea quidem acta eſt in Sacello Confeſſori dicato, & à Xiſto à fundamentis erecto. Eodem quoque die profectus eſt Pontifex religionis cauſsâ ad Ædem Capitolii, quam Coeli Aram vocamus. Orator Venetus, quem paulo ante ad Urbem veniſſe notavimus; auditus eſt primùm à Pontifice XIII. Menſis. Euntem in Curiam Venetorum Præſulum ordo longiſſimus comitabatur. Eodem die Andreas Archiepiſcopus Crajanenſis in Adriani Molem eſt truſus. Cauſam afferunt, quod nonnulla temere tam de Pontifice quàm de nonnullis, quorum gratia & auctoritas maxima eſt apud Pontificem, loquutus eſſet. Fuerat hic trien-

nio continuo Romanorum Imperatoris Friderici Legatus ; ſed muneris depoſiti accepto nuntio , illico in carcerem eſt conjectus ; tamen poſt aliquot dies , Cardinale Sancti Angeli deprecante, libertati eſt redditus, ac paulo poſt indignato nimium animo in Germaniam regreſſus eſt. Profeſto die Sabbati, quod Trinitatis dicitur ad XVI. iere Patres ad Veſperas, quibus Pontifex interfuit, & præfuit. In craſtinum quoque in Baſilica Petri Divinares acta eſt, cui ut Veſperis interfuit Pontifex; & Cardinalis Melphitenſis operatus eſt Sacris. Oratio non eſt habita, eo quod cui fuerat demandata, nuſquam comparuit; etenim paulo ante Marcus Neapolitanus ſacri Apoſtolici Palatii Magiſter, ad quem ea cura primum pertinet, Magiſtratum iniens, nondum id onus cuiquam injunxerat. Profeſto die Corporis Chriſti, quod ad XX. Junii evenit, itum eſt à Pontifice & Patribus ad Veſpertinam orationem in Petri Apoſtoli Baſilicam, cui ipſe Pontifex initium dedit & finem. Die ſequenti ſacræ ſolemnitatis ejuſdem, ventum eſt etiam ad rem Divinam in Ædem Petri; prius tamen itum eſt in ſupplicationem de more tam à Pontifice & Patribus quàm Præſulibus & Prælatis, & reliquis Ordinibus Curiæ ab ipſa Pontificia uſque ad Molem Adriani, ubi ad ſiniſtram divertimus, & Viâ Sacrâ in Baſilicam reverſi ſumus, frondibus, floribus, & auleis, quacumque tranſeundum erat, diſperſis atque diſpoſitis. Altaria etiam pleraque erecta in ejuſmodi celebritate, quæ ubique terrarum Chriſtiani nominis fieri conſuevit. Pontifex ſellâ ſedens purpureâ, humeris cubiculariorum, & anteambulorum ſuorum delatus, ſub umbraculo manibus propriis Corpus Dominicum detulit, & in majorem Templi Aram ſtatuit. Sacris ejus diei operatus eſt Johannes Sanctæ Fraxedis Cardinalis Novarienſis. Pontifex ad Ædem Beatæ Mariæ Virginis Popularis quolibet fere Sabbato religionis cauſsâ proficiſcitur, quum ſerenus dies eſt, & valetudine non impeditur; ideoque tam frequentem profectionem omittendam puto, niſi novum aut inſolitum aliquid occurreret, prout hodie XXIII. Junii menſis, quo illuc eſt profectus, novi nil evenit. Mane enim Sole nondum caleſcente proficiſcens, veneratis aris, pranſum in Pontificiam eſt reverſus, Patribus uſque ad Pontem Adriani illum comitantibus. Viâ Latâ & Vallenſi per Floræ Campum rectâ Mercatoriâ iter illi fuit. Ad Veſperas vigiliæ Johannis Baptiſtæ non conveniunt Patres de more ; ſed extra ordinem tam Veſpertinæ Orationi quàm Miſſarum ſolemnibus plures in Lateranum ad ejus Baſilicam religionis cauſsâ proficiſcuntur; ita præſenti celebritate ſervatum eſt, & Johannes Ceretanus Nucerinus Antiſtes Veſperis præfuit, & Matutinis Sacris eſt operatus. Ad diem XXVI. Junii, ingreſſus eſt Urbem Matthiæ Hungarorum Regis Orator, nomine Johannes, Præpoſitus . . . . . qui paulo poſt ad Epiſcopatum . . . . . promotus fuit, vacantem per obitum Balthaſſaris Piſcienſis amiciſſimi mei. Familiæ Patrum nullæ præter unius Aragonenſis ei obviam ierunt. Sacra Vigiliæ & celebritatis Apoſtolorum Petri & Pauli celebrata fuere in ipſius Petri Baſilica. Patres & Pontifex interfuere ; ipſe Pontifex Orationi Veſpertinæ præfuit & Matutinis Sacris eſt operatus. Orator Florentinorum lavit manus Pontificis ſacrorum initio; Venetus medio; Senator Urbis ad finem. Patres & Antiſtites in veſte ſacra & mitra ; inferiores verò Prælati in albis, à Pontificis cubiculo in Baſilicam cum Pontifice gradatim ſuo quiſque loco profecti ſunt. Miniſtrarunt Pontifici operanti Johannes Cardinalis Columna, & Ugo Benetius, & unus Diaconus; aſtitit Rodericus Vicecancellarius Portuenſis Epiſcopus, eo quod Rotomagenſis Oſtienſis Epiſcopus minus eſſet idoneus propter ſenium, qui nihilominus & in Veſperis & Miſſarum ſolemnibus interfuit. Ad ultimam menſis Junii, quæ fuit dies Sabbati, & in qua Commemoratio Apoſtoli Petri celebratur, quum nuntiatum jam eſſet, claſſem per Tiberim adventare, movit ſe Pontifex ſub ortum Solis ex Vaticano, Patribus aliquibus comitantibus, & ad ejuſdem Apoſtoli Baſilicam eſt profectus. Divina res ibi parata erat, cui Sacris operatus fuit ampliſſimus Pater Auſias tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalis Montis Regalis, natione Hiſpanus, patriâ Valentinus, à Xiſto primo Pontificatus ſui Anno ad Cardinalatum aſſumtus, qui tunc Romæ Vicecamerariatum agebat; Vir quinquagenarius jam, & ſacrarum Literarum peritus, ac Pontificii Juris fidus Interpres ; boni & recti pater conſilii ; qui & apud Germanos biennio proximo ſecunda fama Legatione functus eſt. Peracta re Divina, benedixit Pontifex ex cæremonialibus Libris Vexillis duobus, quæ eodem die ſolemni pompa data fuere Cardinali Genuenſi Legato claſſis, ut infra patebit. Vexillis igitur benedictis, recepit ſe Pontifex in Cœnobii cellulas, quæ ad prandium & ad quietem Meridianam parari ſibi & ſuis antea juſſerat. Idemtidem fecere Patres fere omnes, Palatini quoque Proceres & Oratores, qui celebritati interfuere. Cardinales duo Legati Genuenſis & Sabellus, in ea claſſe vehebantur. Ille, qui claſſis Imperator erat iturus; hic, qui claſſem paraverat apud Genuam, Romæ manſurus. Sumta poſt prandium quiete, quum jam veſpertina inſtaret hora, deſcendit Pontifex in Ædem cum Patribus in Senatum publicum, quem vocari ad id ſolùm juſſerat, ut in eo de more Legati reciperentur. Præmiſerat Pontifex in Ædem deſcendens Præſules nonnullos ad vicinum Tiberim, qui honoris cauſsâ à triremibus, quæ ibi ſubſtiterant, ut in Senatum Legatos deducerent. Accedebat, quod tunc primum Genuenſis poſt adeptum Cardinalatum Senatum intraturus erat. Exſpectavit Pontifex otioſus horam ferme unam, quouſque Legati à claſſe deducti eſſent, quæ mora tam magna abſque negotio aliquo in ſilentio tota conſumta eſt, à nonnullis quidem reprehenſa dicentibus, vel debuiſſe paratos eſſe Advocatos Senatorios ad referendas de more cauſſas, vel tam cito Pontificem in Senatum deſcendere minime debuiſſe. Tamdem venientes Legati, ambo ad oſculum pedis, manus & oris admiſſi fuere ; inde Sabello ad locum ſuum eunte, Genuenſis, qui tunc primùm recipiebatur, veneratis Patribus ſigillatim, ipſe in ſuo ſubſellio collocatur. Tunc Pontifex ad illum ſe convertens: *Venerabilis Frater*, inquit, *ſuperioribus menſibus benignitate Apoſtolicæ Sedis, & meritis tuis exigentibus, quum ad rectum Apoſtolicæ Sedi eſſe arbitraremur, te tituli Sanctæ Anaſtaſiæ Presbyterum Cardinalem creavimus, ſperantes, dignitatem hanc tuam Orthodoxæ Fidei & Sedi Apoſtolicæ profuturam, & quæ tibi pro illius honore & commodo eſſent injungenda, promto & indefeſſo animo eſſes impleturus, etiam cum capitis tui certo*

Digitized by Google

certo discrimine. Evenit, ut paulo ante hostes Fidei nostræ Turci in Italiam trajicientes Idruntum Civitatem Apuliæ occuparint, quod sine suspiriis referre vix possumus; nunc etiam occupant; eam ob rem nos parari classem decrevimus, atque illi hominem præficere cupientes, qui sanctum opus consilio regere, auctoritate sustinere, labore quoque exsequi sciret & posset, occurristi tu oculis mentis nostræ, qui inter ceteros tui Ordinis duram hanc, nec minus necessariam provinciam obedienter subiturus esses. Itaque de consilio & assensu hujus Sacri Apostolici Senatus Legatum te classis Apostolicæ designavimus. Venisti nunc Deo duce; paratam classem tecum adduxisti, fidelibus & strenuis viris instructam; eam ante oculos habemus; Præfectos uniuscujusque triremis & intuemur & noscimus, spem eam victoriæ præferentes, quam & nos auspicati animo sumus, & tu ipse ante alios tanta vultus alacritate polliceris. Hortamur te, Frater & Fili, ita te habeas, ut ex Legatione hac tua ii proveniant fructus, quos jam mente concepimus, & procul dubio, Domino adjuvante, speramus. Dominum nostrum Jesum Christum Redemtorem nostrum, cujus caussam regis, propitium tibi esse confide. Nos & Senatum hunc nostrum, nullo vel loco vel tempore, defuturos tibi persuadeas. Magno animo rem aggredere, & in Domino Deo nostro spem pone, qui non sinet Petri naviculam mergi; nec fideliter in vinea sua operantes vel deseret vel mercede fraudabit. Accede ad nos, fili; cape anulum dignitatis, & de manibus nostris initiata ad sanctum opus Vexilla promtò animo & obviis manibus apprehende; his præcedentibus, hostes contere; disperde omnes ante faciem tuam, & ut stipulam siccam persequere, ac victoriam ad Sanctam Sedem hanc reporta. Manet te certe de crudeli & impio hoste insignis triumphus. His dictis, anulo quoque & Vexillis Legato traditis, Præfectis omnibus ad osculum pedis admissis, Cruce quoque in eorum pectore fixa, dimissus Senatus est. Pontifex cum Patribus & frequentibus Prælatis, & cujuscumque dignitatis & ordinis hominibus, qui visendi studio frequentes venerant, ad vicinum Sanctæ Basilicæ Flumen, ubi ad ripam triremes consistebant, devenit elatus lecticariorum humeris. Triremes singulas ex ipso litore perlustravit; singulis quoque benedixit. Pulcrum fuit, videre in illis armatos homines ad aspectum Pontificis gestientes, arma tractantes, & ad veræ pugnæ speciem enses, & tela vibrantes, scuta quatientes, & toto corpore ut in acie operantes. Tollebantur clamores ad Cœlum; dissonæ voces nomen Pontificis invocantes ubique audiebantur; bombardarum cujusque generis crepitus ita frequentes emittebantur, ut Cœlum Terræ misceri videretur. Mitto tibias, tubas, & tympana, & mille ejus generis instrumenta, quæ cum summa lætitia & videre & audire operæ pretium fuit, cujusmodi spectaculum lætum, & multo tempore non visum fuisse, à pluribus dictum est. Huic tamen prope simile fuisse dicunt nonnulli illud Anconæ triduo ante obitum Pontificis Pii, cum classis Veneta cum Duce & Senatu, in portum Civitatis delata est, cujus quoque ego spectator fui, serviens tunc ab Epistolis amplissimo Patri Jacobo Cardinali Papiensi, qui eodem die una cum quatuor aliis Patribus triremi Pontificia vectus classi Venetæ jussu Pontificis honoris caussâ processit obviam. Sed ut revertar ad nostra, Pontifex ipse lætus admodum, Patribus comitantibus, in Urbem rediit, & occidente sole in Pontificiam suam Vaticani reversus est. Primâ luce ejusdem diei, abierat Roma Hieronymus Comes cum Conjuge & familia sua omni, ac suppellectili admodum pretiosa, quum quatriduo ante liberos suos atque ancillas, Pædagogum & Medicum præmisisset, iturus in dominatum suum Imolensem, & Foroliviensem, quem sibi præsenti superioribus annis Apostolica Sedes in Vaticano dederat, sperans nullo tempore à fide & obedientia ejus recessurum. Miratos eo die plerosque intelligo, quod superiori spectaculo interesse noluerint jactura diei unius, & præcipue quum operâ, curâ, & ut ita dicam, auspiciis suis, classis instructa & armata fuisset. Afferunt nonnulli caussam; quod ea dies & hora discessus, læta & salutaris ei à Planetariis fuisset ostensa, ejusque occasionem illum nullo modo omittere voluisse. Credunt alii, eam diem prævisam, & destinatam ante aliquot dies, & in id tempus ita omnia ad discessum parata, ut si immorari voluisset, turbarum & confusionum plena domus fuisset; itaque voluisse illum potiùs ordinatum iter ingredi quàm confusum, unde viæ reliquum confusionem absque dubio attulisset. Neque defuerunt, qui falso prædicarent Pontificis obitum vel Julio mense vel Augusto eventurum, ac nolle eum Romæ esse obitus tempore. Sed veritas apud eum est, qui dimoveri loco non potest. Id autem affirmari intelligo, pretiosiora quæque secum asportasse, vel cum liberis præmisisse. Uxoris ipsius..... comes ei itineris esse voluit. Sequenti die, qui Dominicus fuit, & primus Julii mensis, vocati sunt Patres in Senatum extra ordinem, & meridiano tempore. In eo Cardinali Genuensi dicendæ sententiæ data potestas, quod ipsi aperire os dicunt. Triremium quoque Præfectis jusjurandum fidelitatis delatum est. Ad quartam diem ejusdem mensis, quæ die Mercurii evenit, Senatus coactus est ea tantùm de caussa, ut de more Classis Legatus deduceretur. Patres itaque omnes illum sunt prosequuti usque ad Scholam Græcam Ostiensi Portæ propinquam, quo quidem in loco vale ab omnibus illi est dictum, & rogatus Deus, ut sibi & classi felicia omnia evenirent. Nocte, quæ sequuta est, solvit à ripa Tiberis classis, & secundo flumini se commisit. Lucas Grimaldus Genuensium Orator die ..... Julii Urbem ingressus est; Legationis caussa mihi ignota est. Languor Pontificis à superiori Senatu cœptus est, vel potius à triremium spectaculo. Classis undecima die mensis Julii Neapolim applicuit, ubi Legatus honorifice admodum exceptus fuit, quippe cui obviam processit Regina comitata à Ducis Calabriæ uxore Hyppolita, & liberis, & nobilium feminarum caterva, munera etiam oblata classi. Sequenti die incœptam navigationem Idruntum versùs prosequuta est. Pontifex meliuscule se habet. Ab octava enim die mensis ad hunc, qui quintusdecimus nuntiatur, sine febre est; tres tamen parosismos est passus. Ambire Pontificatum aliqui Patrum jam cœperant, ut vulgo ferebatur; tamque vehemens nonnullorum studium ea in re conspectum est, ut ad Pontificis quoque aures fama devenerit. Subsequente tamen valetudine, evanuere cogitationes illorum.

Julius mensis, qui nunc agitur, ut æstuat magnis calоribus, ita friget rebus agendis. Romæ nil agitur, & aliunde novi nihil affertur. Silent omnia. A die tertio mensis Senatus coactus non est; sacra Pontificia nulla celle-

lebrata ; conventus Patrum nulli habiti . Pontifex in ſua Pontificia ſe continet , valetudini recuperandæ ſolùm impendens operam . Oratores nulli audiuntur; Patrum nonnulli in Curiam euntes , inauditi recedentes , in vicinos ſeceſſus vitandi æſtus causâ abiere, quum conſuetum ſit, niſi petitâ veniâ & benedictione acceptâ , recedere . Anniverſarium Pauli Secundi Pontificis maximi celebratum eſt ad XXVII. Julii , Veneris die in Sacrario Xiſti Pontificis intra ſepta Baſilicæ Apoſtolorum Principis Petri. Patres de more interfuere , Pontifex minime . Georgius Urbevetanus Antiſtes Sacris eſt operatus . Conſuetum eſt, ut vivens Pontifex quotannis Anniverſarium ſui Prædeceſſoris ſemper celebret. Tamdiu igitur defuncti Pontificis ſpiritus ſuffragia ſentit , quamdiu Succeſſor ipſius regnat in terris . Beatiſſimus Xiſtus Pontifex poſt valetudinem recuperatam die hoc Sabbati , qui octavus & vigeſimus eſt menſis Julii , primùm exivit in publicum ; paulo enim poſt ortum Solis, comitantibus Patribus , profectus eſt ad Templum Mariæ Virginis Popularis, penſili vectus ſella , obducto pallio ſerico purpureo. Rediens ad Sacellum Virginis , quod de Virtute appellatur, divertit, cujus nunc primùm plura miracula referuntur. Depoſitus eſt à Lecticariis Pontifex, & ante aram conſtitutus, adorata Virgine, actis quoque pro reſtituta valetudine gratiis cum ſumma veneratione, genibuſque ſemper incumbens , pulvinaribus innixus , in ſellam iterum eſt ſublatus, ac Viâ Millinâ per Floræ forum , & Viâ Mercatoriâ in Vaticanum eſt reverſus , ſole nondum incaleſcente . Ad penultimum Julii , qui evenit die Lunæ , ingreſſus eſt Urbem Cardinalis Matiſconenſis Portâ Flaminiâ , nonnullis Patrum illum comitantibus, qui paulo extra Portam ei obviam honoris gratiâ iverunt. Revertebatur ex Galliis , ad quas anno ſuperiore privati negotii cauſsâ profectus erat, ut ſupra ſuo loco notatum eſt . Novitate rei & indignitate, etiam notandum hoc cenſui . Per hos dies Nurſina mulier, uxor Andreæ Nurſini viri ſtrenui, & ex primatibus Populi ſui , qui primis annis Xiſti Pontificis cuſtodiæ Palatinæ præfuerat , audiri quærebat à Pontifice , ut illi pro mariti ſalute ſupplicaret, ſecumque conquereretur de infantis filii nece , qui paulo ante ſtudio adverſæ factionis crudeliter interemtus fuerat , & maritus in exilium actus. Obviam huic datur Pelleus quidam Corinthius, Juppi Nepotis Pontificis familiaris; orabat illa hominem, ut Juppi auctoritate à Pontifice poſſet audiri . Pelleus ad feminam animum adjecit ; jubet bono animo eſſe ; ſe curaturum cum domino ſuo Juppo, ut procul dubio audiatur; veniat ad cubiculum ſecum , ubi de iis commodius loqui poſſint. Quum negaſſet illa verecunde admodum , in Divi Petri Baſilicam ſimul intrant loquentes; divertunt in cellam ſanctiſſimi Sudarii Salvatoris noſtri, quod Veronicam dicimus . Pelleus libidine cæcus , oblitus ſui ipſius , majeſtatem ſacratiſſimi loci non veritus, in mulierem manus injecit; vocem tollere illa incœpit ; comites , qui ſecum erant , accurrunt , hominem illico verberant, & locum effuſo parum ſanguinis contaminant . Veſpertina oratio propterea eo die in Baſilica dici non potuit . Die ſequenti juſſu Pontificis purgata Ædes eſt; illico tamen Pelleus accerſitis ſatellitibus raptus ad carcerem eſt, & ad Nonnæ Turrim cuſtodiæ traditus; benigne admodum ſecum eſt actum domini ſui auctoritate. Annus undecimus Pontificatus Xiſti Pontificis hodie celebratur, die ipſo ſolemnitatis Bartholomæi Apoſtoli , quo Patres omnes ad Divina in Baſilicam Petri euntes de more, Sacris interfuere . Illis autem eſt operatus ampliſſimus Pater Dominicus Cardinalis Sancti Clementis. Ineuntibus tenebris , tota Urbe ob lætitiam ignes excitati ſunt, & in æditioribus ædium & turrium Urbis faces incenſæ . Id toto triduo obſervatum . Diebus quatuor ante hanc celebritatem ego Urbe abieram , vigeſima videlicet die Auguſti Menſis iturus in patriam , & meos viſurus, qui mei videndi magno deſiderio tenebantur, & domeſtica mea, quæ propter abſentiam multorum annorum jacturam paſſa fuerant non mediocrem . Veni igitur in patriam proculdubio ab omnibus deſideratus, & exſpectatus. Ii ſoli ex concivibus & popularibus meis non ſalutaverunt, qui me & meos in Archidiaconatu offenderant , ſervantes quod vulgo uſurpatur: *Non indulgent, qui injuriam inferunt* . Volaterris igitur apud meos undecim diebus conſumtis profectus ſum ad videndas æris fodinas, quæ apud Oppidum Montis Catini quinque millibus paſſuum ab Urbe diſtantis ante aliquot annos induſtria Thomaſii Martinarii Florentini viri apprime induſtrii tunc primùm inventæ fuerant: opus certe maximum, & in Italia magni admodum æſtimandum . Piſas inde me contuli, quamvis medio itinere diem unum in Oppido Montis Floſculi apud Carolum . . . . . cariſſimum hoſpitem meum ſim immoratus . Profectus ſum à Piſana Urbe ad ejus maritimum portum Liburnenſem quindecim millibus paſſuum ab ea diſtantem, ubi vidi Turrim ante aliquot annos à Florentinis mediis fluctibus ædificatam , in eamque uſque in ſummitatem ſum intromiſſus beneficio Jacobi Venturæ, qui Liburnenſis Oppidi Præfectura fungebatur, apud quem etiam pranſus ſum : opus certe egregium , & ut à peritis intelligo , rarò in mari noſtris temporibus ejuſmodi viſum. Ea verò talis eſt. Porrigitur in altitudinem novem ſcalarum ; gradus à primo uſque ad ultimum XX. ultra CC. Habitacula ſeptem & fornicas octo; fundamentum ejus ſub aquis ulnarum non amplius novem ; tota quidem ex Liguſtico marmore quadrato; parietis latitudo ulnarum . . . . . Diſtat verò à continenti paſſus circiter quingentos . Ædificari autem eſt cœpta Anno ſalutis noſtræ MCCCCLVIII. , & paulo ante proximum biennium opus abſolutum , quamvis antemurale adhuc eodem opere fieri debeat, quod erit non minus ad ipſius munimentum quàm ſpeciem . In ea ædificanda ſexaginta aureorum millia conſumta referuntur , quamvis exceſſiſſe hanc ſummam multi affirment ; ſed veritas ea eſt, quam dico. Liburni Oppidum emerunt Florentini à Genuenſibus Anno Chriſtianæ Salutis M . . . . . pretio centum decem millium aureorum . A Liburno eodem die Piſas redii, unde poſt biduum veni Lucam, viſurus hoſpites meos Francos Forteguerræ mei germanos, & Robertum Guiniſium, cum quibus triduum totum conſumſi , honorifice , & amanter mehercule exceptus & habitus . Inde videndi ſtudio abiens, primo Bononiam & Ferrariam, poſtmodum verò Patavium profectus ſum, ubi intelligens, Hieronymum Comitem adhuc eſſe Venetiis , & more regio à Venetis honorari, volui ego quoque extremis ejus honoribus intereſſe . Itaque conducta navicula

Digitized by Google

vicula fecundo flumine Brentæ navigavi Venetias, Patavii apud mercenarium hoſpitem equis meis relictis. Sequens dies, quo appuli, Dominicus fuit, nonus quidem Septembris menſis, in quo quidem meridiano tempore Virgines nobiles Venetæ in Ducali Curia convenientes ſpectaculum præbuere clariſſimum, & omni tempore memorandum. Numerus earum erat duarum & triginta ſupra centum, ſed non ut omnes formâ præſtantes, ita gemmis, auro, & unionibus quælibet onerata. Affuit Princeps Venetorum, quem Ducem appellant, Johannes Mozenigus cum primoribus Magiſtratuum, Patritiis, & Magnatibus; affuit & tota Nobilitas, & reliqua Populi multitudo tanta, quantam non memini Romæ aliquo tempore, Jubilæo excepto. Venienti cum conjuge Hieronymo Comiti, quorum gratiâ ſpectaculum paratum fuerat, & in majorem Aulam ingredienti, aſſurrexit Princeps, & Magiſtratus, & Nobilitas omnis, per ſubſellia jam in locis editioribus ad viſendum diſpoſita. Ei obviam euntes deduxerunt manu ad parata eis ſubſellia. Medius ſedebat Princeps Ducali inſula & veſte aurea Senatoria ornatus, inter Hieronymum & uxorem; reliquæ pro dignitate Magiſtratuum ſubſequebantur. Ductæ choreæ ibi fuere, ſed propter nimiam Populi frequentiam admodum confuſæ. Tenebris vero ineuntibus, cereorum alborum vis in ſala, & aureo laqueari appenſa, ita ut, verè dicere poſſim, noctem funalia vincerent. Poſt ſaltationem ludi diverſi generis exhibiti ſunt uſque ad quartam noctis horam; inde epulum tam Principibus & Magiſtratibus, quàm reliquæ multitudini datum, non minùs abundans quàm ſplendidum, & omni genere mirifice refectum. Licitatio muliebris ornatus magni admodum pretii æſtimata, atque, ut a peritis intelligo, & qui abſque gratia ad verum loquuntur, trecentorum aureorum millium fuit. Sequenti die, qui Lunæ fuit, & decima menſis, receſſit Comes, lectis quibuſdam Nobilibus comitatus, & per averſum Brentæ amnem navigio, quod reſtibus trahebatur, eodem die Patavium venit, ubi ſequenti die . . . . . ei datum eſt, in quo quidam cognomine Sonzinus Patavii ortus, quod magis ſtrenue operam navaverit, argenteo ſerico donatus eſt. Comes nihilominus, mane diei ipſius, Divinæ rei interfuit, quæ in celeberrimo Divi Antonii Templo acta fuit, quò plerique non alia quàm ſolvendi voti cauſsâ illum acceſſiſſe opinantur. Altero die Clogiam versùs ille iter arripuit, ubi quievit ea nocte, quo in loco dimiſſis Venetis, qui honoris gratiâ illum comitabantur, ipſe in Toparchatum ſuum reverſus eſt. Ego eodem die Patavio abiens, veni Vicentiam, inde Veronam. Quum jam Urbi appropinquarem, Peſtilentiâ excluſus, ſiniſtrorſum divertens, ſequenti die Mantuam applicui; ſubſiſtens tamen ad portas, extra Civitatem ſum pranſus; prohibuerunt enim, qui ſanitati Urbis præerant, me intra Urbem immorari. Permiſſu tamen Principis Federici Urbem ingredior, & rectà, qua itur Cremonam, proficiſcor; ſed per Urbis forum tranſeuntem honeſti Viri nonnulli, inter quos Be: Angelus Protonotarii Angeli frater, ex parte Principis me invitant. Rogat ille, ut divertam in meritoriam Tabernam, quæ paulo extra Portam eſt; ibi etenim juſſu ſuo cœnam mihi eſſe paratam; rogat quoque, ne id iniquo animo feram; ita enim abſque diſcrimine omnibus fieri, etiamſi fratres Principis eſſent; primam & præcipuam apud Dominum curam eſſe de Civitatis ſuæ ſalute. Egi nuntiis & Principi gratias magnas, quas potui, & quum ſupereſſent adhuc trés diei horæ, progrediundum putavi ulterius. Perveni igitur, ineuntibus jam tenebris, ad diverſorium . . . . . prope Oppidum Mercariæ XII. paſſuum millibus diſtans à Mantua; ibi ea nocte quievi.

Mane diei ſequentis, quo Matthiæ Apoſtoli ſolemnitas celebratur, quum appropinquarem Oppidi mœnibus, compulſus ſum à Baldaſſare Suardo viro nobiliſſimo, & locupletiſſimo, è mula deſcendere. Ibi in proximo Sacello Divina res parata erat, qua aſtantibus nobis peracta, in propinquas ædes Villæ ſuæ devenimus, pranſi ſimul opipare & magnifice. Prandio ſumto hoſpiti officioſiſſimo egi ampliſſimas gratias, & cœptum iter versùs Mediolanum, quò erat eundi deſiderium, proſequor. Hic Baldaſſar Romæ me noverat annis ſuperioribus, quum eſſem ego cum Papienſi, ipſe verò cum Mantuano, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quos Pius II. ut ambos ad Cardinalatum evexerat, ita caritate conjunxerat; nec minus conjuncte ſimul domeſtica familia vixerat. Me igitur noſcens ille, quum præcedenti die Mantua fortè ambo exiremus, mecum ſemper uſque ad diverſorium, quod dixi, adequavit; & toto itinere continuo de rebus Romanæ Curiæ ſumus collocuti. Cogitaverat Baldaſſar, illico ut me novit, ſequenti die, ut fuit, tranſeuntem Mercariam me apprehendere, & eo, quod dixi, humanitatis officio ſibi devincire; nec fefellit eum conſilium. Ita enim me ſibi fecit obnoxium, ut non videam, quomodo aliquo tempore tanta obligatione me ſolvam; id certe non omittam, quin meis id debitum non relinquam ſolvendum; ego tamen illud, dum vivam, ſaltem animo recognoſcam; Cardinali autem Mantuano, & Johanni Petro Arrivabeno ejus Secretario id officium referam, quorum maxime gratiâ in me collatum eſt. Rogabo, ut illi ſignificent, me beneficentiæ ſuæ apud eos non fuiſſe immemorem, & quod præſtare potero, id indicium grati animi profectò non negligam. Igitur iter continuans, relicto ad Mercariam Suardo, vidi Platinam Oppidum agri Cremonenſis natalem locum Bartholomæi cognomine Platinæ, viri eruditiſſimi & præſtantiſſimi, mihique in primis amiciſſimi. Quo quidem die (o rem mirabilem!) Romæ ille exceſſit è vita, cujus obitu non modo Pontifex, qui propter merita excellentis virtutis ſuæ illum unice diligebat, ſed Urbs univerſa vehementer indoluit ..... (*deſiderantur heic nonnulla in Codice Eſtenſi*) Præſulem, ut erat inſtituti mei. Is autem fuit Sacramorus Ariminenſis, qui ante ſex annos ex laicali ſorte à Xiſto Pontifice, adjutore Galeatio Duce Mediolanenſium, ad Protonotariatum Sedis Apoſtolicæ aſſumtus fuerat, & paulo poſt ad Præſulatum evectus. Vir magni ingenii, & rerum publicarum in primis peritus, quippe qui annos viginti & ultra pro Mediolanenſibus Principibus, cum Regibus, Ducibus, & Poteſtatibus ſe in publicis exercuerat. Noviſſime autem pro Galeatio, &, defuncto eo, pro filio Romæ apud Pontificem Legationem agebat. Ab eo itaque amanter & honorifice ſum exceptus, ac compulſus diei reliquum ſecum conſumere; magna enim fuerat benevolentia cum Papienſi meo conjunctus, & mecum

multa

Digitized by Google

multa interiora communicans, ſibi illa communicare videbatur. Sequenti die, qui Martis fuit, quintus & vigeſimus menſis Septembris; Parma abiens, Regium primo ad prandium, inde Mutinam, antequam inclinaret Sol, deveni: ubi pæne Civitas tota in honorem Nicolai Rangoni erat erecta, qui ad proximum Dominicum diem filiam Johannis Bentivoli Bononienſis uxorem ſibi ducere deſtinaverat. Nuptiarum igitur & Ludorum apparatum voluptatis cauſsâ videntem, & non viſam alias Urbem excurrentem, me cognovit Franciſcus Molza, Gerardini Molzæ filius, cum quo in contubernio Papienſis mihi ſecum fuerat arcta conjunctio. Juvenis omni urbanitate & munificentia præditus, liberalitate jam celebris, & ante alios Provinciæ illius officioſus erga hoſpites, cogit me ire ad ædes ſuas, equis, & miniſtris meis à taberna meritoria, in quam deſcenderam, ſecum abductis, multis mecum conquerens, quod ita ſubruſtice ſecum egiſſem. Quievi ſecum reliquum diei illius, & ſequentem noctem. Oſtendit mihi horrea, & cellaria Gerardini patris ſui ita referta, ut non modo talia viderim hactenus, ſed nequaquam apud privatum hominem audierim. Mane diei ſequentis, audita Divina re, & ſumto prandio cum Gerardino, & Philippo ejus fratre, & nonnullis aliis eorum Propinquis & Amicis, quos honoris mei cauſſa evocaverant; actis quoque gratiis pro amantiſſimo hoſpitio, iter meum Lucam versùs continuavi, Philippo & Franciſco aliquantulum extra Urbem mecum adequantibus. Per Apenninum, per Alpes Sancti Pellegrini nuncupatas tranſitus fuit; pernoctavi in Villa Agri Mutinenſis, quam Saltinum appellant, quæ XX. millibus paſſuum à Mutina diſtat, ubi non tam malignitate hoſpitis quàm aſperitate loci, qui equitibus devius eſt & inſolitus, male mecum eſt actum. Surgentem ea nocte è ſtrato, in quo jacueram, & incautius me cuſtodientem, frigus invaſit; unde fluxus ventris primo, inde febricula quædam ſuborta eſt. Continuato tamen itinere, & ægritudine diſſimulata, Caſtrum Novum Agri Garfaniani ad radices Montis poſitum ſupra ripam Auſeris Fluminis, ineunte nocte, perveni, Antonio ejus Oppidi mercenario hoſpite comitatus, à quo domi ſuæ humaniter & fraterne admodum exceptus fui. Sequenti die, qui Veneris fuit, & XXVIII. ejuſdem menſis, cum anxietate non parva Lucam perveni, à Matre, & Forteguerræ fratribus mei amantiſſimis domi exceptus, fidis Roberto Guiniſio, & Johanne Græco hoſpitibus à latere meo nequaquam recedentibus. Sed ita languor adauctus erat, ut etiam quid minimum ibi in cœna, quæ opipare certe parata erat, ſtomachus non admiſerit. Jacui ea nocte, febre me admodum urgente; mane ſub ortum Solis, inſcenſa mula, inſalutatis hoſpitibus meis, qui domi non erant, è Luca receſſi. Forte fit mihi obviam Guiniſius meus; miratur tam repentinum abitum; conqueritur, tam ex improviſo eos deſeram, qui prandium jam & proximam diei illius cœnam paraverant; orat & obſecrat, abire ne velim ita valetudine languidus; ſi enim languor augeatur (quod avertat Deus) non mihi defuturum fidele ſuorum miniſterium. Egi ſibi gratias, ut potui, nil tamen capti itineris intermittens. Videns ille meum firmum abeundi propoſitum, deduxit me paſſus circiter mille extra Urbem, & monſtrato mihi itinere à viarum peritis, in Urbem rediit ipſe, & ego

A ad Pontem Eræ, quod Oppidum eſt Piſani agri, continuato gradu perveni circa meridiem. Piſis dextrorſum relictis, ibi admodum pauco cibo ſumto, horam ferme & dimidiam ſum immoratus; inde poſtmodum movens, applicui Peciolum Oppidum Piſani agri & Volaterranæ Diœceſis. Diverti in domum Antonii Mariæ Catignani Piſani Civis locupletis & nobilis, cujus nuper ſoror Johanni Baptiſtæ Falconcino Volaterrano fuerat deſponſata, quandoquidem conſobrinus meus Mercatantes, qui in eo Oppido Sacerdotium obtinebat, tunc fortè domi non erat inventus. Triduo graviter languens apud Catignanum immoratus, omni humanitatis genere ita ſum affectus, ut

B ſibi, & Matri, officioſæ in primis fœminæ omnia debeam, quæ ab homine homini præſtari poſſent. Nil eſt abeis omiſſum, quod ad meam valetudinem pertineret. Moleſtias & labores omnes ab ægrotis provenire conſuetos, ita amanter & libenti animo pertulerunt, ac ſi ex eis genitus fuiſſem. Poſt triduum Volaterras ab eo Oppido decem millibus paſſuum diſtantes lecticâ quâdam ſubſidiariâ delatus ſum viginti & quatuor ex colonis meis per vices cervicibus illam deferentibus, quos Benedictus frater meus cariſſimus ad id ſolum domo deduxerat; obſtante enim debilitate propter continuas febres eques nullo modo proficiſci potuiſſem. Ut primùm veni ad meos, egi gra-

C tias Deo, quod ſi eo tempore mihi moriendum fuiſſet, ſaltem eſſem cum iis, qui ex carne & ſanguine meo erant, quorum nulla prætermitterentur officia, tam ad recuperandam valetudinem, quàm etiam poſt mortem ad Suffragia pro ſalute animæ meæ à Salvatore noſtro poſtulandu. Sed placuit Deo tunc me ad patres noſtros non evocare. Adjutus ita à meis ſum, interveniente fideli & amanti ſtudio & opera Altobanchi Medici peritiſſimi, ut poſt quindecim dies à febre liber & mundus fuerim. Inde . . . . . operam dedi viribus recuperandis, quibus jam partim reaſſumtis ad quintum & vigeſimum Octobris diem Volaterris abiens, ad ultimum Romam perveni.

D

Copia Literarum Regis Ferdinandi ad Xiſtum de Idrunto recuperato XI. Septembris 1481. *datarum ſanctiſſimo & beatiſſimo Domino Noſtro Papæ.*

„ SAnctiſſime ac beatiſſime Pater & Domine.
„ Poſt humilem filialem commendationem
„ & pedum oſcula beatorum. Illuxit tamdem
„ dies illa, quam diutiſſime vehementiſſime-
„ que optavimus. Receptum eſt Idruntum
„ decimo menſis hujus die, ejuſque hora fere
„ tertia, & quidem ſummo cum Sanctitatis
„ veſtræ meoque honore, incredibilique utriuſ-
„ que gloria. Dediderunt enim id nobis ho-

E „ ſtes, quum jam tueri id diutius non poſſent;
„ poſſideturque jam ad Alphonſo primogenito
„ meo, hoſtibus ipſis cedentibus, recipienti-
„ buſque ſeſe in triremes, quas veriti ne quid
„ per militum noſtrorum impetum trucidatio-
„ nis acciperent, paulo ante hoc ipſo propo-
„ ſito in mare deduxerant. Gaudeo itaque
„ ego, corque adeo lætitia exuberat, ut illa
„ pæne occupatus ne ſcribere quidem ad San-
„ ctitatem Veſtram poſſim, ut par eſſet. La-
„ tius tamen ſcribam mox, etiam latiſſime,
„ remque omnem, quo geſta ſit ordine, refe-
„ ram. Lætitiarum autem harum cauſſa eſt
„ illa potiſſimum, quod eodem illo Oppido

„ re-

Digitized by Google

„ recepto Regnum meum, Italiaque, & uni-
„ verſus Orbis Chriſtianus à præſentiſſimo pe-
„ riculo videri poſſunt jam liberata, videlicet
„ veſtra unius velut Ducis, meaque velut Mi-
„ niſtri opera. Gaudendum, lætandumque
„ Veſtræ Sanctitati per inde ac mihi de ipſo
„ ſucceſſu, jure cenſeo, quod ſimul nomen
„ ſuum uno hoc beneficio reddiderit jam æter-
„ num, ſimul apud Deum immortalem gra-
„ tiam ſit conſecutura, quæ ei ſit perpetuæ,
„ & in hac & in altera illa vita voluptatis.
„ Dat. Baroli XI. Septembris 1481. Ejuſdem
„ Sanctitatis Veſtræ devotiſſimus Filius Fer-
„ dinandus Rex Siciliæ.

Urbem Romam hoc anno quum intenſiſſimi calores urgerent, & plures miro æſtu, & peſtilenti morbo deficerent, Pontifex ad evitandum periculum, nec non relaxandi animi gratiâ, ab Urbe recedere ſtatuit hac die Mercurii XII. Septembris menſis, duobus tantum Hieronymo Sancti Criſogoni, & Dominico Sancti Clementis Cardinalibus, & domeſtica familia comitatus. Roma abiens Braccianum, Virginii Urſini Oppidum, venit, viginti millibus paſſuum diſtans ab Urbe. Ibi reliquum menſis conſumſit in ædibus ipſius Virginii, quas Neapuleo pater ſuus non tam ad frugalitatem Romani proceris, quàm ad Romanorum Pontificum dignitatem ante aliquot annos conſtruxerat. Toto eo tempore Virginius rerum omnium copiam abunde ſubminiſtravit, ultro munus ampliſſimum, quod venienti Pontifici primùm obtulerat; quamvis Pontifex proprio ſumtu ſe & familiam primos duos dies aluerit, ac Cardinalibus & Prælatis, qui ſecum erant, exemplum ſuum ſequi mandaverit. Affuit etiam Coſmus Urſinus Sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis, qui etſi podagrâ impeditus, & magno agmine morborum invalidus erat, tamen gentilis ſui neceſſitate motus, ſequi & ipſe Pontificem voluit. A Bracciano igitur Calendis Octobris ſtudio videndi fodinas aluminis, opera & induſtria Johannis Caſtrenſis, ſedente Pio II. inventas, Tolfam devenit, reliquum diei illius, & noctem ſequentem ibidem immoratus. Videlicet diei illius prandium ſumtum eſt medio ferme itinere inter Montaranum Oppidum & Braccianum, quod miro & prope Regio apparatu Bartholomæus Juppus Pontificis nepos in Apoſtolorum Silva (ſic enim eam appellant) mediis buſſetis & ſilvis commodiſſime præparaverat. Voluit enim in ditione ſua honorare Pontificem, qui paulo ante Oppidum ipſum quinque aureorum millibus à Millinis redemtum, in Vicariatum ſibi Apoſtolica auctoritate conceſſerat. Hoc in loco Pontifex Juppum ipſum, & Virginium dignitate Comitum inſignivit, Montarani Juppo, Capagnani Urſino titulum tribuens. A Tolfa ergo die Martis, qui fuit ſecundus Octobris, recedens ad Civitatem Veterem profectus eſt, quò Pontificia claſſis ab Idrunti expugnatione reverſa eodem fere tempore, quo Pontifex, appulit, videlicet propter peſtilentiam juſſa Portum non ingredi. In ejus conſpectu ſub anchoris ſubſtitit; è viginti enim triremibus ſeptem tantum morbo tactæ dicebantur. Hoc in loco operæ pretium fuit audire legatum claſſis Paulum Fregoſum tituli Sanctæ Anaſtaſiæ Cardinalem Genuenſem cum triremium Præfectis, & Anellum Arochomonum Ferdinandi Regis Oratorem coram Pontifice diſputantes; ad id enim permiſerat Pontifex tantummodo eos in Portum deſcendere. Orator namque Regius orabat Pontificem, juberet Legatum cum claſſe in Apuliam redire, conquerens, quod perperam, & contra conventa egiſſet, injuſſu ſuo à bello recedens; &, ſi fas eſſet dicere, Cardinalem erraſſe, & cenſura etiam dignum putari. Monſtrabat enim, commoda multa evenire potuiſſe Chriſtianis, & incommoda hoſtibus multa, ſi ad eum uſque diem in bello manſiſſet; non eſſe eam ſpem, quam de Sede Apoſtolica & Pontifice Rex ſibi repromittebat: Pontifex, qui antea pluribus literis Legato mandaverat, ne bellum aliquo pacto deſereret, & ſi forte receſſiſſet, redire iteratis literis jubebat, gravibus pro inde tunc, & paternis verbis ad reditum in Apuliam non tantùm rogabat, ſed pie quoque hortabatur & admonebat. Adducebat Legatus multa, propter quæ non modò difficilis reditus eſſet ſed penitus impoſſibilis; vehementem videlicet peſtilentiam, quæ nonnullos abſumſiſſet; in dies quoque & in horas ſingulas plures crudeli morbo deficere; reliquos ita metu perculſos, ut ſi triplicem etiam mercedem accipiant, nequaquam illuc velint redire. Accedebant etiam claſſis magna & multa incommoda, quibus ſi mederi ſtatuat Pontifex, aureorum millia quadraginta ægre ſufficere. Hæ & ejuſmodi rationes quum referrentur à Legato ea modeſtia & gravitate, quæ Cardinalem decebat, è Præfectis unus, quadam iracundia & indignitate permotus, quod Legati ſermo nimium remiſſus & mitis fuiſſet, impetratâ à Pontifice dicendæ ſententiæ veniâ: „ Dicam, *inquit*, beatiſſime Pontifex, quæ ſunt in cauſſa, de qua in præſentia diſputatur, nec circuitione „ aliqua utar. Nos, ut Legatus noſter retulit, neceſſariis plurimis laboramus. Claſſis „ peſtilentiâ tacta, metu fere tota perculſa „ eſt, adeo ut ſi velimus ipſi parere Beatitudini Veſtræ, navicularii & navales ſocii nos „ omnes deſererent. Quandoquidem ii non „ coacti aut vincti catenis, ut in eorum triremibus ſervari conſuevit, ſed ſponte ſua „ menſtruâ mercede acceptâ nobis operas exhibent. Sed, ſumme Pontifex, ſi nobis omnia „ ſuppeditarent, eſſetque Veris, ut eſt Hyemis, initium, nullis etiam ampliſſimis conditionibus reverteremur illuc, ne parendum „ nobis amplius eſſet vel Regi, vel filio benignas aures, oro, mihi accomoda, Pater „ Sancte; ſtatim intelliges, jure, an injuria „ lamentemur. Ut primùm in conſpectum „ Idrunti appulit claſſis tua, expoſitis in terram nonnullis noſtris, Regio filio Imperatori exercitus operam & ſtudium noſtrum „ obtulimus. Quam amanter illi ſint habiti, „ ſciunt ipſi, & nos neutiquam ignoramus; „ tamen officii, & fidei noſtræ memores, mille & quingentos ſagittarios in terram expoſuimus, à quibus tali artificio ſagittæ in hoſtes emittebantur, ut quicumque partem „ aliquam corporis è muris proferret, illico „ transfixus caderet; tantuſque inde timor à „ noſtris Turcos invaſerat, ut non modò erumpere, ut conſueverant, ſed ne oſtendere „ quidem ſe aliquo in loco auſi poſtmodum „ ſint. Atque hoc pro certo velim exiſtimes, „ (quod toti Orbi notum cupio) niſi hæc tua „ claſſis illuc acceſſiſſet, Idruntum hoc anno „ in ditionem Regis nequaquam rediiſſet. Id „ fatentur ingenue, qui veritati, non gratiæ, „ ſerviunt. Tibi ante alios debet Rex, Pater „ Sancte, & Chriſtiana Reſpublica, quod „ Ge-

„ Genuenſes tuos illuc miſeris. Dicant, quod
„ velint alii: loco moveri ſuo veritas non de-
„ bet; nec poteſt Civitas abſcondi ſupra mon-
„ tem poſita. Futura tempora de iis indicium
„ dabunt; ſed nunc miſſa hæc facio. Audien-
„ tes præterea, Imperatorem ipſum inſtructis
„ aciebus muros aggredi, & omni conatu ho-
„ ſtem invadere, ut ſi daret Deus, Urbe tunc
„ potiretur, ad eum acceſſimus; rogavimus,
„ primas partes ut nobis concederet, qui ejus
„ generis belli non eramus ignari, & quibus
„ quotidie erant ejuſmodi cum noſtris hoſti-
„ bus certamina. Accedebant agilitas noſtro-
„ rum hominum, qui in montibus & ſcopulis
„ nati & educati, ita muros & ſcalas aſcen-
„ dunt. Pollicebamur ei, Pater Sancte, cer-
„ tam victoriam; & annuiſſet procul dubio
„ Deus votis & petitionibus noſtris, ſi illis
„ annuiſſet Alphonſus. Sed quod invideret
„ gloriæ tuæ & noſtræ, vel avaritiâ ductus,
„ quod in Urbis direptione primæ eſſent ſuæ,
„ non noſtræ copiæ, negavit id velle, cauſſa-
„ tus nonnulla parvi momenti admodum.
„ Sed voluit Deus (quod in intimis affectibus
„ doluimus & dolemus) quod in contrarium
„ cuncta recíderent. Initum à ſuis prœlium
„ eſt; ad muros magno impetu concurſum;
„ tormenta à noſtris pluribus in locis emiſſa
„ uno momento, & vires omnis exercitus in
„ unum adductæ. Valide hoſtes conatus om-
„ nis exercitus ſuſtinentes & ipſi, ex ſuperio-
„ ribus tormenta emittunt tanto impetu &
„ frequentiâ, ut noſtris pedem referre neceſ-
„ ſarium fuerit; ac tanta cædes in noſtros edi-
„ ta eſt, in eos præcipue, qui primas partes
„ ſumſerant, ut miſerabile ſit non vidiſſe modò,
„ ſed referre etiam & audire. Accipiat in
„ ſancto ſuo Deus illorum ſpiritus, quos verè
„ Chriſti Martyres dicere poſſumus, & bene-
„ dictio tua, piiſſime Pater, ſuper defuncto-
„ rum animas non deficiat. Nos tamen nullo
„ tempore aut loco defuimus; opera noſtra
„ nullibi deſiderata fuit; mandata Imperatoris
„ numquam declinavimus; ſagittarios noſtros
„ ita Turci vitabant, ut maligni Spiritus Cru-
„ cem Domini fugiunt. Nota omnibus refero.
„ Mentiri coram quocumque, malum eſt; ſed
„ coram Vicario Salvatoris noſtri, lethale
„ facinus eſt, & nulla fere pœnitentia remit-
„ tendum. Sub conditionibus tamdem paulo
„ poſt cladem acceptam recuperata Urbecula
„ eſt, ut audiſti, & opinor decimâ Septem-
„ bris menſis. Singuli cum ſingulis veſtibus,
„ & ſignata pecunia abire permiſſi ſunt; cete-
„ ra in poteſtatem Ducis devenere. Inſtru-
„ menta bellica multa, & mira tormentorum,
„ quæ bombardas dicimus, capita ſeptingen-
„ ta ibi inventa ſunt, res certe æſtimationis
„ maximæ; ſed quid ad Genuenſes relatum
„ tuos? quid claſſi tuæ conceſſum, Pater San-
„ cte? nihil per immortalem Deum, ne ſa-
„ gitta quidem. Nulla de nobis, vel potiùs
„ de te, habita ratio, cui præcipue, ut dixi,
„ habendæ ſunt gratiæ. Præterea ſi quid ali-
„ quando prædæ fiebat à noſtris, ad Imperá-
„ torem illico deferebatur, qui magnopere
„ excandeſcebat, ſi quid vel minimum à Na-
„ vicularíis noſtris celatum fuiſſet. Sed po-
„ ſtremum hoc accipe, beatiſſime Pontifex,
„ idque vel malignitati vel avaritiæ adſcribi-
„ to, ut videtur. Laborabat claſſis tua anno-
„ nâ, quæ tamen non in dies ſed in horas
„ ſubminiſtrari debebat à noſtris. Petivimus
„ dari nobis ab Imperatore mutuò aureos du-
A „ centos in paucos admodum dies, ut quo-
„ uſque adveheretur annona, pecuniâ nobis
„ conſuleremus. Illud ſe non poſſe dixit. O
„ impietatem omni tempore referendam! Sa-
„ lutem ſibi, patriæ & liberis ac toti Regno,
„ ne dicam Italiæ, & Chriſtiano Orbi, exhi-
„ bebamus cum vitæ diſcrimine; & nobis
„ unius vel duorum dierum panis negatus eſt.
„ Vide quid ſpei in ceteris ponendum erat.
„ Conſidera ergo, quo in eum animo ſimus
„ omnes, & ſi cui ſit vel eſſe poſſit redeundi
„ deſiderium. In calamitate & rerum ſuarum
„ diſcrimine poſitus, nos deſpexit: quid nunc
„ agendum putamus, cui jam fortuna arri-
„ det, & Apulia tota, & jam tamdem devi-
B „ ctis hoſtibus triumphum Romanorum more
„ apud Neapolitanos ſuos parari ſibi intelli-
„ go? Refert Anellus Orator commoda Chri-
„ ſtianis, & incommoda hoſtibus plurima pro-
„ venire poſſe, ſi redeamus; non video ego
„ jam urgente hyeme, quæ poſſint commoda
„ noſtris, aut hoſtibus incommoda pervenire.
„ Inſtat Octobris menſis jam dies tertius; pa-
„ rari neceſſaria paucis diebus non poſſunt;
„ & ut retulit Legatus, pecuniâ non parvâ ad
„ ea paranda in primis eſt opus, quæ quo-
„ modo ſit in promtu optime novit ſapientiſ-
„ ſimus Pontifex, è cujus ærario, ut reliqua
„ tota promenda eſt. Dicit Velonæ expugna-
„ tionem facilem fore; ego difficilem puto,
C „ & dierum multorum opus exiſtimo. Mitto
„ fauces Portus, quæ opportuno tempore anni
„ occupari fortè poſſent; ſed Arcis in monti-
„ bus poſitæ naturâ loci & humana ope mu-
„ nitæ, quis hoc anni tempore ſibi victoriam
„ tam facilem polliceri poteſt? Idruntum ſo-
„ lum ſit nobis exemplo, quod in terra ſua
„ poſitum vix ſexto menſe, quo obſideri cœ-
„ ptum eſt, in Regiam poteſtatem devenit.
„ Credendum eſt, non fuiſſe hoſtes tam ſui
„ oblitos, & ignavos, quos nihilominus ma-
„ lis noſtris experti ſumus ſolertes & ſtrenuos,
„ ut eum locum abſque cuſtodibus eſſe ſinant.
„ Meo judicio in calamitatem & diſcrimen
„ maximum quærit Rex nos impellere, & ſe
D „ ipſum novis malis involvere. Parcat illis
„ Deus, qui facilibus auribus ſuis perſuadere
„ conati ſunt.

Hæc & multa alia quum dixiſſet ille, omnibus admirantibus, ſilentibus omnibus, permotus Anellus iracundiâ ſimul & incensâ nimium bili, quod male de Rege ſuo & filio coram ſummo Pontifice, aſtantibus Cardinalibus & Præſulibus nonnullis, tam indigna homo privatus loquutus eſſet, convertens ſe ad ceteros Januenſes, quo nomine vocaretur ille efflagitavit. Quum hi Præfectum triremis ſuæ vocari dicerent, ac ejus nomen non panderent, ne aliquando ei nocere potuiſſet, ex improviſo illemet ſuum & patris nomen & fa-
E miliæ ſuæ cognomen illico protulit: *Julianus*, inquit, *Stella Januenſis vocor ego, Gotardi Stellæ filius; non enim talia ſum loquutus, ut formidem ſciri nomen meum. Ergo & Regi & Duci, ſi placet, cuncta renuntia; ego palam loquutus ſum Mundo, & à vero non receſſit oratio. Si male loquutus ſum, teſtimonium perhibeatur de malo; ſi bene, cur mihi formidandum eſt? Rex æquiſſimus eſt, & ſapientiſſimus.* His vero omnibus nequaquam obſtantibus, inſtabat Orator de reditu cum Pontifice, initis illum conditionibus urgens; ferocia illius verba, magnifica magis quàm vera non debere ſanctum opus impedire; & hanc in præſentia occaſionem omitti,

Digitized by Google

omitti, damnosum esse toti Orbi Christiano & ignominiosum valde. Rarò autem uno in seculo videri tot classes adeo instructas in bellum adversùs Turcas; *adest enim hæc tua, Pater Sancte, triremibus quinque & viginti; à Genuensibus naves quatuor magnæ; ab Hispanorum Rege Ferdinando naves itidem magnæ octo & viginti, ac duodecim alia navigia, quæ Caravellas appellant; à Lusitanorum verò Rege ejusdem generis navigia quatuor & viginti, quæ tu, beatissime Pater, superioribus diebus propriis oculis super Tiberim amnem prospexisti. Sunt & Regis mei naves decem magnæ, triremes triginta, & alia diversi generis navigia decem. Quis umquam nostris temporibus tot simul vel audivit, vel vidit? quis neget, hanc occasionem rei bene gerendæ omitti non debere? Præterea nescio quæ magis tumultuarie dicta quàm verè? Certe, Pater Sancte, dolebimus aliquando, sæviisse hæc per negligentiam labi, & plorabimus plenis oculis, nec proderit pœnitentia ulla. Ego pro Rege meo Oratoris officio sum functus, nullis laboribus aut contentionibus parcens; sed lavo ego ex hac hora manus meas, ut de Pilato refert Scriptura. Regi meo hoc nuntiabo, cui scio non dedisse tantum lætitiæ Idrunti expugnationem, quantum præsens nuntius molestiæ afferet, si, ut dixi, his malis non subveniat pietas tua. Dominus sit in corde tuo, Xiste Pontifex, ut quæ sunt ad gloriam Dei ac tuam decernas.* His in hanc ferme sententiam dictis, siluit, Pontificis decretum exspectans. Sed clementissimus Pontifex quum videret sibi undique esse angustias, nec tamen vellet verbo suo aliquem contristari, ad Oratorem conversus: „ Vera procul dubio recenses, Anelle. Spei plurimum ponendum esse „ in tam valida classe, quis neget? ac raro „ tot & tantos conatus vident tempora nostra, „ quamvis opportunæ navigationis tempus nostris, ne dicam vestris, cunctationibus lapsum sit. Sed quod ex conventis, dilecte „ fili, nos urgeas, nonnihil miramur; memores enim sumus, ad quæ tenemur ex fœdere, quæ nihilominus cuncta à nobis impleta sunt hactenus. Ac voluisset Deus, ita „ servata nobis promissa per alios fuissent: „ fortè præsenti disputatione opus non fuisset; „ quandoquidem Turci in Italiam trajicere „ ausi non essent. Sed hæc in præsentia missa „ faciamus. Fidei nostræ (ut diximus) sumus „ admodum memores, & cumulate satis omnibus fecimus; sed ex parte alia, Anelle, „ impossibilium (ut est in Civili Lege) nulla „ est obligatio. Audisti quas difficultates Præfecti classis cum Legato suo proponunt; „ nam de ceteris videat Dominus Deus cordium scrutator & rerum. Anni tempus cujusmodi sit, omnes videtis; pauci admodum „ dies idonei ad navigationem supersunt; vix „ adhuc classis traducta esset, quod temporis „ caussâ redire in Portus oporteret. Accedit „ pestilentiæ morbus fere inevitabilis, præcipuè navigantibus, qui non habent, quò possint divertere. His duabus difficultatibus „ nisi Deus mederi non potest. Mitto pecuniam necessariam, aureorum videlicet quadraginta millium, cujus etiam quid minimum in nostra potestate non est. Exhaustum est ærarium nostrum; vectigalia hujus „ Sedis fere cuncta pignori data, & Ecclesiæ „ fideles filii ita emuncti tributis imperatis, „ ut sæpe numero illis compatiamur. Attamen, si mederi potest primis difficultatibus, „ pecuniam subministrabit de Cœlo Deus, „ qui numquam nos deseruit, fideliter pro sua „ caussa, operantes. Est adhuc nobis Mitra „ Pontificia, est etiam argenti reliquum, quo „ nostra quotidiana utimur mensa; in opus „ Dei sanctum cuncta conflabimus; Damascenam Mitram gestabimus, si auream gemmatamque non habebimus, quæ minus etiam „ pondere nos gravabit; vitro utemur, si aurea „ pocula in Dei ministerium erunt conversa; „ fictilibus cœnare non dedignabimur, quod „ Pontifices Romani multi & sanctissimi Patres turpe non putaverunt. Respiciet nos „ nihilominus de excelso suo sancto Pater „ omnipotens, & Vicarium suum non sinet „ inhonoratum in terris, quem tam fideliter „ communi Christianorum caussæ subvenisse „ conspexerit; & ut potestate supremum esse „ voluit, ita ornamentis etiam super cunctos „ excellere faciet. Circumdabit colla nostra „ torque pretiosissimi honoris & gloriæ; & „ capiti nostro imponetur diadema, quod non „ conflabitur ab igne; & pluviali vestiemur, „ quod non comedetur à tinea. Itaque, dilecte fili, Apostolicæ sedis Legate, & Pontificiæ classis Præfecti, precamur vos, & oramus, per viscera Matris Domini rogamus, „ ut nostras & Regias preces audientes, „ utriusque pium desiderium impleatis. Aderit vobis Deus, qui medicam manum super „ ægrotantes imponet; non sinet quemquam „ deinceps tangi pestilentia ex fidelibus commilitonibus suis; mare tranquillum faciet, „ & Autumnum in Æstatem convertet. Nobis erit cura pecuniæ, ne quid ad nervos „ belli deficiat. Si quid autem, quod non „ credimus, acceptum utrimque injuriarum „ esset, id totum Deo condonetis, qui pro „ nobis pepercit crucifixoribus suis; & Ecclesia Sancta communis mater jubet pro inimicis & persequentibus exorare. Benedicat „ vos Deus, & corda vestra molliat, & in „ verba oris nostri humiliet. „ His dictis quum quievisset Pontifex, Legatus & Præfecti veniam precati, responderunt, impossibile esse mutare sententiam, quandoquidem impossibilia eis mandarentur. Sancta tamen suæ Beatitudinis verba & monita ad intima ipsorum corda penetrasse, quæ nullo umquam tempore oblivioni mandarent. Sicque assurrexerunt omnes, & consessus dimissus est. Pontifex ad ædes, quæ sibi paratæ erant, Præfecti verò in triremes se receperunt. Julianus Stella, & Mauritius Cataneus equestri aurata Militia à Pontifice sunt insigniti, & paulo post Genuam versùs eorum navigationem omnes continuarunt. Pontifex biduo in Civitate Veteri consumto, discussa prius maritimi Portus instauratione, quam valde opportunam Romanæ Curiæ, & toti regioni existimabat, subductaque ratione sumtus, die Jovis inde abiens, qui quartus fuit dies Octobris, Corsitum decem millia passuum ab eo loco distans est profectus, Episcopalem Sedem Dominici Cardinalis Sancti Clementis, qui eumdem Pontificem, quòcumque divertebat, comitabatur. Qua quidem in Civitate septem dies continuos est immoratus, exceptus in ædibus, quas sedente Eugenio Quarto Johannes Vitellensis, Patriarcha Alexandrinus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, magnifice construxerat, non minus ad gloriam & ornamentum natalis loci, quàm Magnatum commoditate illuc divertentium; fuit enim vir maximi animi & gloriæ admodum cupidus, sed nominis & status Romanæ

Sedis in primis ſtudioſus. Viſitavitque hortos illius, qui denſitate cunctarum arborum & aquarum ubertate admirandi plurimùm ſunt. Vidit etiam maritimum ſinum Urbi proximum, quem Cives pro Portu libenter haberent, ſi eis Pontificis beneficentia ſubveniret. Placuit ei locus, nec minus Civium deſiderium, in quo etiam conſolari illos decrevit; ſtatuit enim in id opus millia decem aureorum exponere in annos itidem decem; atque illico mille pro parte numerari eis mandavit: ita pius pater filiorum commoda, quum poteſt, libenter amplectitur. A Corito inſuper ſequenti die Jovis, qui menſis erat XI. recedens, Tuſcanellam delatus eſt octo millia paſſuum diſtantem à Corito, imbribus nihilominus venientem & abeuntem, uſque in Urbem comitantibus. Sequenti die à Tuſcanellæ Oppido, ubi ea nocte quieverat, Viterbium venit, ubi publici Ludi nonnulli parati propter effuſiſſimos imbres exhibiti non fuerunt, ſed à civibus privatim & publice, abunde & laute Pontifici, & Cardinalibus rerum copia ſubminiſtrata, Pontifex in Præſulis ædibus ſatis commode diverſatus eſt. Ad XV. Octobris à Viterbio Roncilionum deventum eſt novem paſſuum millibus tantùm diſtans; ibi prandit & cœnavit; ac ſequenti nocte quievit in caupona Sanctæ Mariæ, Oppidanis honorifice victum ſubminiſtrantibus. Id Oppidum cum aliis undecim naturâ & arte ægre munitis Deifebo, & Franciſco Anguillaris, Everſi filiis, Paulus Secundus Pontifex maximus duodecim dierum ſpatio aperto bello eripuit, eo quod de Apoſtolica Sede & Romanis Pontificibus male meriti, in viatores etiam graſſabantur, adeo ut aliquando auditum ſit, peregrinos homines ab ultimis Orbis partibus ad Urbem venientes ſub ipſis Roncilioni mœnibus in latronum manus incidiſſe, & quandoque cum pecunia & veſte vitam amiſiſſe. Qua ex re eidem Paulo multum debemus, ut qui fecit tutum ad Romanam Curiam iter. Ipſe autem erga Deum pius admodum fuit, cui multum acceptabile ſacrificium obtulit, à Sede Apoſtolica in annos ſingulos celebrandum. A Ronciliono verò die ſequenti, qui Martis fuit, & ſextus decimus menſis, diſcedens, Baccanum venit paſſuum tantummodo millia quatuordecim ab Oppido diſtans. Sed medio ferme itinere ad tabernas Roſei Montis eſt pranſus in Xenodochio Cardinali Sancti Georgii commendato. Baccani igitur diei reliquum & ſequentem noctem in meritoria Coronæ taberna quievit, imbribus, ut dixi, nequaquam ceſſantibus. Sed quemadmodum Viterbii & Roncilioni Oppidanorum expenſis publicis ſteterat, ita ibi & ad Borghetum in prandio diei ſequentis à Virginio Urſino honorifice & laute pro locorum conditione eſt exceptus. A Baccano autem movens ſequenti die, qui Mercurii fuit, & decimus ſeptimus menſis jam dicti, per Portam Flaminiam, quam de Populo dicimus, in Urbem tamdem regreſſus eſt, Patribus ei obviam paulo extra Portam procedentibus, & in ſuam uſque Pontificiam comitantibus. Ingrediente autem Urbis Portam, præſto ei obviam iere Virginis ſuæ Populeæ Sacerdotes in ſacra veſte conſtituti, Sacra etiam manibus præferentes, quibus Pontifex veneratis, à mulo ſuo deſcendens, quo fere toto itinere uſus fuerat, in Templum ibi aſcendit; ad majorem aram procumbens, Virgini Mariæ matri Domini pro felici reditu gratias egit; aſſurgens

A inde, muloque inſcenſo, pervenit in Vaticanum, lætus admodum & hilaris, adeo ut pleriſque viſum ſit non modò ex itineris labore annorum aliquid ei additum eſſe, ſed procul dubio demtum. Per hos dies apparuere in propinquo Urbi mari navigia tria & viginti Alphonſi Luſitatorum Regis, quorum una navis magna erat, reliqua, quæ Caravellas appellant; eæ autem mediæ ſunt inter triremes & naves; quæ nonnumquam remis aguntur, non tamen celeres, aut longæ, ut triremes, ſed altiores, & ad ferendos maris impetus validiores. Præfectus Claſſis erat Garſias Elborenſis Antiſtes, ab ipſis Luſitaniæ Regibus ortum ducens. Hi expoſito in terram nuntio,
B ſciſcitantur Pontificem, numquid futura ſit ei grata claſſis per Tiberim amnem ſubvectio; ipſi enim libenter Beatitudinem ſuam venerarentur, nec minus cupide Curiam Romanam viderent, de rebus communis belli, ad quod properabant, invicem conſultarent; atque hæc eſſe mandata eorum Regis, ſanctæ Romanæ Sedis in primis ſtudioſiſſimi. Annuit illorum votis pientiſſimus Pater; & ad eumdem locum, quo paulo ante tracta fuerat claſſis ſua Genuenſis, & hæc remulco & remis tracta eſt, ad diem videlicet octavum & vigeſimum Auguſti menſis. Ad quam viſendam & benedicendam profectus eſt Pontifex Calendis ipſius Septembris, quæ die Sabbati evenerunt, atque
C in Divi Pauli Æde Præfectum ipſum in publico Patrum Senatu recepit, cunctis Nobilibus, qui ſecum connavigabant, honorifice comitatum, qui etſi longæ navigationis tœdio confectus erat, elegantem tamen in eodem Senatu orationem habuit, tempori multum & cauſſæ accomodatam. Sed Pontifex, perluſtrata claſſe, & ex cæremonialibus benedicta, eodem die in Urbem rediit; Patribus & Curiæ Proceribus eum de more uſque in ſuam Pontificiam comitantibus. Præfectus & Nobilitas omnis, navaleſque ſocii, & ad remorum miniſterium deputati, in Urbem venientes amicos viſitarunt, & claſſem rebus neceſſariis muniere. Sed Romanorum vineis non parva ja-
D ctura à Navicullariis eſt illata, vindemiantibus illas tamquam apris de ſilva. Ea in Claſſe hominum armatorum millia duo fuiſſe referunt, omni genere inſtrumentorum navalium egregie inſtructa. Inter nobiles ducenti Equeſtris ordinis fuere, aureis ornamentis omnes inſignes; reliqui ſolibus, & maritimo bello cum Mauris aſſueti, felicia omnia repromittebant, adeo ut lætus Pontifex eo ſpectaculo, plenus ſpe, & Regi multum videretur obnoxius. Sed Præſul, Claſſis Præfectus, & ceteri, qui Urbem intraverant, vel quod deliciis Romanæ Curiæ caperentur, vel quod longæ navigationis tœdio eſſent confecti, ad claſſem jam regredi negligebant, adeoque ſibi indulgebant
E cœptæ navigationis obliti, ut Pontifici ex Bracciano, quò jam diverterat, opus fuerit Elborenſem non ſolùm ad navigationem hortari, ſed etiam increpare, & diſſidiæ ignaviæque incuſare. Qui tamdem Romam ægre deſerens, ſecundo amne cum claſſe ad Tiberina oſtia eſt delatus; inde XX. Septembris menſis fluctibus ſe committens, & ventis, Neapolim appulit; ubi ſub ſpecie parandi, quæ claſſi neceſſaria eſſent, in terram deſcendunt, & iterum Neapolitanis deliciis capti, tantum in ea Urbe immorantur, quoad Idrunti expugnationem intelligunt. Allatumque eſt eodem tempore de obitu Regis ipſorum Alphonſi, & quidem

pro

Digitized by Google

pro eorum deſiderio fortè non importune, eo quod à Neapoli avelli dure admodum patiebantur, & expugnato Idrunto ſublatam navigationis cauſſam exiſtimabant. Mortuus eſt autem Alphonſus ætatis ſuæ annorum LII. die XXVIII. Auguſti menſis apud Sintram Oppidum, Ulixbonenſis diœceſis, eo ipſo die, quo claſſis ſua per amnem Tiberim trahebatur. Succeſſit ei Johannes major natu filius, novem & XX. annos natus, quinto poſt patris obitum die, in ipſa Ulixbonenſi Urbe, communi ſuorum lætitia, ſceptra & inſignia Regni ſuſcipiens.

Profeſto die celebritatis Sanctorum omnium, qui ſemper accidit noviſſimo menſis Octobris, celebrata ſunt Pontificia Veſpertina in Baſilica Apoſtoli Petri; interfuit Pontifex cum Patribus, & Orationi initium fecit & finem. Hoc eodem die tam Pontifex & Patres, quàm Præſules & Prælati, ac ceteri inferioris Ordinis viri, veſtium duplicia mutare conſueverunt; ſecretis enim ad cappas & capitia uſi ſunt hactenus, albis deinceps pelliceis uſque ad celebritatem Spiritus Sancti, ut eſt conſuetum. Capparum mutationem hanc vulgo dicimus. Celebritate ſequenti Sanctorum omnium eodem in Templo Divina res acta eſt. Sacris fuit operatus Cardinalis Sanctæ Sabinæ Auſias; Orationem habuit Ferrarienſis ex Ordine Prædicatorum, habitus non tam indoctus, quam imprudens. Culpa omnis in Jordanum Neapolitanum Palatinæ Scholæ Magiſtrum, rejecta, quod ex munere ſuo viros dignos tali miniſterio deberet eligere. Eodem die & loco, Veſpertina Defunctorum de more ſunt celebrata. Pontifex & Patres interfuere. Sequenti die funebris cæremonia in eadem Baſilica acta eſt. Rem divinam egit Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, Johannes Baptiſta Melphitenſis nuncupatus. In ejuſmodi ſolemnibus, quæ ſequuntur præter conſuetudinem ceterorum Sanctorum, Patres ad exhibendam Pontifici reverentiam non accedunt; non aſſiſtunt ei in corona orationi reſpondentes; genuflectitur à Pontifice & Patribus & omni Choro ad primam & ultimam Divinæ rei Orationem. Procumbit Pontifex ante aram, innixus pulvinari, ab elevatione Dominici Sacramenti uſque ad Agnus Dei. Non accedunt cerei Evangelicæ Orationi; non dantur alicui thura, demto Pontifice; non datur pax alicui; non benedicit Populo Pontifex; ſed ſacris paramentis ſtrato ante pedes pallio atro ſericeo, funebria ipſemet pronunciat, aquam benedictam aſpergit, & thura de more vaporatur, Mitrâ utens vel Damaſcena, vel alia abſque gemmis, pluvialique, quamvis ſericeo, purpureo tamen, præter phrygium nullibi deaurato. Ad tertiam Novembris diem, qui Sabbato evenit, pro ſua conſuetudine religioſus Pontifex ad Templum Mariæ Virginis de Populo profectus eſt, quod quum tam frequenter agat, jam minime notandum videtur. Sed hac ſola cauſſa ſcribendum cenſui, quod eo die non ſella penſili conſueta, ſed mula ſua alba eſt vectus: ita proſpera utitur valetudine, quamvis ſeptuagenarium dicant & ultra. Velocibus nuntiis ad V. diem Novembris, ſignificata eſt conjuratio quædam Forlivienſium non tam contra Hieronymum illius Urbis Vicarium quàm ſtudio civilium factionum. Capita conjuratorum duodecim capta referuntur ex plebe, & carceri mancipata; quinqua-

(*) *Heic aliqua deſiderantur.*

A ginta vero ajunt ſibi fugâ conſuluiſſe. Colendiſſimus Pater Cardinalis Sancti Marci à Præneſtino Præſulatu ſuo in Urbem reverſus eſt ad octavum ejuſdem menſis. Die Conſecrationis Lateranenſis Baſilicæ, ingreſſi ſunt Urbem Mediolanenſium & Florentinorum Oratores, Guidantonius Arzimboldus, & Philippus Pandulphinus ituri ad Regem Neapolitanum. A nonnullis Cardinalium familiis eis obviam itum eſt, & pleriſque Curialibus, qui quemquam illorum amicitiâ privatâ tangebant. Legationis cauſſam eam afferri dicunt, ut pro Caſtellina & Monte Dominico Oppidis Regem deprecentur, quæ bello proximo Florentinis ademta, Senenſibus ex formula conditionum
B conſignari debebant. In die ..... (*) Regis Oratores per hos dies Urbem ingreſſi ſunt, habitu patrio, & toti Urbi ob novitatem conſpicuo. Eis comes erat Johannes Baptiſta Imolenſis, magna paulo ante apud Pontificem & Comitem auctoritate, nunc nulla. Hos ego non ab eorum Rege deſtinatos audio, ſed ab ipſius Secretario viro primario Regni illius, cui deſiderium eſt fœdus & amicitiam inire cum Pontifice, & ritibus Latinorum Chriſtianorum vivere. Chriſtiani tamen ſunt, quibus Rex ille imperitat, quem nos *Preſto Joanne* vulgo dicimus; ſed eorum ritus à noſtris admodum differunt. Id fuit præcipuum petitionum ſuarum, ut cum eis Latinæ Legis
C & Linguæ Epiſcopus mitteretur, qui & Sacra noſtra illis oſtenderet, & Chriſtianam doctrinam in eorum Terris ſeminaret. Non inventus eſt, qui ſe illis voluerit credere; tamen religioſe excepti ſunt Pontificis nomine, illiſque ſpes data petitionum ſuarum. Quouſque autem Romæ fuerunt, Pontificis liberalitate ſunt enutriti, & donati muneribus quibuſdam, actiſque publicis honorati; pluries etiam per Interpretem ab eodem pie & amanter auditi. Subortum die Jovis, qui evenit ad XV. menſis Novembris, profectus eſt Pontifex animi relaxandi gratiâ ad Villam Dominici Cardinalis Sancti Clementis, quam nuper ſupra ripam
D Tiberis à fundamentis ædificavit, paulo à Miletio Ponte diſtantem, vicinamque fluentibus Anienis. Prata illa, quibus imminet ædes, ea eſſe dicuntur, in quibus de Metio Suffetio Albanenſium Rege à Tullo Hoſtilio Romanorum Rege ſupplicium ſumtum eſt, prout latius hujuſmodi Hiſtoriam refert Livius primo ab Urbe condita Libro. Pontifex eo in loco quievit uſque ad horam redeundi, urbanas & Palatinas curas provide vitans. Sabbato ſequenti, Veſpertina Conſecrationis Baſilicæ Beati Petri de more ſunt celebrata; Pontifex non interfuit. Sequenti die Dominico, Sacra Conſecrationis ejuſdem in eadem Petri Baſilica celebrata fuere. Pontifex non interfuit; rem Divinam egit Cardinalis Sancti Clementis. Apud Bracciānum Oppidum Virginii Urſini obiit Coſmus
E Urſinus Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Nerei & Achillei die Mercurii XXI. menſis Novembris paulo ante orientem Solem ea ipſa infirmitate, qua ſuperius Viterbii correptum eſſe monſtravimus. Pater certe laudabilis nominis & multorum exſpectationis ac ſpei ab Innocentio Septimo Pontifice Maximo. E Melioratorum paterna familia ducebat originem, ab Urſinis verò maternam, à qua etiam cognomen acceperat; ſuperiori biennio, ut ſupra oſtendimus, cum Sabello & Columnenſi &

non-

Digitized by Google

nonnullis aliis ad Cardinalatum assumtus, quum esset Abbas Farfensis, & Tranensis Episcopus, atque habitum Sancti Benedicti indueret. Ursinorum nonnulli ejus obitu doluerunt, ii præcipue, qui eam dignitatem sibi desiderabant, & ereptam Ursinæ familiæ molestè admodum tulerant. Alieno ære pressus erat, & amicorum aliqui jacturam sunt passi, tamdem Pontificis beneficio relevati. Sequenti die Franciscus Piccolomineus Sancti Eustachii Cardinalis, qui ætatem Senis egerat apud suos, in Urbem reversus est. Die Dominico, qui proxime sequutus est, celebritate videlicet beatæ Catharinæ Virginis & Martyris, regressus est in Urbem à Legatione Picœna Raphaël Sancti Georgii ad Velum-aureum post annum duobus diebus tantum demtis, relicto Prorpæside Jacobo Lucio Sutrino Caracense Antistite. Ad ultimum diem Novembris, quo celebratur solemnitas beati Andreæ Apostoli (evenit autem die Veneris) itum est mane à Patribus ad rem Divinam, Pontifexque descendit in Basilicam Petri, ubi ea acta est in Cellula beati Gregorii, in qua supra altare Pius Secundus ipsius Apostoli Caput auro conditum & gemmis ornatum, dum viveret, servari jusserat, atque Anconæ moriens, Corpus suum ad eumdem locum deferri mandavit, ubi marmoreum Sepulchrum egregio opere, curâ & impensâ Francisci Cardinalis Sancti Eustachii nepotis sui factum, cernimus. Caput autem ipsius Apostoli redemit Pontifex Pius vi magna auri à Despoto Peloponesi, quum ille Turcorum manus effugisset, secumque sanctas Reliquias ejusmodi asportasset. Hunc Principem nos Romæ vidimus primo Pauli Secundi Anno Pontificatus, ubi etiam vita functus est, filiis duobus Andrea & Emanuele, ac filia ..... relictis. Virgo ipsa paulo post magno Principi Russiæ in Scithia Apostolicæ Sedis munificentiâ nuptui tradita est. Ipsi verò juvenes Romæ diu fuere benefitio etiam Apostolicæ Sedis enutriti; tamdem Romanam Curiam ambo reliquerunt. Natu minor in paternum solum reversus Turco adhæsit, cui dicunt suspectum fuisse, dum vixit, propter affectati paterni Regni inditia. Major autem quum nimis meretricio amori & voluptatibus indulsisset, pecuniam omnem consumsit, quæ singulis mensibus à Pontificio ærario sibi numerabatur; quumque propterea de Pontificis munificentia desperasset, quod ea abuteretur, Urbem & ipse dereliquit, & ad fororium in Scithiam, rursum ad Italiam est reversus. Hac præsenti ætate Romæ eum videmus, familiâ sordidâ & pannis obsitum; & qui superioribus annis purpuram & sericum induebat assidue, vili nunc veste membra vix tegit. Tum navigantem in Græciam non sine aliqua spe dominatus paterni aureorum duobus millibus Pontifex est muneratus. Quò postmodum appulerit, mihi prorsus ignotum est; quamvis non putaverim fuisse ab re recensere, quæ tam celebris solemnitatis causam præstitere. Sacris ergo operatus fuit Episcopus Interamnensis ex Minimorum Ordine, solo nomine non censu Antistes. Ejusmodi nos hodie Titulares appellamus. Sed dum Divina res agitur, secretò nuntiatur Pontifici ad aurem per speciem alterius rei obitus Fabiani Politiani Cameræ Apostolicæ Clerici, & Petri Basilicæ Canonici. Statim verò obitu publicato, & Sacris absolutis, oratur Pontifex à Patribus tam pro munere quàm pro Sacerdotiis, quæ ille pluribus in locis possidebat. Pontifex humano responso neminem tristem à se recedere passus, in cubiculum dimissis Patribus se recepit; Viri hujus obitum annotandum censui, quod ex insperato, ac repente accidit; subita enim morte correptus toti fere Curiæ loquendi causam præbuit. Eâdem horâ matutinæ Orationi interfuerat, & Responsorium non inepte cantaverat, quum illico iliorum dolore correptus se in cubiculum recepit. Ministri accurrentes languenti assistunt, circumstant, & veste detracta in cubili collocant. Statim ut ille jacuit, spiritum emisit, tanta temporis brevitate, ut iidem referant, vix à languoris initio ad vitæ exitum tertiam partem horæ unius interceſſiſſe.

Primo Dominico die Adventus Domini, qui evenit ad secundam Decembris, celebratæ sunt Sacra Pontificia in Aula consueta. Interfuit Pontifex cum Patribus de more; Divinam rem egit Bartholomæus Marassa Tifernas Episcopus, Urbis Gubernator & Procamerarius: ita enim eum dicimus, quem Vicarium suum Camerarius instituit. Johannes Curtius ex Ordine Prædicatorum, magni vir nominis in Theologia, Homeliam diei illius peroravit, brevitateque, quàm ulla alia re, commendatur. Veneti per hos dies munitionem quamdam (Bastiam vulgo dicimus) in agro Ferrarienſi, quem sui juris esse asseverabant, construere cœperunt. Ferrarienſis ægre id ferens, quum prohibere potentiores non posset, apud ejus confœderatos, Neapolitanum Regem, Mediolanensium Ducem, & Florentinos ex erecta munitione conqueritur. Horum omnium Legati quum Romæ essent, adiere Pontificem, ac de ejusmodi Venetorum injuria & novitate conquesti sunt & protestati, ostendentes venisse eos contra decreta Beatitudinis suæ, quæ tam solemniter in Basilica Principis Apostolorum se præsente paulo ante se publicari feciſſet; petentes, ex decreti formula contra eosdem procedi, quandoquidem ejus se ultorem & judicem statuisset, Venetorum præcipue accedente consensu. Protestationis verò formulam scriptam accurate Sanctitati suæ reliquerunt. Die festo Conceptionis Beatæ Mariæ Matris Domini descendit Pontifex in Basilicam Petri, ubi in Sacello suo celebratæ fuere Vespertina sacra, quibus Basilicæ Canonici sunt operati. Pontifex purpureo pallio & capitolio sericeo processit, domestica solùm familia comitatus. Quinque Cardinales Vesperis interfuere, quorum tres domestici, ceteri fortè ob aliam causam ad Pontificem venerant. Sequenti die celebritatis ejusdem eodem in Sacello, quo Vespertina hesterna, ita Matutina Sacra celebrata fuere. Interfuit Pontifex, & Patres. Rem divinam egit probatissimus & colendissimus Pater Petrus Guilelmus Roccha Archiepiscopus Salernitanus, primus Pontificis Referendarius, vir magnæ auctoritatis, & apud Pontificem fidei, quippe qui non modo de supplicationibus refert, sed chirographo suo nomine Pontificis eas conscribit: quod à Summis Pontificibus paucis committi consuevit, quum ipsimet id munus implere sint soliti. Secundo Domini Adventus die, celebrata sunt de more Sacra in Aula consueta. Interfuere Pontifex & Patres; Sacris verò est operatus ..... Septensis Episcopus, Burgundorum Orator, patriâ Patavinus, vir mediocris Literaturæ, magnæ aliàs in Curia gratiæ, nunc fere nullius propter suspectam

Sce-

Stephani Bucelli mortem, in quam dictum eſt eum conſenſiſſe meretricio amore pellectum. Homeliam diei ejus peroravit . . . . . à Viglevano Inſubrorum Oppido Procurator in Romana Curia Ordinis Beati Franciſci. Ejus Oratio habita eſt elegans & erudita, & cœremoniæ diei multum accommodata; fuit ab omnibus commendatus. Id reprehenſum dumtaxat, quod Juvenalis verſiculum recitarit, eum videlicet, *& de Virtute loquuti clunem agitant*; qui quamvis curſui Orationis quadraverit, tamen ob religionem loci parùm pudice dictum reputatum eſt. Ad diem Martis XI. ejuſdem menſis annotandum duxi funus ſpectatiſſimi & graviſſimi viri Marcelli Ruſtici Cencii filii, patricii Romani, Apoſtolici Secretarii, collegæ mei; hodie enim elatum eſt, quum heri diem obiiſſet. Pompa celebri uſi ſunt gentiles ſui; Collegæ omnes in habitu fuimus, ab eis ædibus uſque ad Minervæ Templum comitantes funus, ubi in majorum ſepulchris religioſo more cadaver eſt conditum. Affuit Nobilitas omnis Romana, & quamplures Romanæ Curiæ Proceres, etiam nonnullorum Cardinalium familiæ. Ipſe autem elatus fuit cum veſte & bireto Secretariatus urbani, quo munere tunc fungebatur. Laudatus eſt publice à Religioſo quodam Templi illius, ſed admodum frigide, illius, ut opinor, inſcitiâ vel temporis anguſtiâ. Sed vir fuit omni laude dignus, magni & acris ingenii, linguæ tamen promtæ & facundæ, animi maximi & exercitati in magnis rebus tam Romanæ Curiæ, quàm urbanorum Magiſtratuum, adeo ut Curialis optimus, & Senator egregius, jure optimo dici poſſit ereptus. Ordo Secretariorum maximam ex ejus obitu jacturam patietur. Succeſſor datus eſt nobis præſtantiſſimus vir Sigiſmundus Comitis Fulginas, Diplomatum Pontificiorum Scriptor, vir certe magnæ literaturæ, modeſtiâ inſignis & morum gravitate venerandus. Doctum & eruditum collegam habemus, prædeceſſore dignum, ut ſpero. Dominicâ die tertiâ Adventus Domini, quæ evenit ad ſextam & decimam Decembris, itum eſt ad rem Divinam à Patribus de more, quæ in Aula conſueta eſt acta. Reverendiſſimus Pater Johannes Baptiſta Cardinalis Melphitenſis Sacris eſt operatus. Pontifex interfuit; Homeliam peroravit Gaſpar Urbevetanus, Auguſtinenſium in Romana Curia Procurator. Argumentum ejus fuit de dignitate & poteſtate Sacerdotum; commendari eum fere ab omnibus intelligo. Quarta & ultima Dominica de Adventu, Patres iere ad Divina; Pontifex interfuit; Sacris eſt operatus colendus Pater Branda Caſtiglionis Præſul Comenſis, & Mediolanenſium Orator. Orationem habuit quidam Carmelita, quem audio non commendatum: ideo nomen apponere curanon fuit. Profeſto die Nativitatis Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, iere Patres ad Sacra ſolemnia veſpertina, quibus Pontifex interfuit, eiſque initium de more dedit & finem. Celebrata autem fuere in Aula Pontificia, ut cetera, eo quod, ut ſæpe diximus, nondum Sacellum majus eſt abſolutum; continuo enim emblemate & pictura ornatur. Nocte vero, quæ ſequuta eſt, interfuere etiam Patres nonnulli Matutinis ſolemnibus, & Divinæ rei, quæ quotannis circa medium noctis peragitur. Pontifex tamen non interfuit. Sacris autem eſt operatus Dominicus Cardinalis Sancti Clementis. Natali verò die, qui ſequutus eſt, deſcendit Pontifex in Baſilicam Petri cum Patribus omnibus, demto Fratre Gonzaga Cardinali Diacono Sanctæ Mariæ Novæ, qui aliquantulum ex ſtomacho laborabat. Sacris operatus eſt ampliſſimus Pater Guillermus Oſtienſis Epiſcopus, Cardinalis Rotomagenſis, qui ut inter Patres primus eſt loco, ita opibus ceteros creditur ſuperare. Operari Sacris hujus Sanctæ celebritatis plerumque Pontifex conſuevit; ſed quum adverſa valetudine, vel alia ex cauſſa ab his abſtinet, primus Patrum munus adimplere conſuevit. Peractis Sacris Pileus & Enſis, qui quotannis benedici in ejuſmodi ſolemnitate conſueverunt, datus eſt per Pontificem adhuc in throno ſedentem Johanni Protonotario, Anglorum Regis Eduardi Oratori, ut ipſe, qui quamvis ſit in ultimis terris, ſanctæ Sedis honorem in aliquo deguſtaret, quum præſertim eidem Sedi & Xiſto Pontifici obedientiam & reverentiam ſemper exhibuerit. Ea verò, quæ dixi, Inſignia delata ſunt per quemdam ejus Nationis hominem, quem Pontifex honoris cauſsâ primùm inter Cubicularios ſuæ Beatitudinis aſcribi mandavit, deditque ei ad Regem literas hujus exempli, quod inferius deſcribetur. Sequenti die, quo Stephani Protomartyris ſolemnia celebrantur, iere Patres ad Divina in Pontificiam Vaticanam. Johannes Cardinalis ſanctæ Praxedis, Novarienſis Epiſcopus, Sacris eſt operatus. Pontifex divinæ rei interfuit. Orationem habuit Ludovicus Imolenſis ex Minorum Ordine, qui fuit fere ab omnibus commendatus Sermonem bipartitus eſt; primo de Caritate diſſeruit, tum de Morte narravit, quam dormitionem tota oratione appellavit, ſequutus Lucam Evangeliſtam de Protomartyre referentem. Prima orationis pars poſtremâ reſolutior fuit, &, ut ita dicam, magis quadrata, & ideo magis ab auditoribus commendata. Qua abſoluta, ſi orationi finem impoſuiſſet, nullos, aut paucos magis commendatos habuiſſet hoc anno Orator ille; ſed pars poſtrema aliquantulum evagata non nihil ex jam parta commendatione detraxit. Eruditorum judicio exiſtimatus vidiſſe, & legiſſe multa, ſed male poſtmodum collocaſſe. Pontifex nihilominus & nutu & verbis illum commendavit, & Cardinali Mediolanenſi gratulatus eſt, in cujus familia Ludovicus eſſe dicebatur. Die, qui ſequutus eſt, & quo celebratur ſolemnitas Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, eodem in loco res Divina acta eſt; eique Pontifex & Patres interfuere. Sacris operatus eſt Philibertus Sanctorum Johannis & Pauli Cardinalis Matiſconenſis. Orationem habuit de laudibus Evangeliſtæ unus ex ordine Cubiculariorum Pontificis, Albertus nomine, ex nobili, & locupleti Zobolorum familia à Regio Ciſalpinæ Galliæ Civitate oriundus, adoleſcens profectò ingenuus, & qui ad gratiam corporis, & ſplendorem familiæ literarum quoque ornamentum addidit. Is attente admodum eſt auditus, & propter florentem ætatem, ut dixi, & propter Orationis ornamentum ab omnibus commendatus eſt. Theologiæ tantùm Profeſſores nonnulli, qui ſoli eo digni munere videri volunt, & plerumque ſeculari ordini infenſi eſſe dicuntur, enervem Orationem fuiſſe ſubmurmurabant. Ego à ceteris laudatum intelligo, quorum judicium rectum, & abſque livore exiſtimatur. Id dumtaxat Orationi vitium attribuunt (ſi vitium dici poteſt) quod abſque argumento, quod ipſi Thema appellant, exorſus eſt, & quod verſiculis quibuſdam

Digitized by Google

dam Orationem absolvit. Ultima die Decembris, qui anni etiam finis est, vespertinum Sacrum celebratum est, Pontifice & Patribus præsentibus. Pontifex Vesperis initium dedit, & thure aram circumfudit ex more.

Anno MCCCCLXXXII.

CAlendis Januariis, quibus Circumcisionis Salvatoris nostri solemnitas celebratur, acta est Divina res, Pontifice & Patribus præsentibus. Sacris operatus fuit G. Sanctorum Petri & Marcellini Cardinalis Ulisbonensis, qui Patribus & ipsi etiam Pontifici cantu suo patrio nimium sonoro risum movit. Stephanus verò Zeliacius Venetus, Archiepiscopus Antebarensis, Orationem habuit, qui quantum aliàs in eodem munere dicendi fuerat commendatus, tantum præsenti actione damnatus fuit. Evenit enim fere semper, ut qui in uno solùm offendit, præteritorum etiam, quæ cum laude egerit, reus efficiatur. Proinde qui sapiunt & id sibi munus assumunt, si semel bene dixerint, iterum (monitore me) in caussa dicendi ad palæstram non revertantur parvi admodum luceri; quoniam, ut ait Satyricus;

Probitas laudatur & alget.

Eodem die ante Solis exortum Romam allatus fuerat nuntius de obitu Caroli Andegavensis, Provinciæ Principis, qui se Regem Siciliæ nominabat, & ad Regnum Neapolitanum aspirabat. Hujus Oratores hoc eodem anno Romam venisse supra notavimus. Profesto Epiphaniæ Vespertinum sacrum solemniter celebratum est, cui cum Patribus interfuit Pontifex, eique initium dedit & finem cum benedictione pro more. Sequenti die Sacra celebrata in Petri Basilica, quibus Pontifex interfuit. Illis autem est operatus Marcus Barbus Episcopus Prænestinus, Cardinalis Aquilejensis; Orationem verò habuit Hieremias Contagius Volaterranus, Pontificii Juris consultus, qui etsi antea dicendi eodem munere usus non esset, ejus tamen Oratio laude & commendatione non caruit. Eodem die Franciscus Diedus Patricius Venetorum, Orator ad Pontificem, ut superius annotavimus, cunctos fere majoris doctrinæ homines vocavit ad cœnam tam Romanos quàm peregrinos. Convenere igitur frequentes & qui Poëticæ & qui Oratoriæ operam dabant, Græceque docti nonnulli. Invitati etiam sunt aliqui non tam literati ipsi quàm literatorum studiosi, viri profecto comitate & gravitate præstantes. Cœnatum est apud hospitem nobilissimum & locupletissimum, addo etiam eruditum valde & doctorum hominum in primis amantissimum. Cœna famosissima fuit non solùm gulæ serviens, sed etiam cultis & castis animis satisfaciens. Mitto opiperas dapes, exquisiti variique operis fercula. Mitto ministros non tam multos quàm modestos & castos, sed in primis egregie cultos, nec minus forma præstantes quàm moribus. Mitto vina tam nostratia quàm peregrina, dulcia & acida, nigra & alba, aliqua etiam ex Creta usque adducta. Quæ omnia ut erant summo studio conquisita & diligenter parata, ita opportunis & decentibus intervallis per ministrorum manus mensæ apposita. Id verò magni faciendum, quod suavitate sermonum fuit Cœna referta. Lætus super omnia Diedus pro tali hospitio sibi gratulabatur, nunc hunc nunc illum interpellans, sermonem semper ad literas referebat. Quisque in respondendo non minus hospiti placere conabatur quàm existimationem suam apud sodales servare. Fuere qui inter cœnandum, & deinde positis mensis, Scientiam aliquam alicui alteri præferendam esse perpetua oratione probabant. Aliqui Poëticam, nonnulli Oratoriam, Militiam alii, alii Musicam sibi laudandas sumserunt. Fuerunt etiam, qui Græce recitarunt, qui Comœdias actitarunt, veterum mores & acta imitantes, quantum potuere, adeo ut ea omnia in volumen redacta, non multum à veterum scriptis dissona videantur. Habet enim hodie Roma ingenia fœcunda quamplurima, undequaque ad eam confluentia; quæ propositis præmiis facile possent si non majores adæquare, ad eos tamen vel proxime accedere, vel non longe ab eis esse. Sed nulla nunc doctis hominibus præmia; studiorum retributiones vel nullæ vel parvæ; honores, & dignitates etiam parvæ. Ideo in tanta temporum injuria mirum admodum est emergere quempiam. Vigesimo Januarii die, qui Dominicus fuit, & quo Sebastiani & Fabiani Martyrum solemnia celebrantur, mane profectus est Pontifex ad Sebastiani Ecclesiam extra Portam ejusdem nominis, quam Veteres . . . . . appellabant. Patres Pontificem sunt prosequuti, & Curialium frequens admodum numerus. Ea in Æde, aris pro more veneratis, reversus est in Urbem Pontifex. Nuntius à Florentia eodem die Romam appulit XXIV. horarum spatio pro vacatione Sacerdotii Virginis in . . . . . Mirum propter anni tempus pluviosum & acerbum nimis. Præfectus Urbis Johannes Ruvereus Pontificis nepos, qui Romæ aliquot mensibus non fuerat, ingressus est Urbem die Sabbati ad XXVI. Januarii ipse & conjux sua, Urbinatis Federici filia. Pontificis familia eis obviam est profecta versùs Ecclesiam Mariæ de Populo. Præsulum primus ad sinistram cum conjuge adequitabat; reliquæ feminæ per gradus subsequebantur; Præfectus tamen conjugem præcedebat. Per hos dies regressa est in Urbem Regina Cypri, jam diu Regno pulsa, Vivit Pontificis munificentiâ, menstruâ centum aureorum pensione acceptâ. Die Purificationis, quæ in Sabbato evenit, itum est ad Divina de more. Ea quidem celebrata fuerunt in Aula Pontificia consueta; Sacris autem operatus est Gabriel Cardinalis Agriensis. Prius autem in minori Sacrario Candelæ per Pontificem benedictæ fuere, & Patribus, Oratoribus, Proceribus, Episcopis, & Prælatis, ac Magistratibus distributæ. Ex eo autem Sacello processit Pontifex sub umbraculo, Cardinalibus, & Episcopis in sacra veste constitutis præcedentibus, in supplicationem. Venit autem in editiorem locum, qui in atrium despicit, & Candelas exspectanti & acclamanti Plebi manu sua projecit ex more. Sequenti verò, quo celebratur Sancti Blasii solemnitas, Julius Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, quem superius missum fuisse in Galliam Legatum annotavimus, ingressus est Urbem. Secum erat Johannes Balues tituli Sanctæ Susannæ Cardinalis Andegavensis, qui primis annis Pontificatus Pauli Secundi Pontificis maximi ad Cardinalatum assumtus, nunc primum è Gallia veniebat in Curiam. Fuerat enim circiter annos XII. jussu Ludovici Francorum Regis carceri mancipatus, eo quod cum Burgundo ejus hoste tunc sentire insimulatus est, superiore autem anno vel Legati beneficio vel Regis ipsius

ipſius indulgentiâ, libertati redditus. Celeriter in Italiam veniens, Lucæ aliquot menſibus immoratus eſt, exſpectans, quid de ſe Apoſtolica Sedes decerneret, cujus tamdem decreto redeunti Legato obviam factus, ſecum hodie Romam ingreditur. Novo autem exemplo, voluit Pontifex Cardinales omnes procedere obviam Legato ad Portam Populi, & ita factum eſt; paulo autem extra muros eum exſpectarunt; ſed Pontificis familia uſque ad Borgetum progreſſa eſt, Hieronymuſque Comes circiter duobus millibus paſſuum eſt progreſſus. Tantus ei ad ſummam honor habitus fuit, quantum non meminerant patres noſtri. Audio tamen non fuiſſe mandatum à Pontifice Cardinalibus, ut progrederentur; ſed intelligentes ipſi ſe Pontifici placituros, ſponte (ut creditur) id egerunt. Solus Cardinalis Senenſis abfuit; deditâ operâ, an impeditus id egerit, id mihi prorſus incognitum eſt. Lunæ die, qui ſequutus eſt, ambo ii Patres in publicum Senatum recepti, quiſque pro conſuetudine ſua, quam ſuperius in Sabello & Genuenſi Cardinalibus in Baſilica Beati Pauli Apoſtoli receptis annotavimus. Sequenti autem die, quo celebratur feſtum Agathæ Virginis, profectus eſt Pontifex meridiano tempore ad ipſius Sacellum, quemadmodum ſuperiore etiam anno feciſſe illum oſtendimus. Duo Cardinales Johannes Sancti Adriani Aragonenſis Presbyter, & Theodorus Sancti Theodori Monferratenſis Diaconus ex diverſis feceſſibus redeuntes, eodem die, qui Jovis fuit, & XIV. menſis Februarii, Urbem ingreſſi ſunt. Die Dominico ſequenti, Ludi Teſtacei editi ſunt more ſolito, quibus rixæ propter bravii curſum non defuere. Cardinales quinque ſpectaculo interfuere. Sequenti die Lunæ, qui præceſſit Bacchanalia, quæ nos vulgo Carniſprivium appellamus, Pontifex per vineam ſuam exiens, per Sancti Pancratii Portam Urbem ingreſſus eſt, & viâ Floridâ & Mercatoriâ in Pontificiam, inclinante jam ſole, reverſus eſt. Larvati multi eidem obviam facti ſunt ex improviſo, quorum ſpectaculo non mediocriter lætatus eſt Pontifex. Pontifex die ipſo Carniſprivii, ut larvatos fugeret ad ſe in Pontificiam venire volentes, per vineam cum paucis domeſticis vagatus eſt. Die prima Quadrageſimæ, quæ Cinerum dicitur, evenit autem ad XX. menſis, celebrata ſunt ſacra Pontificia de more in Divi Petri Baſilica. Illis operatus eſt Julius Cardinalis Sancti Petri, cui propter Pœnitentiariam, cui præeſt, debetur id munus. Pontifex à Sede ſua de more cinerem dedit, eo prius per manus Sacrificantis ſupra caput ſuum recepto. Patres eo die veſte Sacra violacea utuntur. Tres & viginti divinæ rei interfuere. Mediolanenſis ſolus defuit, propter podagram domi ſe continens. Majorem Patrum numerum Romæ me vidiſſe non memini. Orationem diei illius habuit Bartholomæus Manfredus Bibliothecarius Pontificis, & Cardinalis Sancti Clementis Secretarius, ſolùm à propinquioribus auditus. Oratio magis quàm actio commendata. Fo die XXII. in quo celebrantur Sacra in honorem Cathedræ Petri Apoſtoli, qui in Venere accidit, deſcendit Pontifex in ejuſdem Petri Baſilicam in veſte quotidiana, familiâ tamen domeſticâ comitatus; atque aris veneratis in Pontificiam reverſus eſt. Primâ Dominicâ Quadrageſimæ Divina res acta eſt in aula conſueta. Patres interfuere; Pontifex podagrâ impeditus in cubiculo ſe continuit. Sacris operatus eſt Bartholomæus Maraſcha Tiſernas Epiſcopus, Homeliam peroravit . . . . . Secundâ Dominicâ Quadrageſimæ, eadem in Aula ſolemnia de more ſunt celebrata. Pontifex non interfuit. Sacris operatus fuit Georgius Urbevetanus Antiſtes. Procurator Ordinis Minorum Sermonem habuit, qui plurimum commendatus eſt. Per hos dies in Civitate Peruſiæ ob civiles diſcordias motus aliquis excitatus eſt; vulnerati nonnulli cives dicuntur. In ſecreto Senatu, qui die Lunæ IV. Martii habitus eſt, Senenſium Orator Sinolphus à Pontifice eſt intromiſſus. Nomine Reipublicæ ſuæ provocavit à quodam Laudo lato per Oratores Ferdinandi Regis in Oppido Sanctæ Floræ die XIII. Februarii proxime præteriti, ad ipſum Pontificem tamquam judicem univerſalem & bonum virum. Dubitavit (ut audio) Pontifex, an talem appellationem deberet admittere. Tamdem cauſſam audiendam quatuor ex Patribus commiſit, videlicet Marco Sancti Marci, Julio Sancti Petri, Johanni Sanctæ Praxedis, & Georgio Sanctorum Petri & Marcellini Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus. Laudum quidem fuerat ejuſmodi: Ut Senenſes reſtituerent Florentinis Caſtellinam, Montem Dominicum, & Arcem Sancti Polli, loca proximo bello Florentinis ademta. Sabbato, quod evenit ad nonam Martii, profectus eſt Pontifex ad Ædem Mariæ Popularis, duodecim Patribus comitatus. Tertiâ Quadrageſimæ Dominicâ, in conſueto Pontificiæ loco celebrata ſunt Sacra, quibus fuit operatus Galeazzus Epiſcopus Agenenſis, Mariolæ Pontificis neptis filius, qui ita accomodate rem divinam egit, & cantu & cerimoniis ita ſatisfecit, ut uno ore commendaretur ab omnibus Cardinalibus; & ſibi & Pontifici ſunt gratulati, certe in hoc veritati non gratiæ ſervientes. Eo autem magis commendandus eſt, quod juvenis admodum eſt, & in ſacrificandi miniſterio tyro. Orationem habuit . . . . . Urbevetanus, Procurator Auguſtinenſium, qui de Dæmonibus toto Sermone tractavit, ut præteritis actionibus, ſic præſenti non commendatus. Argumentum ex Evangelio ſumſit: *Erat Jeſus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum*. Ejuſmodi Sacris interfuere Cardinales XIX. frequens certe conſeſſus: quod ne alicui mirum videatur, ſunt nunc Romæ præſentes quatuor & viginti quot certe non ſum memor vidiſſe à primo anno Pii Secundi, quo primùm in Romanam Curiam veni. Eos autem omnes inferius recenſebo, adjiciens etiam eos, qui ſunt extra Curiam, ut videant poſteri, quot Senatores hoc tempore Apoſtolica Sedes habuerit, ponamque per ordinem, ut ſedent in Senatu, vel ſacrorum ſubſelliis, nec non à quo quiſque Pontifice ſit ad eam dignitatem aſſumtus. Incipiam verò ab Epiſcopis, deinde ſubjiciam Presbyteros, poſtremo Diaconos; &, ut dixi, locum ſub eodem ordine tenebunt præſentes in Romana Curia die prædicto.

Guillermus natione Gallus è provincia Normandiæ, Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Rotomagenſis, ab Eugenio Quarto aſſumtus. Rodericus natione Hiſpanus, patriâ Valentinus, Epiſcopus Portuenſis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, à Caliſto Tertio ejus avunculo aſſumtus. Oliverius natione Italus, patriâ Neapolitanus, gente Caraffa, Epiſcopus Albanenſis, à Paulo Secundo aſſumtus. Marcus natione Italus, patria Venetus, gente Barba, Epiſcopus Prænestinus, Sancti Marci di-

dictus, à Paulo Secundo ejus gentili assumtus. Julianus natione Italus, patria Savonensis, gente Ruverea, Episcopus Sabinensis, Sancti Petri ad Vincula dictus, à Xisto IV. ejus patruo assumtus. Baptista natione Italus, patria Venetus, gente Zena, Episcopus Tusculanensis, Sanctæ Mariæ in Porticu dictus, à Paulo Secundo ejus avunculo. Johannes natione Gallus, tituli Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Andegavensis, à Paulo II. Stephanus Italus Forlivensis, gente Nardina, Presbyter Cardinalis Mediolanensis, tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim, à Xisto Quarto. Ausias patria Valentinus, tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis Montis Regalis, à Xisto Quarto. Johannes Italus Parmensis, e gente Arzimbolda, tituli Sanctæ Praxedis, Episcopus Novariensis, à Xisto. Baptista Genuensis, tituli Sanctæ Cæciliæ, Presbyter Cardinalis Melfitensis, ab eodem. Philibertus Burgundus, tituli Sanctorum Johannis & Pauli, Presbyter Cardinalis Matisconensis, à Xisto. Georgius Portugallensis, tituli Sanctorum Petri & Marcellini, Presbyter Cardinalis Ulixbonensis, à Xisto. Johannes Venetus, gente Michaëlia, tituli Sancti Marcelli, Presbyter Cardinalis Sancti Angeli dictus à pari titulo, Veronensis Episcopus, à Paulo ejus avunculo assumtus. Gabriel Veronensis ex Minorum Ordine, tituli Sanctorum Georgii & Bacchi, Cardinalis Agrienſis, à Xisto. Hieronymus Savonènsis, gente Bassa, tituli Sancti Chrysogoni, Cardinalis Recanatensis, à Xisto avunculo. Johannes Aragonensis Ferdinandi Regis filius, Sancti Adriani Presbyter Cardinalis, à Xisto. Dominicus Rantasiensis, gente Ruverea, tituli Sancti Clementis, Cardinalis Tarantasiensis, à Xisto. Franciscus natione Senensis, gente Piccolominea, Sancti Eustachii, Diaconus Cardinalis Senensis, à Pio Secundo ejus avunculo. Franciscus Mantuanus, gente Gonzaga, Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Mantuanus, gente Gonzaga, Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Mantuanus, à Pio Secundo assumtus. Theodorus Italus, Sancti Theodori Diaconus Cardinalis, Montisferrati ex Marchionibus, à Paulo Secundo. Raphaël Savonensis, Sancti Georgii Diaconus Cardinalis, à Xisto avunculo. Johannes Baptista Romanus, Sancti Viti in Macello Diaconus Cardinalis Sabellus, à Xisto. Johannes Romanus Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis à Xisto. Absentes hoc tempore & die à Romana Curia isti sunt, videlicet: Thomas Anglicus Sancti Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis Cantuarienſis, ... Johannes Burgundus tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyter Cardinalis Eduensis, à Nicolao. Ludovicus Aragonensis tituli Sanctorum Quatuor Presbyter Cardinalis Ilerdensis, à Calixto Tertio. Carolus Gallicus Gente Borbonia tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Lugdunensis, à Xisto. Petrus Hispanus, Gente Mendoza, Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis Hispanus, à Xisto. Georgius ex Germania cognomine Heslet, tituli Sanctæ Luciæ in Silice Presbyter Cardinalis, à Xisto. Petrus Gallicus de Fuxo, Sanctorum Cosmæ & Damiani Cardinalis, à Xisto. Petrus Venetus, gente Foscara, tituli Sancti Nicolai inter Imagines Presbyter Cardinalis Patavinus, à Xisto. Fericus Burgundus gente Cluniaca tituli Sancti Vitalis Presbyter Cardinalis Patavinus, à Xisto.

A Huic non est adhuc datus Pileus dignitatis. Petrus Paulus Genuensis, gente Fregosa, tituli Sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis Genuensis, à Xisto.

Ad diem XV. Martii, qui in Venere venit, ingressus est Urbem per Portam Leoninam Vaticani, quæ dicitur Sancti Petri, Illustrissimus Princeps Eberardus Comes de Wictemberg, & Montis Peligardi Senior, (ita enim titulus ejus) unus ex nobilibus Germanicæ nationis Principibus, sororius Francisci Gonzagæ Diaconi Cardinalis. Progressum est ei obviam à cunctis Cardinalium familiis & Pontificis etiam; honorifice deductus est domum, quæ sibi in Regula à Prussianis ejusdem nationis parata est.
B Per Interpretem responsa dabat de ipsius adventu congratulantibus. Devotionis caussâ venire illum dicunt ad Urbem, vel, ut dicunt aliqui, ad solvendum Votum ab eo commissum aliàs de visitandis Sanctorum Apostolorum liminibus. Habitus tam suus quàm familiæ, consimilis, niger scilicet; equi circiter sexaginta. Sequenti Sabbato pro more suo religioso Pontifex ad Templum Popularis Virginis profectus est mane; inde ad Ædem Susannæ tituli, Ecclesiam Cardinalis Andegavensis. Rediit Viâ Floreâ & Mercatoriâ; substitit verò in trivio Messariorum prope Pontem Adriani, ubi veteres porticus jussu suo in Urbis ornatum demoliebantur. Ibi Antonium Cencium
C Marcelli filium demolitoribus se opponentem ob jacturam tabernarum suarum rapi jussit in carcerem, atque illico se præsente domum ipsius demoliri imperavit. Quartâ Dominicâ Quadragesimæ, quæ evenit ad XVII. Martii, Divina res acta est in Sancti Petri Ecclesia. Pontifex interfuit. Rosa aurea, quæ tali die semper benedici consuevit à Romano Pontifice, data fuit Eberardo Comiti, quem supra veniſſe Romam monstravimus. Sacris est operatus Philibertus Cardinalis Matisconensis. Procurator Ordinis Carmelitarum Homeliam peroravit celebritatis illius. Peractis Sacris, quum Pontifex in superiora Pontificiæ ascendisset, Patres omnes Comitem, Rosam manu
D gestantem, domum usque, religionis & honoris caussâ, deduxerant, ut est moris. Postremus Comes incedebat medius inter primos Diaconos Cardinales. Patres autem huic celebritati tres & viginti interfuere. Eodem die in Vesperis Robertus Liciensis ex Minorum Ordine Aquinas Antistes, divini verbi nuntiator toto Orbe celeberrimus, prædicavit in Basilica Mariæ Majoris. Ejus Sermoni sive prædicationi (ut vulgo dicimus) Cardinales septem interfuere, & uxor Hieronymi Comitis. Populus verò tam frequens utriusque sexus & omnis conditionis, ut locus illum capere non potuerit. Sermo de Eleemosyna fuit. Dominicâ, quam de Passione nuncupamus, Divina
E res acta est in Aula Pontificiæ. Pontifex interfuit; Sacris autem operatus fuit . . . . . Bilicensis Antistes, Pater doctrinâ & nobilitate venerandus, Monachus ex Ordine Sancti Benedicti. Sermonem habuit Petrus Bustalius natione Hispanus ex contubernalibus M. Cardinalis Sancti Marci, quem audio commendatione & vera laude non caruisse. Sequenti die Lunæ, qui quintus & vigesimus est mensis Martii, quo celebratur Annuntiatio Beatæ Mariæ Virginis matris Domini Salvatoris nostri, mane profectus est Pontifex ad Templum Mariæ de Populo. Ibi solemniter Divina res acta est; Sacris operatus fuit Ausias Cardinalis

Digitized by Google

lis Sanctæ Sabinæ Montis Regalis. Oratio habita . . . . . Rediens Pontifex divertit ad Ædem Minervæ, ad quam eo die frequens concurſus eſt propter celebrem Annuntiationis ſolemnitatem. Inde Pontificiam eſt reverſus, Cardinalibus uſque ad Pontem illum comitantibus. Eodem die tempore meridiano, in area Minervæ prædicavit Robertus, quem dixi. Auditores fuere innumeri; Cardinales verò quinque. Ultimo die menſis Martii, qui Dominicus fuit (Palmarum eum vocamus) acta Divina res eſt in beati Petri Eccleſia, in quam deſcendit Pontifex cum Patribus. Prius tamen in minori Palatino Sacello ipſe Pontifex de more Palmas benedixerat, & Patribus primum, deinde Oratoribus, & Principibus, Epiſcopis, Prælatis, Proceribus Urbis & Curiæ Magiſtratibus diſtribuerat, quum tamen ſua Beatitudo ornatiorem Palmam de manu primi Cardinalis accepiſſet. Facta ea diſtributione, proceſſit in Aulam, & ex Pulpito, quod deſpicit in atrium Palatii, ramos Olivarum exſpectanti Populo projecit. Poſtmodum, procedentibus Cardinalibus & Epiſcopis in Sacra veſte conſtitutis, in ſupplicationem deſcendit, ut dixi, in Baſilicam ad Sacra, quibus operatus fuit Johannes Cardinalis Aragonius. Sub umbraculo delatus eſt Pontifex, quod majores Oratores & Barones deferebant. Cardinales eo die violacea veſte utuntur. Die Mercurii, tertia Aprilis, quæ feria quarta majoris Hebdomadæ nuncupatur, matutinæ Preces cantatæ fuere hora conſueta in aula Pontificiæ conſueta, Pontifice præſente & Patribus de more. Pontifex ea nocte Cappam purpuream defert. Nocte ſequuta diem Mercurii Aprilis tertium, horâ verò noctis circiter tertiâ, Crucei & Vallenſes Romani, quos ſupra retulimus exercere inter ſe maximas & graviſſimas inimicitias ex cauſſis ibidem dictis, congreſſi inſimul ſunt ante Vallenſium ædes. Dimicatum eſt inter eos acriter à duabus circiter horis; tres interfecti dicuntur; ex utraque parte multi vulnerati. Sed ex parte Vallenſi interfectus fuit Hieronymus Columna, Cardinalis Columnæ frater ex patre, vir audax & manu promtus. Sequenti die Jovis, quem Sanctum vocamus, juſſit Pontifex demoliri ædes Proſperi Crucei, quæ ſunt prope Judæorum forum, ad terrorem tam illius familiæ quàm omnium ejuſdem gentis ſectam ſequentium. Georgius Proſperi germanus, qui adhuc in Urbe ſe continebat, ob timorem factionis adverſæ magis quam Pontificis, Hieronymo interemto, Urbe abiit. Eodem verò die matutino tempore, iere Patres in Vaticanum ad Divina de more. Sacris operatus fuit Rodericus Vicecancellarius, quibus etiam interfuit Pontifex, qui poſt acta Sacra ex aula, ubi celebrata fuerant, in locum benedictionis deſcendens, præcedentibus Cardinalibus & Epiſcopis in veſte Sacra conſtitutis, aſtitit lectioni Bullæ, quæ de Cœna Domini nuncupatur, quæque quotannis tali die, loco, & cerimoniis per unum ex Diaconis Cardinalibus legi conſuevit alta voce Populo in maxima frequentia in Platea majori exiſtenti, cui poſtmodum Pontifex benedixit. Totam hujus diei cerimoniam ſuperiori anno latius annotavi. Diplomata lecta ſunt Latinis verbis ab uno ex Subdiaconis . . . . . , verbis verò maternis expoſita per ampliſſimum Patrem . . . . . Diaconum Cardinalem. A benedictione poſtmodum rediens Pontifex, duodecim pauperum pedes lavit & abſterſit, & aureis argenteiſque nummis muneravit ex more. Ad matutinas Preces eodem die reditum eſt à Patribus. Pontifex matutino miniſterio feſſus non interfuit. Die verò Veneris ſancta, eâdem in Aulâ Sacra ſunt celebrata, quibus operatus fuit Cardinalis Sancti Petri Pœnitentiarius, cui etiam ejuſmodi Sacra gratia Pœnitentiarii muneris obveniunt. Orationem habuit quidam Viterbienſis, quem paulo ante ad Epiſcopatum . . . . . in Hibernia promoverat Pontifex. Huic celebritati voluit Pontifex intereſſe. Mane verò diei hujus, Robertus Aquinas Præſul prædictus in area Laurentii in Damaſo inter prædicandum extulit ſimulacrum Crucifixi Salvatoris noſtri, lacrymans ipſe & pleriſque lacrymas identidem excutiens. Reditum eſt ea die ad matutinam orationem, cui Pontifex interfuit. Sabbato verò, eodem in loco acta Divina res eſt. Sacris operatus fuit Dominicus Sancti Clementis Presbyter Cardinalis. Cereus ſacratus de more, & actæ reliquæ cerimoniæ, quæ notæ ſunt & ſuperius annotatæ. Eodem die, Oratores duo Ludovici Regis Francorum Urbem ingreſſi ſunt, quibus obviam progreſſum eſt à familiis Pontificis & Cardinalium, & domum uſque deducti. Ad diem VII. Aprilis, qui Dominicus fuit, & in quo cecidit Reſurrectio Salvatoris, acta Divina res eſt in Sancti Petri Eccleſia, in quam deſcendit Pontifex, præcedentibus in ſupplicationem Patribus & Epiſcopis in Sacra Veſte conſtitutis, ceteris Ordinibus & Prælatis in habitu conſueto. Pontifex ipſe operatus eſt Sacris, qui ſumto Dominico Sacramento, manu ſua quamplurimis confectum Domini Corpus admodum religioſe porrexit. Duobus diebus ſequentibus, Sacra etiam in Pontificia de more celebrata fuere. Utriſque interfuit Pontifex. Prioris diei Sacris operatus eſt Johannes Cardinalis Novarienſis; poſterioris Johannes Baptiſta Sanctæ Cæciliæ Cardinalis Melphitenſis. His diebus quatuor, quamvis Sacra Pontificia ſint, & valde ſolemnia, tamen ſermo neque dici conſuevit, neque habitus eſt. Die Mercurii poſt feſta Paſchalia, qui fuit decimus ejuſdem menſis, vocati ſunt Patres in publicum Senatum, qui coactus fuit in anteriori majori aula Pontificiæ. Relatum eſt in eo de morum, & vitæ ſanctimonia viri & patris beatiſſimi Bonaventuræ, quem inter Sanctorum cœtum plures Reges, Nationes, & Populi referendum eſſe ſummis precibus à Pontifice & Sacro Patrum Senatu efflagitabant. Orationem verò habuit de ea re clariſſimus Jureconſultus & Senatorius Advocatus Octavianus; quæ etſi propter ſtrepitum freqüentiſſimi Senatus audiri vix potuit, mirifice tamen commendata fuit ab iis, qui illum audierunt. Paucis quum reſpondiſſet Pontifex, commiſit Prælatis omnibus in Romana Curia exiſtentibus, ut & ipſi de meritis beati Patris edocti in primo Senatu ea tantum cauſſa cogendo ſententiam dicerent. Die igitur Veneris, qui ſequutus eſt, fuit autem XII. menſis Aprilis, vocati in concilium fuere non Cardinales modo, ſed Epiſcopi omnes, Abbates, Judices Rotæ Palatinæ, Religionum quarumlibet Prælati, & Proceres earumdem Generales. Concilii locus fuit major Aula ſupra primam Palatii portam, quæ in Sancti Petri aream ſpectat. In eo Senatu iterum oravit Octavianus, quem dixi, & quia priori Senatu à paucis fuerat per ſtrepitum auditus, eamdem, ut audio, Orationem recitavit cum ſumma attentione & commendatione.

tione. Rogati poſtmodum Epiſcopi & ceteri, ſententiam dicere, Cardinalibus ſilentibus, Præſulum quiſque, prout loco præerat, ita ſententiam dixit: *Cenſuit pars major, Bonaventuram referendum eſſe inter Sanctos, quos colit Eccleſia, quandoquidem ea non poſſet errare; credere enim, Pontificem diligentiſſime beati Viri merita & miracula perſcrutatum eſſe & per ſe ipſum, & per eos Cardinales, quos ad id multo ante tempore delegiſſet.* Fuere ex Prælatis nonnulli, qui eorum ſententiam ad Pontificis judicium retulerunt. Nonnulli etiam, qui ſub conditione cenſebant inter Sanctos referendum, videlicet, ſi vera erant, quæ ab Oratore Octaviano de meritis & miraculis recitata fuerant. Tandem communi voto ventum eſt in cauſæ ſententiam, quæ fuit, ut proximo die juxta conſuetudinem ceremonia fieret, quæ in canonizandis ſervari conſuevit. Itaque mandatum eſt Clericis Cæremoniarum, ut ad eam diem cuncta parata eſſent. Die verò Dominico mane, hora, qua conſuevit agi Divina res, convenere Cardinales & Prælati omnes in Pontificia, Magiſtratuſque omnes tam urbani quàm Curiales, & Proceres, Oratores, & Nobiles. In Eccleſia autem convenerat multitudo ingens utriuſque ſexus, præ ſtudio rem novam & religioſam videndi. Erant in Eccleſiæ medio erecta tabulata ſupra ſtaturam hominis, unde cæremonia ab omnibus circumſtantibus facile videri poſſet, ac ſine impedimento operari, diſpoſitaque ibi erant ſubſellia omnia Cardinalium & Epiſcoporum aliorumque Prælatorum & Primatum tam Secularis quàm Clericalis poteſtatis. Ante verò omnia ſedes Pontificis digniori loco ſupereminebat, humilior tantum aliquantulum, quam Altare, ſuper quo Divina res erat agenda. Aſcenſus in ea tabulata erat ſatis arctus & per gradus, nec patebat niſi Cardinalibus, Epiſcopis, & Prælatis, ac Magiſtratum in Curia & in Urbe gerentibus, Oratoribus etiam, Proceribus, & Nobilibus, & viris dignitate aliqua præditis. Pontifex omnibus ita diſpoſitis, è cubiculo movit cum Pluviali & Mitra, præcedentibus Cardinalibus, Epiſcopis, & Prælatis in veſte Sacra. In ſupplicatione autem ipſe ſub umbraculo; ac tam ipſe, quàm Cardinales, & Prælati, cereum manu geſtabant, ut ordo poſcebat: qui quidem ordo talis eſt, videlicet:

Pontifex exit de cubiculo ſuo cum Cardinalibus, Prælatis, & Officialibus Curiæ proceſſionaliter, cum Cruce, Ceroferariis, & thure, omnes verò veſtiti paramentis albis ſibi convenientibus. Pontifici exiſtenti in anticamera dantur duo magni cerei albi ponderis lib. X. pro quolibet, quos duo Nobiles portant, prout Pontifex mandat. Cardinalibus quoque dantur cerei albi lib. IV. aliis verò Prælatis, Oratoribus, Baronibus, & magnis Nobilibus, duarum librarum ceræ communis. Servientibus armorum, & aliis minoribus Officialibus, item Capellanis, Scutiferis, Cantoribus &c. mediæ libræ. Ceteris verò, ut placuit. Septem præterea faculæ pro Proceſſione libræ unius pro qualibet de cera communi. Septem aliæ albæ duarum librarum pro quolibet Altari. Duæ ſimiles pro Credentia. Septem præterea intortitia magna pro elevatione Corporis Chriſti ſex librarum pro quolibet. Quum Papa deſcendit in Baſilicam proceſſionaliter cum Baldachino, in porticu obviant ei Religioſi Urbis & Clerus ipſius Eccleſiæ Sancti Petri. Papa autem intrat Eccleſiam,

A & aſcendit palcum, & facta oratione ante altare, ut eſt moris, aſcendit ſedem eminentem in ſiniſtro cornu altaris ſitam. Ibique accipit reverentiam à Cardinalibus & Prælatis paratis. Factâ reverentiâ ponitur alia ſedes ante altare, ita ut Papa vertat renes ad altare, & ibi ſedet, & facit Sermonem, referens quæ geſta ſunt, & Vitam ac Miracula canonizandi ſummarie; & in fine hortatur omnes, ut orent Deum, ne permittat errare Eccleſiam ſuam in hoc negotio; ipſe quoque identidem dicit ſe oraturum. Deſcendit deinde; tollitur ſedes, & propterea genuflectit ante altare ſuper faldiſtorio; & cantantur Letaniæ à Cardinalibus, in quibus fit nulla mentio de Sancto canoni-
B zando. Illis finitis, Diaconus à dextris dicit alta voce, verſus ad Populum: *Orate*; & omnes ſecrete prolixius orant. Tunc Diaconus à ſiniſtris dicit eodem tenore, *Levate*; & omnes ſurgunt. Papa elevatis manibus ſtans ſine Mitra, incipit hymnum *Veni Creator Spiritus*; deinde genuflectit. Cantores proſequuntur. Finito primo verſu, Papa ſurgit, & cum Mitra vadit ad ſedem eminentem, & detractâ Mitrâ, exſpectat finem hymni; quo completo Cantores cantant verſus: *emitte Spiritum tuum. Reſp. & renovabis faciem terræ*; & Pontifex *Oremus Deus qui corda fidelium &. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.* His peractis, Pro-
C curator Canonizationis petiit inſtanter à Pontifice, pronunciari & canonizari Beatum Bonaventuram, his verbis, videlicet: „ Beatiſſi-
„ me Pater, ſcriptum eſt 1. Johannis 3. quod
„ tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in
„ Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus;
„ & hi tres teſtimonium dederunt, quod bea-
„ tus Bonaventura de Balneoregio quondam
„ Ordinis Fratrum Minorum Generalis, ac
„ poſtmodum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Car-
„ dinalis, & Epiſcopus Albanenſis, veniat Ca-
„ nonizandus, ut patet per Proceſſus com-
„ miſſione Sanctitatis veſtræ & auctoritate
„ Apoſtolica ſuper inde confectos. Ego Fra-
„ ter Petrus de Rodulphis de Viglevano præ-
„ fati Ordinis Minorum in alma Curia veſtra
D „ Procurator, meo, & procuratorio Ordinis
„ præfati nominibus, ac etiam nominibus Se-
„ reniſſimi Romanorum Imperatoris, & Chri-
„ ſtianiſſimi Francorum Regis, aliorumque
„ Regum, Ducum, Principum, Marchionum,
„ ac magnificarum Communitatum, ſpiritua-
„ lium & temporalium Dominorum quorum-
„ cumque, qui veſtræ Sanctitati, & Sacro
„ Romanorum Cardinalium Collegio ſuper
„ Canonizatione præfati beati Bonaventuræ
„ ſæpius ſcripſerunt, & ex parte Sanctiſſimæ
„ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus San-
„ cti, qui, ut præfatum eſt, de ipſius gloria
„ teſtificati fuerunt, inſtanter, inſtantius, &
„ inſtantiſſime requiro ſupplex & aſtringo
E „ Sanctitatem veſtram, non de gratia, ſed de
„ debito ac mera juſtitia, quatenus nunc de
„ præſenti ad Canonizationem beati Bonaven-
„ turæ, ſecundùm quod in publicis Conſiſto-
„ riis decretum fuit, ne dictus Beatus ſuo
„ fraudetur honore, procedere debeatis, ad
„ orthodoxæ Fidei, & ſanctæ Eccleſiæ exal-
„ tationem, & ad laudem omnipotentis Dei,
„ qui vivit, & regnat in ſecula ſeculorum.
„ Amen. „ Comes de Wictemberg Everar-
dus, quem ſuperius Romam veniſſe religionis cauſsâ monſtravimus, die Martis XVI. Aprilis Urbe abiit, Franciſco Sancti Euſtachii, & Franciſco Sanctæ Mariæ novæ Diaconis Se-

nenſi

Digitized by Google

nensi & Mantuano, Cardinalibus comitantibus. Platinæ Anniversarium celebratum est die Jovis XVIII. præfati mensis in Basilica beatæ Mariæ Majoris ex ordinatione Demetrii Lucensis, Platinæ ipsius alumni, à quo plerique viri eruditi vocati illuc libentissime convenere; inter quos Præsules fuere nonnulli, tam Platinæ studiosi, quàm Demetrio obsequi cupientes. Sacris operatus fuit Eruditissimus Pater . . . . . Vintemilienſis Episcopus ex Augustinensium Ordine; quibus peractis, & finita cæremonia, quæ ad tumulum defuncti agi consuevit, vaporato thure, & aqua benedicta conspersa, ac veste sacra deposita, Pomponius Romanus, princeps Sodalitatis literariæ, vir doctissimus, pulpitum ascendit Basilicæ, atque Orationem funebrem habuit in laudem & commendationem defuncti. Eam Orationem elegantius scriptam edidit quàm recitavit. Post eum ex eodem pulpito oravit Astreus Perusinus Poëta versu elegiaco, actione plurimum commendata; carmenque elegantissimum habitum est. Id dumtaxat non probatum intelligo, quod in sanctissima Æde beatissimæ Matri Dei dicata secularis homo, qui neque habitum, neque signum aliquod religionis haberet, repente post Divinum Ministerium versiculos decantare præsumserit, quamvis elegantes, ut dixi, tamen à nostra Catholica professione alienos, & loco illo sacratissimo valde indignos. Pomponii Oratio religiosa fuit, & gravitate sententiarum referta, tanto magis commendata, quanto soluta Oratio versu gravior existimatur. Ventum est deinde in convivium, quod idem Demetrius magnifice & opipare præparaverat illis omnibus, qui vocati Sacris interfuerant. Id autem paratum fuit in Esquiliis iisdem in ædibus, quas Platina à fundamentis exstruxerat. Eas nunc possidet amplissimus Pater Hieronymus Sancti Crysogoni Cardinalis Recanatensis, Pontificis nepos, ab heredibus Platinæ ab eodem emtas. Inter epulas versus quamplurimi ab eruditis convivis recitati fuere; quisque pro ingenio suo aliquid in medium attulit, quod ad laudem Platinæ pertineret. Eas omnes in volumen redegit Demetrius, ut quem viventem coluerat, mortuum quoque hoc pietatis officio prosequeretur. Librum si quis leget, Auctores carminum noscet, & nostra hujus ætatis ingenia commendatione & laude digna existimabit. Hoc tempore Columnenses omnes præter eos, qui Prænestæ dominantur, & Sabelli, communi consilio, relictis Pontificis partibus, qui cum Venetis sentiebat, Neapolitano Regi adhæserunt, cui Mediolanenses, Florentini, Ferrarienses juncti sunt fœdere; ac paulo post intra Marinum Oppidum Urbi propinquum, & alia ditionis suæ loca regium præsidium receperunt; post etiam Ducem Calabrorum Alphonsum intra suum dominatum vocaverunt. Defectio hæc à principio celabatur, & propterea à plerisque non credita. Tamen nonnulli ex Patribus dissidium formidantes, quod maximi incendii fomentum esse videbant, Marinum, & Ginatianum quoque se contulerunt, ut Columnenses à sententia dimoverent, & Pontifici reconciliarent. Tamdem semper infectis rebus Romam redierunt. Dissidii & defectionis caussæ plures afferuntur; sed ea præcipue, quod nimium crevisse Ursinos apud Pontificem cernerent, majorique apud eum tum gratia & auctoritate, tum etiam stipendio mereri, quibus inferiores nullo modo aut esse aut videri volunt. Nihilominus Prosper Cardinalis, Columnensis frater, Ecclesiæ & Pontifici militabit, à quo etiam mirifice diligebatur. Hoc annotandum duxi potissimum, quod ab aliquibus existimatum est, indignum fuisse, Cardinales quosdam, quorum maxima esset dignitas & auctoritas, profectos esse ad eos rogandos, quorum rogandi, & deprecandi Cardinales officium idoneum magis fuisset, & quod dignitas Romanæ Sedis non erat ita oppressa, ut Protonotarius unus, qui princeps Columnensium erat, à Patribus & Pontifice rogandus esset. Tamen Patres illi, pacis studiosi, & cupidi quietis, rumores vulgi in tam pio & sancto opere parum curabant. Sed, ut dixi, incassum fuere conatus omnes; quinimo, ut suo loco annotabitur, ipse Prosper pridie quàm Calabro castra concederet, misso Romam dispensatore suo, pecuniam non quidem parvam in partem stipendii à Pontificio Quæstore exegit. Ad XXVI. Aprilis, ingressus est Urbem Senensium Orator Laurentius Lautus, Eques, & Jureconsultus, cui Senenses tantum nonnulli obviam exiere, Cardinalisque Senensis familia. Calendis Maji profectus est Pontifex ad XII. Apostolorum Basilicam, cujus ædes inhabitat Julius Cardinalis Sancti Petri ad Vincula ejus nepos. Interfuit Divinæ rei, quæ solemniter acta ibi est, præsentibus Patribus & Curiæ Prælatis; Sacris autem operatus fuit Valentinus Agenensis Episcopus ipsius Cardinalis nepos. Pransus apud nepotem est Pontifex, & ex Cardinalibus octo. Interfuere omnes Vespertinæ orationi, ex loco tamen superiori, qui in Basilicam despicit. Qua finita Pontifex in Vaticanum reversus est, à Patribus de more deductus. Oratores Gallorum Regis Ludovici, quos supra ostendimus Romam venisse, ad diem XI. Maji. Urbe abeunt: Oratores socialis fœderis, videlicet Neapolitani Regis, Mediolanensium, Florentinorum, & Ferrarienſis, qui diu apud Pontificem fuerant pro pace tractanda, vel dimovendo ea à Venetorum partibus. quum nihil proficere potuissent, communi consilio eadem die & hora, rebus desperatis, Urbe abiere, ad diem videlicet XIV. Maji Oratorum nomina hæc sunt. Anellus Arcamonus à Ferdinando Rege, Brandanensis Episcopus ejusque collega, & gentilis ejusdem nominis, & Protonotarius Biragus à Mediolanensi, Guidantonius Vesputius à Florentinis, & . . . . . à Duce Herçule Ferrarienſi, quem Veneti expugnare parabant. Orator hic Neapolim cum Anello Regio profectus est; ceteri ad suos rediere. Ex hoc maxime tempore armorum & belli motus augeri sunt cœpti. Quisque dat operam delectui, quam maxime potest. Romæ per hos dies omnia obstrepunt armis; & ea Urbs, quæ superiori tempore Diplomatibus expediendis solum dare operam consuevit, nunc spe pacis rejecta, præter arma nil expedit. Milites & pedites, & armatos equos ad omnes viarum exitus obvios habent homines. Officinæ nil aliud operantur, quam instrumenta bellica. Varius est vulgi sermo. Belli exitum quisque ex affectu metitur. Vigiliâ Sanctæ Ascensionis Redemtoris nostri in Cœlum, quæ evenit ad XV. Maji, itum est ad Orationem Vespertinam à Patribus in Sancti Petri Ecclesiam. Pontifex non interfuit. Amplissimus Pater Johannes Balves Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Andegavensis Orationi præfuit. Quique etiam

etiam die ſequenti celebritatis ejuſdem Sacris operatus eſt eadem in Baſilica, quibus Patres reliqui etiam interfuere, abſque tamen Pontifice, cujus levem valetudinem aliqui cauſſabant; nonnulli motum fortè tunc bellum cauſſam putant, quod rarò procedit in publicum. Homeliam autem hujus diei ſolemnis peroravit Venerandus Pater Paulus Tuſcanella ex Ordine Judicum Rotæ Palatinæ, vir integerrimæ familiæ & ſummæ auctoritatis apud omnes Curiales. Oratio ejus vehemens habita nimium. Invectus in Pontificem eſt vehementer, licèt abſentem, & in ſuos omnes; à Senatoribus etiam non abſtinuit, adeo ut Chorus univerſus tali oratione commotus ſit. Plerique pudore quodam, quod nimis aperte obloquebatur, vultum demittebant, non auſi illum intueri; plerique fixos oculos in eum tenebant, cum Orationis tum Oratoris intrepidum animum admirantes. Fuere nonnulli, qui non tam Orationem quàm vigorem Orationis commendarunt, lætantes inveniri virum fortem & linguâ liberum, qui abſque formidine loqueretur. Audio relatam fuiſſe Pontifici hominis hujus libertatem in dicendo, ac ſubriſiſſe. Ad diem Veneris XXIV. Maji; quum jam cohortes nonnullæ Pontificis Urbi appropinquaſſent, ut Columnenſes ab injuriis arcerent, vel ſi bene viſum eſſet, adorirentur, nullumque imperatorem haberent, caſtrametatæque eſſent ad Pontem Milvium ſupra Tiberis ripam; Hieronymus Comes, Eccleſiæ imperator, in caſtra profectus eſt, ſecumque adequavit honoris cauſsâ Franciſcus Diedus Venetorum Orator. Diem hunc atque etiam horam obſervatam ajunt à Planetariis fauſtam ac felicem eſſe; quod faciat Dominus pro honore Pontificis & Eccleſiæ ſuæ Sanctæ. Sabbato ſequenti, quo evênit Vigilia Pentecoſtes, Oratio Veſpertina cantata eſt in Sancti Petri Baſilica, cui Patres abſque tamen Pontifice interfuere. Ei præfuit Marcus Prænestinus Epiſcopus, Cardinalis Aquilejenſis, quem Sancti Marci dicimus. Quippe etiam ſequenti die Dominico celebritatis ejuſdem eadem in Baſilica, etiam abſente Pontifice, Sacris eſt operatus. Orationem verò habuit Leonardus Serazanenſis, vir Romæ vix cognitus, attamen, ut audio, & Latinè & Græcè ſatis eruditus. Intelligo non damnatam Orationem (quod quidem his temporibus laudi eſt) ob longitudinem nihilominus reprehenſam. Per hos dies & præcipuè exitu menſis Maji, trepidatum eſt aliquantulum Romæ, & dubitatum de metu aliquo civili, ob propinquitatem Calabri, quem Genazanum XXV cohortibus veniſſe conſtabat. Ad ultimum diem Maji, nonnulli ex hoſtibus, qui in præſidio Columnenſium erant apud Marinum Oppidum, in Romanum agrum hoſtiliter venientes, quaſi à mœnibus Urbis prædam abduxerunt; ſed nihilominus Eccleſiæ exercitus otioſus ad Anienis confluenta conſiſtebat.

Calendis Junii, quæ die Sabbati evênere, celebratum non eſt Veſpertinum ſacrum Vigiliæ Sanctæ Divinitatis à Patribus, ut conſuevit. Timor peſtiſentiæ, quæ jam incipere videbatur, cauſſatus eſt: quo die vulgata eſt publice defectio Proſperi de Columna, germani Cardinalis Columnenſis, dictumque eſt, iviſſe eum obviam Calabro, atque illum in ſua Oppida recepiſſe: quod magni mali initium plerique putant. Ad celebritatem Sanctæ Trinitatis, quæ die 2. Junii evênit, & A Dominico, ut ſemper conſuevit, eo quod octavus dies eſt à Pentecoſtes, convênere Patres in Sancti Petri Eccleſia, ubi ſolemniter Divina res acta fuit. Sacris autem operatus eſt Philibertus Sanctorum Joannis & Pauli Cardinalis Matiſconenſis. Sermonem fecit Petrus Bohemus ex Ordine Prædicatorum, vir in Theologia peritiſſimus, Græceque & Hebraice non mediocriter eruditus. Oſtendit ex ipſo ſuggeſto Patribus picturam quamdam ad rem ſolemnitatis ipſius pertinentem. Longitudine damnatum eſſe, in ceteris verò commendatum intelligo. Hoc eodem die meridiano tempore, Patres omnes à Pontifice evocati in Pontificiam veniunt. Adeſt etiam Hieronymus Comes, conveniuntque Romani Proceres, tam ii, qui ad propinquum Tiberim caſtrametabantur, quàm qui Romæ moram trahebant. Jam enim ob ſeceſſionem Columnenſium & Sabellorum dubitatum eſt, ne in Urbe motus aliquis excitaretur. Comes & Urſini, quorum magna nunc eſt auctoritas & poteſtas, de Columnenſibus & Sabellis in Senatu conqueruntur, vererique ſe dicunt, ne malum omne à capitibus eorum proveniat, Sabellum & Columnenſem Cardinales in Senatu præſentes verbis deſignantes. Ii autem vel pertinacia, vel innocentia moti, magno animo ſe purgare conantur, gentilium ſuorum errorem potius reprehendentes quàm illos excuſantes. Contra illi culpam omnem in eos rejiciunt; ſicque magnis contentionibus Senatus protrahitur quaſi ad ultimam diei horam. Tamdem novo exemplo placuit Pontifici ad evitandum majus malum, quod imminere videbatur, ut duo ii Cardinales quaſi obſides in Pontificia remanerent, & cum iis etiam Marianus Sabelli frater germanus, quamvis vulgatum fuerit, ad id eos ſponte ſe obtuliſſe. His actis Senatus dimiſſus eſt, quod quum ſcitum fuit in plebe, mirum in modum animi omnium moti ſunt ob novitatem rei, & propter diverſa Civium ſtudia, ac trepidatum eſt valde ea nocte de Curialium direptione; tamen beneficio Dei quievit Populus. Nihilominus in Vaticano & tota Pontificia diſpoſitæ fuere ad cuſtodiam turmæ aliquot equitum & cohortes nonnullæ peditum, quæ toto biduo in armis & cuſtodia perſeverantes, inde non abierunt. Cardinales ea nocte & die ſequenti honorifice cuſtoditi fuere, Sabellus apud Julianum Sancti Petri, Columnenſis apud Hieronymum Sancti Chryſogoni Cardinales, Pontificis nepotes, in Pontificia habitantes. Sed ineunte nocte diei ſequentis, qui Lunæ fuit, ambo in Arcem Molis Adriani viâ ſecretâ tranſmiſſi ſunt, à Leone Monſico Præfecto cuſtodiæ Pontificis comitati, cum eiſque Marianus juſſus eſt ire. Columnenſem comitatus eſt Cardinalis Sancti Chryſogoni honoris cauſsâ, ſuſpirantem ac flentem. Unicuique conceſſus eſt Miniſter unus ad corporis curam, juſſique ſeparatim habitare, in ceteris honorifice habiti; interdiu data eis poteſtas eſt inſimul conveniendi atque diſcumbendi. Varius de his ſermo in Populo. Dominus Deus ſit eis comes, & cuſtos; ut enim ſine cauſsâ carceri mancipandi non ſunt, ita leviter liberandi non erunt. Per hos dies, videlicet Lunæ die III. Junii, ingreſſus eſt Urbem Ferricus tituli Sancti Vitalis Cardinalis Tornacenſis, primùm Romam veniens poſt ejus ad Cardinalatum aſſumtionem. Non erat adhuc ei pileus datus; reſtitit autem in Æde

Ma-

Digitized by Google

Mariæ de Populo; ibidem Pontificis jussa exspectans. Hoc etiam tempore vulgatum est Romæ, quemadmodum Andreas Archipræsul Crajanensis pro Cardinali in Basilea se gerit, ibique Concilium inchoat contra Pontificem. Dicitur, Federicum Imperatorem secretò illi assistere, Basileenses aperte sibi favere, ut frequens ibi Concilium congregetur, non tam Pontificis odio, quàm propria utilitate. Die celebritatis Corporis Christi, quæ evenit ad quintam Junii, Calabriæ Dux Alphonsus, quem supra in ditionem Columnensium venisse ostendimus, propinquior Urbi est factus. Nam in clivo Marini Oppidi è conspectu Urbis Romæ castra posuit. Vespertina Sacra eodem celebrata. Sequenti die celebritatis ipsius ante exortum Solem, exercitus Pontificis, quem ad Tiberim prope Milvium Pontem castrametatum esse supra ostendimus, Urbem ingressus est Populari Porta, & in Lateranum devênit; ibique intra mœnia consedit magno Romanorum Civium damno. Ejusdem diei Sacra in Petri Basilica sunt celebrata, præsentibus Patribus & absente Pontifice. Illis operatus fuit Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, Melphitensis nuncupatus. Supplicatio de more acta est ex Pontificio cubiculo, movens usque ad scalas Basilicæ. Infrequens tamen ea fuit propter vicinum hostem non contemnendum, & propter Cardinalium detentionem; timorque pestilentiæ solitudinem auxit. Per hos dies certamina nonnulla commissa sunt inter nostros & regios, levia tamen. Turchi nonnulli, qui apud Calabrum militabant (Janizeros eos vocant) spe melioris fortunæ ad nostros transfugerunt. Pontifex multos jam dies laborans ex podagra domi atque in cubiculo se continet. Excubiæ qualibet nocte in Pontificia & circa eam accuratissime fiunt, à quibus ego non sum immunis. Obtigit mihi tertia nocte majoris Aulæ custodia una cum Demetrio Lucensi Bibliothecæ Pontificiæ Custode, viro erudito, & comitate atque urbanitate maxima prædito. Ad diem Lunæ X. Junii, datus est Senatus publicus amplissimo Patri Ferrico Cluniaco tituli Sancti Vitalis Cardinali Tornacensi, quem ad Ædem Popularis Virginis venisse superius dictum est, ubi aliquot dies exspectavit vocari à Pontifice. Tamdem primum eo die in Senatu receptus est, eique Pileus datus juxta consuetudinem est, quem præferebat Andreas Brixiensis Pontificis tonsor, eidemque interior Cubicularius. Eodem in Senatu relatum de novo Solicitatorum Collegium, ac probata ejus ordinis institutio. Mercurii die XII. vulgatum est tota Urbe, Calabrum ad portas usque excurrisse Urbis. Nostri ad eam vocem non impigre obviam exeuntes, hostium neminem invenerunt, quamvis ad veteres aquæductus usque, quas Formas appellant, processerint; etenim venturos illuc contra se hostes intelligentes, sese in munimenta receperant. Die, qui sequutus est, publicata fuere in Cancellaria Apostolica Diplomata Pontificia novi ordinis Solicitatorum, ac palam recitata per Sinolphum unum ex iis, cui institutionis cura fuerat demandata. Aderat Vicecancellarius, & Cancellariæ totius Præsidens, ac frequens Curialium numerus rei novitate accurrens. Sequenti verò Sabbato ad XXV. Junii, exerceri cœptum est munus ipsum, utinam bonis auspiciis. Die XII. nihil Romæ actum intelligo notatione dignum. Levia quandoque certamina commissa sunt à nostris & Calabri militibus, ut accidit inter propinquos hostiles exercitus, sed nullius momenti. Per hos dies Nicolaus Vitellius Tifernas, qui plures annos exul fuerat, intra Tiferni mœnia à Civibus sectæ suæ recipitur, decem cohortium præsidio munitus, faventibus, ut palam dictum est, Federico Urbinatense, & Constantino Pisaurense. Quo nuntio Romam perlato, motus indignatione Pontifex, confestim jussit ire illuc Laurentium Patriarcham Antiochenum & Julium Camerinensem cum aliquot cohortibus ad reprimendos motus, & confirmandos animos Præfectorum Arcium, quas jam Vitellius obsidebat & oppugnabat. Interim verò Robertus Malatesta Veneti exercitus imperator, & Johannes Franciscus Tolentinus, qui cum aliquot turmis in auxilium Pontificis properabant, jussi sunt Tifernum divertere, & Camerinensi atque Antiocheno se jungere ad resistendum Vitellio; sed, ut visum est postea, fuere in cassum conatus omnes Pontificis; nam Arcium Custodes pecuniâ corrupti Arces ipsas Vitellio tradiderunt, & Pontificiæ copiæ in Tifernatem agrum ad eum devastandum discurrerunt. Is motus de industria à Fœderatis in ea provincia excitatus fuit, ne Venetorum copiæ, quas dixi, exercitui Pontificis jungerentur; sed præter spem accidit eis; nam Pontifex, relictis rebus Tifernatibus, Robertum & Tolentinensem evocavit, ut Urbem, quasi à Calabro obsessam obsidione liberaret, ut loco suo ostendetur. Profesto Apostolorum Petri & Pauli, quod die Veneris evenit, profecti sunt Patres ad orationem Vespertinam, quæ acta est in ipsius Petri Basilica. Ei præfuit Cardinalis Neapolitanus Oliverius, Albanus Episcopus. Pontifex non interfuit, & pauci admodum tam Patrum & Præsulum, quàm aliorum inferioris ordinis. Sequenti celebritate convenere etiam Patres in eadem Basilica, idemque Cardinalis Sacris est operatus. Pontifex, ut pridie, non interfuit; Patres tantùm decem, ut in Vigilia, intervenere. Ad ultimum diem Junii, qui Dominicus fuit, Venetorum classis, quæ navigiorum centum esse dicitur, ad litora Aprutii & Apuliæ delata est. Octingentos equites in ea esse dicunt, quos Lingua Illyrica, seu Græca materna Stratiotos appellant. Ii velocitate mira equorum parvo tempore spatia lunga percurrunt, ac quæque obvia tam pecora quàm homines abigunt, fruges corrumpunt, Villas & domos comburunt. Portum Sancti Viti, Arcem Piscariæ, & nonnulla alia Oppida occupasse primo impetu relatum est, & captivos etiam aliquos adduxisse. Classis Præfectum .... Loredanum esse dicunt, virum nobilem, & navalis artis peritissimum. Eodemque die, ut de utraque re intellectum est postea, Ficarolum Oppidum supra Padi ripam positum, à Venetis est expugnatum Roberti Severinatis auspiciis, quem Veneti exercitus imperatorem adversùs Ferrarienſem, ejusque fœderatos jam diximus. Per hos dies Romæ nihil notatione dignum actum est. Calaber ad Marinum considet; nostri in Laterano se continent. Romanus ager à nostris, & aliis diripitur, ex quo Romani quotidie apud Pontificem & Hieronymum Comitem, copiarum Pontificis imperatorem, mirifice conqueruntur; sed surdo narratur fabula. Turmæ equitum duæ his diebus cum impedimentis, quæ à Rege Ferdinando in Calabri subsidium mitte-

Digitized by Google

tebantur, à Columnenſibus Prænestinis, qui ſoli ex ea familia fidem Pontificis ſequuntur, interceptæ fuere; equi, arma, & impedimenta retenta ſunt, dimiſſis hominibus de more.

Die Jovis XI. Julii, Portæ Urbis uſque ad tertiam diei horam apertæ non ſunt; Hieronymuſque nocte, quæ præceſſit, & hoc eodem die in Pontificia ſe continuit. Beneventum per hos dies in Ferdinandi partes conceſſit; Terracinaque a Pontificis obedientia recedens, fidem Aragonenſium eſt ſequuta, pulſis Eccleſiaſticis. Paulo verò poſt Arx quoque in Ferdinandi poteſtatem devenit, Præfecto ſponte ſe dedente, qui Abbas erat ex Ordine Vallis Umbroſæ, & à Forlivio tamquam fidelis accitus. Pecuniâ corruptum eum dicunt, & ſpe alicujus Præſulatus à Ferdinando allectum. Robertus Malateſta Ariminenſis, Sigiſmundi filius, clarus militiæ imperator, Venetis militans, qui ex fœdere Pontifici ſubſidia tunc miſerant, Urbem eſt ingreſſus die Martis XXIII. Julii menſis; & obviam itum eſt à nonnullis Cardinalium familiis, ſed in primis à Pontificia, quæ quum intellexiſſet, per Portam Populi ingreſſurum, ad eam profecta eſt. Quum verò nuntiatum eſſet, ad Portam Vaticani illum venire, per eamdem viam regreſſa in aream Baſilicæ beati Petri, ſibi occurrit, ibique ſibi ex more congratulata, cum familiis reliquis deduxit eum ad Baſilicam beatæ Mariæ Majoris, ubi Pontifex hoſpitium ſibi parari juſſerat. Tota Curia hujus adventu lætata eſt, & in ſpem elata victoriæ. Romana Plebs dictitabat palam, hunc eſſe, qui redemturus eſſet Iſraël; erat enim & Curia omnis, & Romana Urbs fere obſeſſa à Duce Calabro Alphonſo, qui Columnenſibus & Sabellis ſeum contra Pontificem ſentientibus, fere obſeſſam tenebant. Comes Hieronymus & Orator Venetus, qui Romæ morabatur, uſque ad Milvium Pontem Roberto obviam ierunt, & ad ædes, quas paratas jam dixi, una cum reliquis honorifice deduxerunt. Sequenti die Robertus à Pontifice auditus eſt privatim. Ad XXVII. Julii, Cardinales & Pontificis Pauli affines ejuſdem Pontificis Anniverſarium celebrari curarunt in beati Petri Baſilica; ſed poſt biduum, videlicet ad XXIX. jubente Pontifice idem Anniverſarium celebratum eſt in Pontificia de more. Ipſe tamen Pontifex valetudine detentus non interfuit. Cardinales decem fuere. Achilles Mareſcottus Bononienſis, Cervienſis Epiſcopus, Sacris eſt operatus. Intra Miſſæ ſolemnia extra morem hæc animadverti: genuflectitur à Patribus & aliis, quum pro Defunctis oratio decantatur. Ad lectionem Evangelii cerei non incenduntur. Iterum ad *Sanctus Sanctus* genuflectunt Cardinales, nec ſurgunt, priuſquam dicatur *Per omnia ſecula ſeculorum*, Amen. *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*; & etiam autem Sacris ſternitur niger pannus ante altare, & agitur cerimonia conſueta pro Defunctis ab eo, qui celebravit in pluviali; ea nota eſt. Per hos dies, triremis una Regia, cujus Præfectus erat Franciſcus Paſtoris, quum ad litus Lavinum appuliſſet, & Præfectus in terram deſcendiſſet, ut cum Duce Calabro loqueretur, à navicularis ſubducti, auctoribus decem & octo Turcis, qui capti ad miniſterium remorum tenebantur, in oſtia Tiberina delata eſt, & Pontifici ſe tradidit; illi ob id in libertatem vindicati. Anniverſarium aſſumtionis Xiſti hodie, Veneris die Auguſti IX. celebratum eſt in Aula Pontificiæ. Johannes Balvæ Cardinalis Andegavenſis Sacris eſt operatus. Ipſe Pontifex illis interfuit, qui multis antea ob malam valetudinem non interfuerat. Ignes ob lætitiam tota Urbe facti, ineuntibus tenebris tam præcedentis quàm præſentis diei. Ad diem XIII. præfati menſis, moritur Guillermus à Ruvere ſororis Pontificis filius, peſtilentiâ tactus, eadem in domo, qua ante annos duos obierat Antonius germanus ejus. Die Jovis, Aſſumtionis beatæ Mariæ Virginis circa meridiem ingreſſæ ſunt Urbem Venetorum copiæ in auxilium Pontificis miſſæ, quibus præerat Robertus Ariminenſis, cujus adventum ſuo loco notavimus. Cum iis erant etiam cohortes nonnullæ Hieronymi Comitis, quibus præerat Johannes Franciſcus Tolentinas à Forlivio venientes. Omnes inſimul fuere numero XXXII. Per Portam Sancti Petri introierunt, quælibet ſuo ordine. Singulas ſpectavit Pontifex è feneſtris ſuperioribus ac benedixit. Continenter per Urbem tranſeuntes, per Portam exiere, & ad . . . . . lapidem caſtrametatæ ſunt in loco, qui dicitur . . . . . Tota Urbe, dum tranſierunt, conclamatum eſt more bellico, & invocatum non modò Pontificis & Eccleſiæ nomen, ſed etiam Sancti Marci, Venetæ gentis, & Urbis illius Cuſtodis; vexillaque cum eorum inſignibus una cum Pontificiis totâ perlata Urbe: quod à nonnullis reprehenſum intelligo, dicentibus, ſolùm Pontificis & Eccleſiæ nomen in Urbe Roma invocari debuiſſe. Congreſſus copiarum Eccleſiæ & Calabri accidit die Mercurii XXI. Auguſti menſis in campo, quem Mortuum dicunt, ad beati Petri Baſilicam pertinente prope Velitras Oppidum, in quo profligatus eſt Calabri exercitus; ipſe fugam arripuit, plerique ex ſuis capti Romam poſt dies duos ducti ſunt. Emicuit eo in prœlio Roberti Malateſtæ ducis exercitus virtus, quem dicunt operâ imperatoris & militis ſtrenue uſum eſſe. Pugnatum acriter ab hora XVI. diei, uſque ad tertiam & vigeſimam. Ad quintam ſequentis noctis horam Romam victoriæ hujus nuntius ad Pontificem allatus eſt. Illico tota Urbe campanarum ſonitu lætitia ſignificata eſt. Biduo Sacra ſolemnia ob victoriam ſunt celebrata in Æde Populi, ad quam profectus eſt Pontifex cum Patribus, & Prælatis, & Curiæ Magiſtratibus; ignes tota Urbe ineuntibus tenebris ob lætitiam excitati; plena omnia lætis clamoribus, gaudium, lætitiamque ſignificantibus. Plurimi in acie etiam Eccleſiaſtici vulnerati, pauci cæſi; equorum utrimque maxima ſtrages. Ex captivis, qui Romam ducti ſunt, principes ii fuere, Dux Melphitenſis, Roſſettus Capuanus, Matizellus, Baptiſta Collatus, Ludovicus Capuanus, Vicinus Urſinus, Hieronymus Magnanus, Jacobus Mottella, Jacobus Caldora, Georgius Carrara, Petrus Paulus Saxeta, Major Domus Ducis, Visbala, Ringerius Lagaimus, Antonellus Palellus, Johannes Narla, Ferrantes Siculus, Baronus Gillietus. Alii præterea Nobiles quamplures ad Ducis cuſtodiam deſignati, quorum obſcura ſint nomina, excedunt tamen numerum CCCLX. paſſimque poſt biduum plurimi capiebantur, & in Urbem ducebantur. Ipſe Melphitenſis diebus pluribus in Pontificia honorifice admodum habitus, cum Pontificis gratia ad ſuos revertitur. Apud Germanos Leodienſis nomine Ludovicus, Borbonia nobiliſſima familia, interemtus eſt à Guillermo Arembergenſe nobili Leodienſe,

se, paulo extra Civitatem Leodiensem die Veneris penultimo mensis Augusti. Marinum Oppidum Columnensium, & nonnulla alia Oppida à Columnensibus, & Calabro, Pontifici se dedunt, seque ad Ecclesiæ partes convertunt. Pontifex die Nativitatis beatæ Mariæ Virginis rediens ab Æde Populi, ubi Sacris interfuerat, tribus tantum domesticis Cardinalibus comitatus, divertit in ædes Johannis Jacobi Sellaferrata, Cubicularii sui, Electi Parmensis junctas Ecclesiæ Sancti Simeonis; ibique est pransus. Quievit ibi ad XXI. ejus diei horam; post quam in Vaticanum reverti tur, iisdem Cardinalibus, eorumque familiis comitantibus. Nam Patres ceteri ignorantes Pontificem illuc euntem, ad Ædem beatæ Mariæ majoris processerant, eaque de causa Pontificem non sunt sequuti. Per hos dies è vita excessisse intelligo Robertum Malatestam Venetorum imperatorem, quem paulo ante Romam venisse, & Calabrum profligasse demonstravimus. Post cujus ingressum ego Urbe abieram, in Etruriam proficiscens. Ideoque quæ usque ad Octobris initium accidêre, vel non scripsi, vel nuntiata ab aliis annotavi, non tam certis nominibus, & diebus, quàm si præsens ipse fuissem. Sed de Roberti valetudine, obitu & funere hæc accepi. Paulo post victoriam, dum adhuc esset in castris, fluxu sanguinis aliquot dies languisse; ut tamen commodius valetudinem curaret, contulisse se Valmontonum familiæ Comitum Oppidum; inde quum febri nimium vexaretur, hortante Pontifice, in Urbem Pontificiâ lectică delatum, in ædes Stephani Cardinalis Mediolanensis divertisse; quem in lecto jacentem Pontifex visitare dignatus est. Funus Cardineo more in beati Petri Basilica intelligo celebratum, Vintimiliensem Antistitem Orationem habuisse, Pontificisque & Patrum præsentiâ ornatum. Intellectum postea est id, quod plane constare potest, eodem die, quo Romæ Robertus, Federicus quoque Feretranus Dux Urbinas, Ferrariæ moritur; hic Socer, ille Gener; ambo, ut locis diversis, ita inimicorum exercituum imperatores; eademque hora Roberti conjugi apud Ariminum, patris, & mariti mors nuntiata. Paulo post Roberti obitum, ne quid in ea provincia novarum rerum excitaretur, mittitur illuc de Latere Legatus idem Cardinalis Mediolanensis, qui mœstam familiam solatus est, Civitatemque & provinciam in pace & Ecclesiæ fide continuit. Creditum est à plerisque (ut est in omnibus liberum judicare) Roberti obitum magis usui quàm detrimento fuisse rebus Ecclesiæ; erat namque, ut ii dicebant, tam à natura quàm à tam recenti victoria ita animo elatus, ut numquam pro his, quæ egerat, existimasset sibi à summis Pontificibus satisfieri potuisse; non Oppida Ariminensia cum appendicibus, non Fanensis Civitatis, & Senogalliæ Vicariatum digna suis meritis credidisset. Itaque non tam pro obitu dolendum, quam quod non convaluerit mirifice lætandum Dicant tamen, & judicent, qui velint: id nemini dubium esse potest, quin terrorem maximum à cervicibus nostris depulerit. Insultabit quotidie Calaber Urbi, & tamquam novus Annibal pluries & Romanos & Curiales non parum formidare coëgerat. Dominus Deus ejus animæ propitietur. Qui provide cuncta moderatur, tunc eum mori voluit, quum fuit ingens ejus gloria, ne fortè casu aliquo, ut quandoque accidit, vel minueretur vel in ignominiam verteretur. Mitto quæ in reliquum Septembris evenere propter absentiam meam mihi prorsus ignota: Nam Roberti sepulcrum marmoreum, in Petri Apostoli Basilica in insigni loco constitutum, videtur ab omnibus hodie.

Ad primum mensis Octobris, Johannes Andreas Grimaldus, domus & familiæ Pontificiæ Præfectus, & Philippus à Ponte Curvo ærarii Pontificii Notarius, à Marino redeuntes, quò propter publica Pontificis jussu se contulerant, in manus hostium incidêre, & illico Ardeam deducti, & custodiæ tamquam captivi sunt traditi. Sed sequenti die Philippus aureis centum se redemit, & Romam celeriter rediit, priusquam ad Ferdinandum nuntius de se pervenire potuerit, qui male erga Pontecurvanos omnes animatus esse dicebatur. Grimaldus vero nomine celebrior, fidâ custodiâ servatus, post paucos dies jussu Regis Neapolim traducitur. Die celebritatis beati Francisci, quum non sint Sacra ex instituto Pontificio consueta, tamen religione sua Pontifex, quod à pueritia ordinem illum professus fuerit, in beati Apostoli Basilicam descendit, consuetâ sellâ delatus, domesticâ tantùm familia comitante, & familiari veste amictus. Interfuit Vespertinæ orationi in Sacello nuper à se dicato. Ex Patribus solus Recanatensis interfuit. Pontifex ad XXIII. diem ejusdem mensis Octobris, quæ Martis fuit, languentem Salernitanum Archiepiscopum in cubiculo visitavit; piis & amantissimis verbis senem solari conatus est; inde per posteriora Pontificiæ ad Pontem vectus est relaxandi animi gratiâ. Portâ Flaminiâ, inclinante jam Sole, in Vaticanum revertitur, octo tamen ex Patribus Beatitudinem suam comitantibus. Sequenti Sabbato quum nuntiaretur Pontifici, Archiepiscopo parum esse spei, nisi ejus præsentia languenti subveniret, iterum ad eum accessit, & quantum potuit bono animo esse jussit; sed trahenti ægre animam solus Deus mederi potuisset. Eodem die, ingressi sunt Urbem Legati Ferdinandi Regis Castellæ, quibus itum est obviam à Pontificis & Patrum familiis ad Portam Lateranensem, credo enim, quod à Neapoli venirent. Princeps Legationis erat Gerundensis Episcopus; tum Barchinonensis, qui manebat in Curia; tertius cum Gerundensi ex Hispaniis venerat. Sed Lunæ die, qui sequutus est, quo cecidit Simeonis & Judæ celebritas, vitâ excessit Salernitanus, quem dixi, maximo bonorum omnium sui relicto desiderio. Nomen ei Petrus Guiliermus, Roccha cognomen, natione Hispanus, patria Valentinus, oppido Sciativa celeberrimo ortus; quippe quod Calixtum Tertium Pontificem maximum tulerit, & nepotes, ejus duos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Rodericum & Ludovicum, nec non Ausiam Sanctæ Sabinæ etiam Cardinalem, quem Montis Regalis dicimus. Erat Roccha, qui primus de supplicationibus ad Pontificem, & plerumque pro Pontifice signaret; summa ei fides adhibita; Pater certe omni veneratione dignus, non minus famæ quàm ætatis, annos jam octoginta natus, ut creditur; Cardineo munere in primis dignus; sed Patrum diversa studia non tam ut ei abesient, quàm ne quosdam indignos reciperent, qui secum in petitionem veniebant, sibi obfuerunt; & ita colendissimus Pater ea dignitate non suâ culpâ fraudatus est, cum ejusmodi desiderio moriens: quod ut illi evenit, ita vidi nonnullis aliis evenisse, &

Digitized by Google

videbo quoque ſi vixero. Veſpere pro feſto Sanctorum omnium diei Sacra de more celebrata fuere in Beati Petri Eccleſia, ad quam deſcendit Pontifex cum Patribus; Sacris operatus fuit Cardinalis Melphitenſis. Homeliam peroravit Bernardinus Carvajal Hiſpanus, Pontificis Cubicularius, vir inelegans, ſed plurimum Sacris Literis eruditus. Contingit hic cognatione (quod Cognomen indicat) Reverendiſſimum Patrem Cardinalem Sancti Angeli, Portuenſem Epiſcopum, qui Romæ ante annos circiter XV. obiit, perenni & immortali fama de ſe relicta; commemoratioque Defunctorum fit eodem die in Aula, qua pro Sacrario utuntur. Sequenti die, Sacra pro Defunctis eodem loco ſunt acta per Cardinalem Sancti Petri, ſummum Pœnitentiarium; cerimonias verò poſtremas egit Pontifex pro more. Comes IX. Novembris ab exercitu in Urbem rediit, copiis in hyberna relictis. Die Martis XII. in Æde beatæ Mariæ de Populo Sacra funebria pro Salernitano celebrata ſunt, Cardineâ fere pompâ. Antebarenſis illis eſt operatus, Vintimilienſis oravit; uterque in ſuo miniſterio commendatus. Nocte, quam ſequutus eſt dies feſtus Sancti Clementis, exortum eſt incendium in ædibus Mercatorum de Spinellis. Vidit illud Pontifex eadem via manè diei illius ad Ædem Clementis proficiſcens. Quo in loco veneratis aris pro more, in Vaticanum reverſus eſt, Patribus uſque ad Pontem Adriani comitantibus. Non fuit commendatus Pontifex, quod ſub ædibus Sabellorum tranſiſſet, ideoque fortè admonitus per aliam viam in Pontificiam reverſus eſt. Ad diem Jovis Novembris XXVIII. publico præconio tota Urbe publicatæ ſunt induciæ inter Pontificem ex una, & Ferdinandum & Sociales ex alia, ad beneplacitum partium diebus XV. enuntiatis, ſi revocari illas placeret. Profeſto Natalis Domini Salvatoris, quod die Martis evenit, deſcendit Pontifex cum Patribus in beati Petri Baſilicam ad orationem Veſpertinam de more. Priuſquam Populo benediceretur; juſſit Pontifex recitari ex pulpito Pacis nuper initæ conditiones per Ugonem Bentium Apoſtolicæ Sedis Subdiaconum. Addiderat Pontifex paulo ante Genuenſium adhærentiam, quod caput quum lectum non fuiſſet; valde commota eſt ſua Beatitudo. Quod quum aliqui culpam in lectorem rejicerent, magno animo honorem ſuum Bentius tutatus eſt, ac per Pontificem erroris cauſsâ cognitâ, propter longiorem moram in legendo extracta eſt oratio ad primas noctis tenebras. Pacis hujus conditiones non omnes, ſed quæ memoriæ retineri potuerunt, hæ ſunt. Pax perpetua ita enim eſt dictum. Fœdus in annos viginti. Ab armis diſceſſus repentinus. Venetis honorificus locus ſervatus, ſi & ipſi fœdus ingredi voluerint; & triginta dies ad id conceſſi. Totidem dies Potentatibus ceteris dati in id fœdus venire volentibus. Ratæ ac firmæ ſint Apoſtolicæ proviſiones hactenus factæ, faciendæ verò nullo modo aut colore impugnandæ. Defenſio Ferrariæ. Stipendium Hieronymo Comiti in annos tres XL. aureorum millia pro rata ab unoquoque Potentatuum. Equites num. . . . . Pedites num. . . . . & equorum ſtipendium pro rata. Defenſio mutua. Ablata in præſenti bello reſtituenda ante omnia. Nicolai Vitellii Tifernatis Oratoribus Regis Hiſpaniæ poteſtas omnis tributa ad menſes quatuor. Columnenſium & Sabellorum ſtatus omnis poteſtati & arbitrio ſolius Pontificis dimiſſus. Cardinalis Columnenſis, & Sabellus itidem. Cardinali Mantuano Legato in omnes fœderatorum copias imperium tributum. Virginio Urſino ſtatutum ſtipendium, æquis portionibus à Pontifice, & Rege. Regis filia Virginii filio deſponſata; Taliacotiæ & Albæ Comitatus promiſſus, &c. Eodem die exſpectatus eſt Calaber in Urbem venturus; ſed valetudine impeditus quatriduum eſt remoratus. Die ſequenti Natali Dominico, Sacra de more in eadem Baſilica celebrata. Pontifex interfuit & Patres; Vicecancellarius eſt operatus; & Salvatoris facies oſtenſa. Die Protomartyris Sacris operatus eſt Sancti Clementis Cardinalis. Marſus oravit, Mantuani contubernalis. Sequentibus pro Johanne Evangeliſta etiam oderatus eſt Cardinalis . . . . . Hieremias Volaterranus, municeps meus, Orationem habuit. Eodem die Urbem ingreſſus eſt Calaber, cui itum eſt obviam à cunctis Patribus, & à Porta Sancti Pauli in Vaticanum uſque deductus, in publicum Senatum ad id vocatum receptus, ad pedis, manus, & oris oſculum admiſſus. Stans brevibus loquutus eſt; frequenter tamen, dum loqueretur, reverenter admodum in genu procumbebat; & à throno Pontificis deſcendens, Patrum ſingulos eſt veneratus ad eorum ſubſellia. Quo facto Senatus dimiſſus eſt; Pontifex in cubiculum rediit. Dux nonnullis comitantibus, in inferiora cubicula divertit. Patrum plures die, quæ ſequuta eſt, Calabrum ad ejus cubicula viſitarunt; ipſe ad nullius ædes acceſſit, præter Hieronymi Comitis ſalutandæ conjugis gratiâ, adequitante ſecum ipſo Hieronymo. Dominico die infra Octavam Nativitatis extra ordinem celebrata ſunt Sacra in Pontificia aula conſueta. Pontifex & Patres interfuere, quibus Melphitenſis eſt operatus. Calabro inter primos Patrum datus eſt locus, & honore eodem, quo Regis filius habitus. Tradidit illi Pontifex enſem proximo Natali benedictum, præcedentibus paternis & ſanctiſſimis monitis, recitatiſque ex Libris Cæremonialibus nonnullis, & aliis, quæ ſua Sanctitas ad idem miniſterium ſcripſerat. Dux ſacrata dona recipiens reverenter, præteritorum erratorum ſuppliciter petitâ veniâ, promittens deinceps obedientiam Eccleſiæ & Pontifici, rediit ad ſua cubicula, enſem manu geſtans, medius inter duos Patrum, qui in ordine poſtremi ſunt, cunctis aliis de more præcedentibus; ac longa poſt eum tum Prælatorum, tum Procerum turba. Sumto autem prandio, longo temporis ſpatio cum Pontifice remotis arbitris loquutus eſt; viſus eſt hilaris; & ſubridens à ſua Beatitudine receſſit una cum Hieronymo Comite. Die Lunæ, qui ſequutus eſt, & is fuit menſis XXX. receſſit Calaber per Portam Populi, cunctis Patribus, præter Venetos & familiam Pontificis, illum comitantibus uſque ad Portam, ubi complexibus dictum eſt Vale. Ferrariam versùs iter cepit, ut Sororio ſuo, paternam fidem ſequuto, opem ferat, Venetorum obſidione laboranti. Noningentos equites ſecum duxiſſe ferunt inter eos, qui de familia domeſtica nuncupantur; reliquas copias infra triduum ſubſecuturas dicunt. Per hos dies nuntiata Carinenſis captivitas apud Baſileam Germaniæ Civitatem. Captum fuiſſe dicunt in Senatu Civitatis, Cæſaris mandato & Pontifice petente.

Anno

Anno MCCCCLXXXIII.

CAlendis Januariis, quibus Romano more datur anni initium, de more celebrata sunt Sacra. Rem divinam egit Cardinalis Sanctæ Sabinæ. Pontifex non interfuit. Quidam Carmelita Orationem habuit. Cardinalis Mantuanus III. die hujus mensis, ut est postea nuntiatum, Ferrariam ingressus, summa lætitia & communi gaudio exceptus est. Vigiliâ Epiphaniæ, nec celebritate sequenti, Pontifex Sacris interfuit. Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu rem Divinam egit in beati Petri Basilica; Alexander Cortesius, modestus & eruditus juvenis Orationem habuit. Furtum insigne Bernardi Maximi Romani Civis de vasibus argenteis Cardinalis Rotomagensis biduo ante ipsius obitum patefactum; nec tamen sibi, ut audio, indicatum. Mira Bernardi industria, tam in perpetrando facinore quàm in argento exportando; nec minor in petenda sibi fuga salute. Ipse autem Cardinalis nocte diei Mercurii, qui XXII. Januarii fuit, in suis ædibus apud Apollinarem moritur, Pater non minus annis (octogenarius erat) quàm omni pretiosa supellectile, & locupletibus Sacerdotiis onustus, quippe qui ultra annos octo & triginta in Cardinalatu fuerat, maximis Regum & Principum chientelis clarus. Camerariatum etiam, defuncto Latino Ursino, adeptus est. Cœnobia multa, quibus præfuit, præcipue extra Italiam, ornavit & ampliavit, & Sacris vestibus decoravit. Romæ testimonium perhibent Basilica beatæ Mariæ Majoris, cultu præcipuo & religione semper à se habita, & Templum Augustinense paulo ante obitum à fundamentis instauratum. De hoc Patre plura dici possent, quæ nunc narrare non est instituti mei. Defuncti corpus in ædium suarum aula cum Episcopalibus insignibus positum de more. Oratio ibi matutina pro Defunctis, Patribus præsentibus, dicta; inde cadaver in proximam Augustinensium Ædem delatum. Tumultus ibidem excitatus à Canonicis Sanctæ Mariæ, asserentibus sibi vestem Sacram deberi, quæ pretiosa admodum erat. Audio in eo tumultu annulos è defuncti Patris digitis detractos esse. Tamen prævaluerunt Augustinenses, quum in ædibus propriis esset contentio, quamvis dictum fuerit eos postea convenisse. Die Veneris, qui sequutus est ad XXIII. Januarii, Raphaël Cardinalis Sancti Georgii, Hieronymi nepos, cui statim de Camerariatu provisum fuerat, munus inchoavit, & in ærario Pontificio cum Præsidentibus sedit, immo ceteris præfuit, jure jurando in Pontificis manibus præstito. Mirari audio quosdam, quod in Senatu datum non fuerit. Ad XXIX. ejusdem, & diem Mercurii, funeralia Sacra de more cœpta sunt apud eamdem Augustinensem Ædem. Belves Cardinalis Andegavensis rem Divinam egit; Silvester ejus Ordinis Procurator Orationem habuit. Pontificis familia Sacris interfuit, quod (ut audio) consuetum non est. Calendis Februariis, quæ Sabbato evenerunt, quum esset dies admodum læta, Pontifex quum multos dies visus non fuisset, ad Virginem Populi profectus est, unde aris veneratis in Vaticanum reversus est, plerisque Patrum comitantibus usque ad Pontem Adriani. Purificationis solemnitatem, quæ in Sexagesimæ Dominica cecidit, jussit Pontifex in diem sequentem transferri, & eodem die Candelarum veterem morem servari. Diei hujus Divina Cardinalis Sancti Vitalis Episcopus Taurinensis administravit. Agonales Ludi pluribus annis intermissi, hodie sextâ Februarii, ornatu & varietate admodum celebres, instaurati sunt. Frequens Populus, & nonnulli ex Patribus è fenestris spectantes visi sunt. Dominicâ in Quinquagesima, prandet Pontifex apud Parmensem, familiâ domesticâ dumtaxat comitatus, & iens & rediens. Sequenti die Lunæ, ingressi sunt Legati Italici Fœderis primum post factam pacem. Die Cinerum, Cardinalis Sancti Petri Sacris est operatus, & Pantagathus Firmanus Antistes eleganter oravit. Ad diem XIV. quæ Veneris fuit, Legatus ad comprimendos Senensium motus designatur Cardinalis Melphitensis, & domum pro more deducitur. Quo quidem die primùm Legati Fœderis audiuntur. Postmeridiano tempore proficiscitur ad Stationem Sancti Petri ad Vincula. Inductus in hodiernum Senatum ad XXI. Februarii Cæsaris Orator ex Minorum Ordine, petiit habendam sui rationem à Pontifice & Patribus, quod ejus operâ & industriâ Grainensis custodiæ traderetur. Auditus abire jussus est; rogatæ Patrum sententiæ; plerique in Pontificis sententiam devenere, qui illum hue ad se mittendum desiderabat, & nisi mitteretur, Cæsari tribuendum dicebat. Solus Senensis visus est à ceteris dissentire. Cæsaris plura & magna in Romanam Sedem officia commemoravit; asserens in Cæsarem culpam minime rejiciendam, nisi in contrarium ejus studia cernerentur. Tamdem delecti Patres, apud quos de iis ageretur. Die Cathedræ, descendit in Basilicam Pontifex in veste domestica, & domesticâ familiâ comitatus. Secundâ Dominicâ Quadragesimæ Sacris operatus est Conradus Spoletinus Antistes. Minorum Procurator Vigevenus oravit. Pontifex interfuit. Matthiæ Apostoli celebritate, Pontifex meridie admodum læte proficiscitur ad Clementis Basilicam, Dominici Cardinalis Ecclesiam titularem; unde, aris veneratis, ventum est ad Mariæ Majoris Basilicam; post de Populo; ultimo ad Templum Pacis; inde in Vaticanum est reversus, ad Pontem usque comitantibus Patribus. Vocatis in Senatum Patribus die Stationis Cæciliæ, ac parumper immoratis, eo dimisso, iere omnes illuc, & facta oratione quisque ad suam revertitur. Sacris Dominicæ tertiæ Georgius Beneventanus Episcopus operatus est. Pontifex non interfuit. Dominicâ Quartâ Sacris operatus Ulixbonensis. Rosa benedicta nemini datur. Carmelita Barchinonensis omnium commendatione oravit. Dominicâ, quam de Passione dicimus, egit rem Divinam Galeatius Agonensis Episcopus, Mariolæ neptis Pontificis filius. Bartholomæus Manfredus Pontificiæ Bibliothecæ Præfectus Orationem habuit. Argumentum de Sacerdotio, & Sacerdotum dignitate. Palmarum cerimonia, ut consuevit, est acta. Pontifex interfuit, & manibus suis Palmas distribuit, & projecit è pulpito consueto. Matisconensis operatus est Sacris; evenit autem ad XXIII Martii. Per hos dies apud Cremonam habitum est Concilium Principum & Procerum novi Fœderis, cujus caput fuit Cardinalis Mantuanus Legatus. In eo de ratione belli actum est. Quid ibi decretum fuerit, & Principes, qui intervenerunt, mihi non constat ad hunc diem. Si haurire aliquid potero, addetur inferius. Sedente Xisto, Anno XII. Die Cœnæ Domini, acta fuere

ſuere Sacra conſueta, operante Vicecancellario. Pontifex ad benedictionis locum deſcendit, & Populo benedixit. Lecta Diplomata per Gabrielem Sclanafanatum, & à . . . . . maternis verbis enuntiata. Sacris Feriæ ſextæ Major Pœnitentiarius eſt operatus. Sabbati verò Cardinalis Agrienſis. Leonardus Serazenenſis pridie de Paſſione Sermonem habuerat. Reſurrectionis Dominicæ ſolemnibus, Pontifex in Petri Baſilica egit rem divinam, ſedens ſemper, quum ad aram ſtare videretur; tam commode erat ſella diſpoſita. Abſolutis Sacris, oſtenſum eſt Salvatoris Sudarium, & ex pulpito Populo benedictum. Sequentibus duobus diebus, Novarienſis primo, Tornacenſis ſecundo, Cardinales ambo, operati ſunt Sacris. Secundis tantum interfuit Pontifex. Sequenti die Veneris Aprilis IV. profectus eſt Pontifex ad Ædem Populi Xiſtinâ Viâ, Latâ vero reverſus. Eduardus Britanniæ Inſulæ Rex inclytus per hos dies moritur apud Londonas. Dictum eſt ad nonam præſentis menſis: pro vero affirmare non auſim. Vagatur hodie Pontifex Aprilis XVIII. per vicinos colles Pontificiæ uſque ad Marii Montem, domeſtico tantùm famulatu comite. Sequenti die, qui Sabbatum fuit, proſectus eſt ad Populi, & Pacis Ædes. Iter ei Viâ Xiſtinâ & Latâ ad Floræ Forum; à Damaſo divertit in Parionem, & Pacis Templo viſitato rectà pervenit ad Pontem, ubi decem Patribus dimiſſis, cum ſuis ipſe in Pontificiam eſt reverſus. In Exquiliis prope Pomponii domum die Dominico, qui ſequutus eſt, à Sodalitate literaria celebratum eſt Romanæ Urbis Natale. Sacra ſolemniter acta Demetrio Lucenſi Bibliothecæ Pontificiæ Præfecto operante. Paulus Marſus Orationem habuit. Pranſum eſt apud Salvatoris Sacellum, ubi Sodalitas literatis Viris & Studiorum ſociis elegans convivium paraverat. Sex Antiſtites convivio interfuere, & eruditi ac nobiles adoleſcentes quamplures. Recitatum eſt ad menſam Federici III. Cæſaris Privilegium Sodalitati conceſſum, & à diverſis Juvenibus eruditi verſus quamplures etiam memoriter recitati. Actum etiam de Laurea danda Faſto Forolivienſi, quæ non tam ei negata eſt, quàm in aliud tempus dilata cerimonia. In privato Senatu diei ultimi Aprilis, confirmata fuere literis Apoſtolicis ſub plumbeo ſigno, quæ paulo ante decreta fuerant in Concilio Cremonenſi. Diplomata à Patribus ſubſcripta propriis manibus referuntur. Veneti tantum Cardinales Sanctæ Mariæ in Porticu, & Sancti Angeli, ægre impetraverunt ad ſubſcriptionem non cogi. Adducta in exemplum Pii tempora, quibus in decreto contra Andegavenſes bello Galli Cardinales, videlicet, Rothomagenſis & Avenionenſis, ad ſubſcribendum non ſunt coacti. Præcedenti die Ducis Sabaudiæ Legati, quorum princeps eſt Nicienſis Antiſtes, Urbem ingreſſi ſunt. Patrum familiæ obviam eis ierunt. Sabbato die, quo celebratur Sanctæ Crucis Exaltatio, ivit Pontifex ad Populi, & Pacis Templa; divertit in Floræ, & Judæorum forum, viſurus diſturbatas Porticus.

Ad quintam Maji, reverſus eſt Cardinalis Sancti Marci, qui præterita æſtate Romanum aërem vitans, æſtate & hyeme & vere etiam abfuit. In diverſum ejus abſentia exiſtimata, prout etiam diverſæ ſunt ſententiæ hominum. Vigiliâ Aſcenſionis ad VII. Maji, Veſpertina oratio de more acta, cui Pontifex interfuit, loco ſolito. Mane deſcenſum eſt in beati Petri Baſilicam ad Sacra, quibus Cardinalis Matiſconenſis eſt operatus. Orationem habuit contubernalis quidam Cardinalis Tornacenſis. Ejus actio non probata, Oratio non neglecta. Ingreditur Urbem Guidantonius Veſputius Florentinorum Orator dicta die; & Guidantonius alter Bonſignius, etiam Jureconſultus, ut ille, à Senenſibus Orator XI. Maji Urbem ingreditur. Profeſto Pentecoſtes, quo Pontifex & Patres in Petri Baſilicam veniunt, allatus eſt nuntius victoriæ Regis Hiſpaniæ adversùs Granatenſes. Captivorum & occiſorum numerus varius. Sequenti die, Sacra conſueta in eadem Baſilica ſunt celebrata, operante Balve Andegavenſi. Andreas Drentius Neapolitani Cardinalis contubernalis oravit; docuit non *Paraclitum* ſed *Paracletum* dici debere. Lunæ die, qui ſequutus eſt Pentecoſten, celebrata ſunt Pontificia Sacra in Xenodochio Sancti Spiritus in Saxia. Pontifex cum Patribus illuc ſe contulit; Sacris operatus eſt Johannes Jacobus Parmenſis Epiſcopus, quem plerique Cardinalem augurantur futurum. Eques reverſus eſt Pontifex, qui à lecticariis ſellâ portatus fuerat. Sequenti Sabbato XXIV. Maji extra ordinem vocati ſunt in Conſiſtorium Patres. In eo actum eſt de publicandis cenſuris contra Venetos propter obſidionem Ferrariæ; quo quidem die non ſunt dictæ Veſperæ, prout eſt conſuetum. Dominico autem die, qui ſequutus eſt, quo Sanctæ Trinitatis ſolemnia celebrantur, itum eſt ad Sacra, quibus operatus eſt Cardinalis Agrienſis. Petrus Boſcalia Cardinalis Sancti Marci contubernalis oravit cum commendatione ac laude; Pontifex interfuit. Eodem die Diplomata cum bulla plumbea cenſurarum contra Venetos valvis Baſilicæ affixa ſunt. Die Martis Maji XXVIII. ſumto prandio abiit Hieronymus Comes in ditionem ſuam in Flaminia, hora à Planetariis monſtrata, ut dictum eſt. Veſperis Vigiliæ Dominici Corporis Veneti Cardinales cum ceteris Patribus & Pontifice non interfuerunt. Creditum propter cenſuras contra Venetos paulo ante promulgatas. Hi ſunt videlicet, Marcus Sancti Marci Prænestinus, Baptiſta Sanctæ Mariæ in Porticu Tuſculanus Epiſcopi, Johannes Sancti Angeli, P. Foſcarus Diaconus Sancti Nicolai inter Imagines, & Gabriel Sanctorum Sergii & Bacchi. Supplicationi ſequentis diei non interfuit modo Pontifex ſed præfuit. Ipſe ſuis manibus Sacratum Sanctum Dominicum Corpus tulit, elatus Cubiculariorum & Miniſtrorum humeris. Movit à Pontificia, & Lateritia Via ad Portam uſque Molis Adriani, inde Viâ Sanctâ reverſus in Petri Baſilicam, ubi rem Divinam egit Cardinalis Melphitenſis. Confuſe admodum progreſſa eſt ſupplicatio ob Magiſtratuum Curialium contentionem propter honoratiorem locum contendentium. Ultimo die Maji, in Æde Mariæ de Populo benedixit Pontifex Vexillis duobus, quæ dari debent Brandæ Caſtigliono, Neapolim ad paratam Claſſem ituro. Senatu ſecreto ad quartum Junii vocato, decreta libertas Sabelli & Columnenſis Cardinalium, qui jam integrum annum obſervabantur. Impleri tamen conditiones nonnullæ aſſeruntur; interim vagandi per Molem poteſtas data, & liberi ad illos acceſſus permiſſi. Profeſto Antonii Patavini, deſcendit Pontifex in Sacellum, illi à ſua Sanctitate dicatum. Solus ex Patribus Camerarius interfuit, Epiſcopi quatuordecim & domeſtica familia.

milia. Celebritate verò festi ipsius, Sacris sexdecim Cardinales interfuere. Prius tamen in Senatum vocatis, pronuntiatus est Legatus in Sabaudia Dominicus Cardinalis Sancti Clementis, qui peractâ Divinâ re per Templi Vicarium Forosempronienſem Episcopum, deductus est à Patribus usque ad Pontem Sacelli, quod de Spinellis dicitur, à Thoma Spinello matris meæ avunculo fundatum. Ejusdem celebritatis Vesperis etiam interfuit Pontifex. Cardinalis Sancti Georgii aderat, & Senensis casu supervenit. Die quoque celebritatis Johannis Baptistæ in eodem Sacello fuit Pontifex; nullus cum eo; familia sola, & Legati nonnulli interfuere, non tam officii quàm negotii causſa. Profesto & festo diebus Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, consueta Sacra celebrata sunt. Cardinalis Neapolitanus Oliverius Caraffa illis est operatus. Eodem die ducti sorte fuerunt Romanorum Magistratus, præsente Pontifice; apud quem Lælius Subdatarius, Romani Populi nomine, modeste admodum lamentatus est, quod sua Beatitudo Sanctorum Reliquias nonnullas, quæ in alma Urbe Roma tam sancte & religiose custoditæ coluntur, ad externas nationes & Regna vel misisset jam, vel mittere decrevisset. Benigne audivit eum Pontifex, ac bono animo omnes esse jussit. Parum quid Reliquiarum id esset, quod quærebatur, idque ad Christianissimum Francorum Regem ..... destinatum, qui de se, & Romana Sede bene meritus esset, & qui quamplurima bona jam Ecclesiæ Lateranensi ob suam religionem donasset; ostenditque id ipsum à quibusdam Summis Pontificibus aliàs factum, ac si bene sum memor, Divi Gregorii Pontificis exemplo testatus est. Tamdem acquievit Lælius & ceteri, nec ulterius replicatum. Tulit has Reliquias aureo tabernaculo mirifici operis conditas ad Regem ipsum Johannes Grimaldus Pontificiæ familiæ Præfectus; sed vix ad eum pervenerat, quod vitâ ille est functus. Vidit tamen & adoravit eas; valetudini tamen restitutus non est. Ad ultimum Junii mensis, venit in Urbem Petrus Pignerus Galitia Pirata famosissimus, triremi sua, ut dictum est, ad Ostiam dimissâ. Duxit quadraginta tres Christianos homines, quos expugnata Tripoli Mauritaniæ Urbe à misera servitute liberavit. Præcedebant catenati, vexillo cum insignibus Pontificis præeunte. Liberalis erga Piratam Pontifex fuit; & muneribus & dignitate illum ornavit. Miseros homines, ut est dictum, ad arbitrium eorum ire permisit. Postea ad secundam Julii mensis, quum profectus esset Pontifex ad Ædem Virginis Popularis, ubi visitationis Sacra celebrata sunt, quilibet ex illis vestem dono recepit. Pium & miserandum fuit, videre illos in genua gradientes, ante Pontificis pedes in medio Patrum procumbere. Absolvi eos jussit Pontifex à reatibus multis & votis emissis; & aureum unum quilibet de Cubicularii manu recepit. Eum, qui Vexillum deferebat, enormia nonnulla cum lacrymis confitentem, Pontifex, probantibus Patribus, pie paterneque absolvit. Sacris absolutis, Urbevetano Episcopo operante, rediens Pontifex in ædes Cardinalis Recanatensis ad Ripam Tiberis sitas divertit, Patribus ad propria euntibus. Sed abeuntibus jam omnibus, sua Sanctitas cum interioribus Cubiculariis in vicinas ædes Parmensis se contulit, ubi & prandsus est, & cœnavit, ac post Solis occasum in Pontificiam est reversus. Grimaldus, de quo supra, octava die cum Reliquiis recedit ad Regem Franciæ iturus. Ad XVII. Julii, ut est postea dictum, mortuus est Constantinus Sforcia pro Romana Sede Vicarius Pisauri. Fuit hic Alexandri Sforciæ filius. Die celebritatis Sancti Jacobi, qui in Venere evenit, tenebris ineuntibus, ausugit è Mole Adriani Marianus Sabellus, Cardinalis frater, qui & ipse cum Cardinalibus custodiebatur: quod ægre admodum tulit Pontifex, & amoto Præfecto Thoma Episcopo, qui plures annos custodiæ præfuerat, Franciscum Narniensem, Episcopum Tudertinum, die XXVII. ejusdem mensis eidem custodiæ præfecit. Anniversarium pro Paulo Secundo Pontifice maximo hodie Martis ad XXIX. Julii celebratum. Rem Divinam egit Cardinalis Melphitensis; Pontifex, & plerique Patrum interfuere. Pontificiæ assumtionis celebritas evenit in Sabbato, & Laurentii Martyris Vigilia. Ad celebrandum itum est à Patribus in Vaticanum, & de more celebrata fuere Sacra, quibus operatus fuit Cardinalis Agriensis in Aula Pontificiæ consueta. Quibus absolutis, Pirata, de quo supra retulimus, equestri militia à Pontifice est insignitus. Hac nocte, sicut etiam præcedenti, tota Urbe certatim excitati ignes, & per vias, & plateas, & in cunctis fere locis eminentioribus ædium, ut in ejusmodi fieri consuetum est. Eodem die quum venisset Pontifex extra ordinem ad Vesperas in majus Sacrarium, Magistratus Romanus nomine publico Cardinales Sabellum & Columnam, commendavit. Spei pleni abiere: ita paterne responsum est eis. Præfectus Urbis, Pontificis nepos, hodie Romam venit, scientibus fere nullis; ideoque ei obviam non est itum. Eodem die beati Laurentii, visitavit Pontifex Johannem sororium fluxu ventris misere laborantem. Habitabat extra Pontificiam in vicinis ædibus Petri Basilicæ. Die solemni Assumtionis beatæ Mariæ Virginis in Cœlum, qui evenit in Sabbato, processit Pontifex in novum majus Sacrarium, ibique Divinæ rei interfuit, familiariter tamen, solo Cardinali Sancti Georgii ex Patribus præsente. Prælati Palatini omnes, & alii nonnulli interfuere. Fuere hæc prima Sacra post Sacrarii instaurationem, quibus ipsius tantum Sacerdotes sunt operati; ob cujus diei memoriam Pontifex Indulgentiam Sacellum visitantibus pronuntiavit, etiam feminis. Vesperis quoque ejusdem diei Pontifex interfuit. Prælati præsentes sedere jussi sunt post Cardinalem Sancti Georgii ad Patrum Subsellia. Plebi quoque præsenti, & mane in Sacris, & ipso die in Vespertina oratione e sella benedixit. Quum tota Urbe percrebuisset rumor Indulgentiarum ad Sacellum instauratum, etiam feminis concessarum, mirum dictu, quàm celeriter tota Civitas commota fuerit. Præ multitudine vix iri aut exiri poterat; nec cessavit frequens concursus, priusquam noctis medium transactum fuisset. Per hos dies ingreditur Urbem alius Orator Regis Hispaniæ. Die celebritatis Sancti Bartholomæi, celebrata sunt Sacra Coronationis Pontificis. Fuere autem hæc prima, quæ solemniter in majori Sacrario post ejus instaurationem coram Pontifice & Patribus, sunt acta. Namque superius die Assumtionis fuere extra ordinem, & à solis Templi Sacerdotibus familiariter acta. Consueta celebritate, operante Sacris Cardinale Sancti Petri ad Vincula, facta

facta sunt; quibus absolutis, Patres omnes duorum Cardinalium libertatem ex gratia humiliter à Pontifice petiere. Bene illis responsum est; & ex dignitate delecti sunt ex eis quinque, apud quos de ea re agendum esset; sic eos à se dimisit: Ineuntibus tenebris ob lætitiam tota Urbe ignes excitati. Sabbato Augusti penultimo, proficiscitur Pontifex ad Ædem Mariæ Populi, & Templum Pacis. Ultimo Augusti, ut est postea ad X. Septembris intellectum, moritur Ludovicus Francorum Rex sexagenarius, jam Carolo filio successore relicto. Calendis Septembris, reversus est in Urbem Johannes Cardinalis Aragonensis Regis filius, qui toto belli tempore absens fuerat; sequenti verò die, qui Martis fuit, venit ad Pontificem, ab Oratoribus Italici Fœderis honoris caussâ deductus; auditus est perbenigne. Cardinalis Sanctæ Sabinæ Ausias, de quo supra retulimus, hodie Vigilia Nativitatis beatæ Mariæ Virginis moritur Romæ in ædibus nobilium Sanctæ Crucis, quas Pater colendissimus inhabitabat. Bona ejus plura pauperibus distributa, bonitate eorum, quibus est per morientem cura demandata. Hi fuere Oliverius Cardinalis Neapolitanus, & Falco Sinibaldus, quos honoris caussâ nomino. Die sequenti Lunæ, quo celebratur Nativitas beatæ Virginis, profectus est Pontifex cum Patribus ad ejusdem de Populo. Sacra ibi celebrata sunt; Cardinalis Melphitensis illis est operatus. Rediens in Parmensis ædes diversatus est & pransus. Post meridiem, visitato Templo Pacis, in Vaticanum revertitur. Sacra mortuorum pro Rege Francorum Ludovico die Sabbati XIII. Septembris acta in majori Sacrario. Illis est operatus Urbevetanus Antistes; Cardinales interfuere,& Pontifex cappâ usus est. Cardinalis Aragonensis die XVII. Legatus designatur. Vagatur hodie Pontifex per loca superiora Pontificiæ extra Urbem, & ingressus per Portam Aureliam, quam Sancti Pancratii dicimus, descendit ad Monasterium Sancti Cosmæ, inde ad ripam Tiberis. Vidit Bucinctoriam navim, quam fabricari jusserat Pisis Cardinalis Sancti Petri pro commodiore Pontificis navigatione, quum aliquando Ostiam, vel aliò vellet proficisci. Placuit; & Cardinalem commendavit. Sole jam inclinante in Vaticanum reversus est solo ex Patribus Camerario comitante, ipse Pontifex sella pensili vectus, qua plerumque utebatur. Eduardo Angliæ Regi parentatum hodie Septembris XXIII. in Majori Sacrario, Pontifice, & Patribus præsentibus. Rem divinam egit Chr... Episcopus Modrusiensis; sed novissima persolvit Pontifex, vaporato thure & aqua sancta insperså, non pluviali sed purpureâ cappâ circumdatus. Pridie ejus diei elatum est funus Matthæi Palmerii Pisani, Secretarii Apostolici, è numero nostro senario, viri probi & integri, Latine & Græce eruditi. Prosequuti sumus in habitu usque ad majoris Ædem Virginis, ubi & condi voluit. Mortuus est die XXI. Septembris. Eodem die, quo parentatum est Eduardo, vagatus est Pontifex extra Portam Portuensem, ardente sole adeo, ut alicujus valetudinis caussam Medici prædixerint. Et verum Vaticinati fuerunt; continuit enim postea dies aliquot in Pontificia non bene valens. Reverendissimus Dominus Pater Ferricus Cluniaco tituli Sancti Vitalis Cardinalis Tornacensis, cum hodie VII. Octobris interfuisset cum plerisque sui Ordinis Sacris in Ædem Sergii & Bacchi, ad honorandam Cardinalis Agrientis titularem celebritatem, domumque cum suis reversus esset, læto animo facto prandio, repentino dolore cordis correptus, illico interiit minus horæ unius spatio ab incœpto dolore ad vitæ exitum. Sequenti die Mercurii, cadaver ad Ædem Virginis de Populo delatum est, Cardinalibus & Pontificis familia comitantibus; quo etiam die meridiano tempore convenientibus Patribus in Senatum, designatus est Legatus in Galliam Cardinalis Andegavensis, & domum à Patribus deductus. Lunæ die, qui est sequutus. Idem Cardinalis misso Consistorio usque ad Flaminiam cum Patribus de more deducitur. Cardinalis Sancti Petri privato officio longius progreditur.

Franciscus Gonzaga Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ novæ Legatus Bononiæ ibidem moritur XXII. Octobris. Fuerat hic à Pio Secundo ad Cardinalatum assumtus juvenis adhuc, sed in dies ita profecit, ut quamvis sederet inter ultimos Patrum, tamen consilio, auctoritate, & gratia, vel paucis vel nullis esset inferior. Liberalitate insignis, Caritate in suos præcipua, erga omnes munificus. Bononiensem Legationem à Paulo Secundo susceptam Xistus confirmavit, & ad gratiæ cumulum Ecclesiæ Præsulatum ei addidit, quum vacasset per obitum Cardinalis Portuensis, qui vulgo Bononiensis dicebatur, frater uterinus Nicolai Quinti Pontificis maximi. Gonzagæ Cardinalis obitus quadraginta horis Romam perlatus. Equilia Cardinalis Sancti Gregorii die Martis XXI. Octobris incendio correpta sunt. Equi nonnulli, fenique vis magna igne absumta, ea videlicet, quæ in area Templi Augustinensium sita sunt. In Senatu, qui die Lunæ XXVII. Octobris habitus est, Bononiensi Ecclesiæ præfecit Julium Cardinalem Sancti Petri, & ejusdem Civitatis & provinciæ Legatum designavit; domumque de more à Cardinalibus deducitur. Vespertinum Sanctorum Omnium Sacrum celebratum; mane quoque Divina res acta ab Ulixbonensi. Quidam Pergamensis ex Ordine Prædicatorum Cæsaris Legatus ad Papam Orationem habuit. Eodem die, quia Sabbatum erat, Vespertina pro Defunctis Oratio in sequentem diem Dominicum translata; Pontifex tamen in Sacellum suum familiariter descendit, domesticis tantum comitatus, & ex Patribus Camerario solo. Die verò Lunæ sequenti Sacrum pro Defunctis est actum, non Pœnitentiario, ut est consuetum, sed Cardinali Melphitensi operante. Tribus his diebus Pontifex Sacris semper interfuit. Die Jovis VI. reversus est in Urbem Hieronymus Comes cum conjuge, dimissis in Toparchatu filiis. Sequenti die ad Pontificem venit, dum private Divinæ rei interesset. Ad diem IX. Novembris, qui Dominicus fuit, Pontifex, audita re Divina, quam ego egi, ad ostium secretioris cubiculi superioris descendit, & tribus tantum Cardinalibus lectica usque ad Ædem beati Pauli delatus est, & ubi cum Patribus, Vicecancellario, Sancti Petri, & Racanatensi, ac nonnullis Prælatis domesticis, inscensa navi Prætoria, quæ ad viciniorem Basilicæ ripam ad id parata jam erat, secundo flumine Ostiam pervenit, ubi egregiè parata erant omnia, non modo ad necessitatem, sed ad luxum quodammodo, & satietatem. Ita in omnem partem elucet magis quotidie

Car-

Digitized by Google

Cardinalis Sancti Petri munificentia & liberalitas, non illa quidem affectata, ut in pleliſque cognoſcimus, ſed ingenua, ſine fuco, ſine arte, ut facilè Xiſti Pontificis nepotem poſſis agnoſcere. Deſiderari eo triduo nil potuit, non dico à principibus Pontificiæ, & Cardinalium familiæ, ſed ne quidem à Stabulario aut gregario pedite, quin illico oblatum eſt. Totum diem Lunæ ſequentem ibidem commoratus eſt Pontifex. Die, qui illum ſequutus eſt, & Martino dicatus, invitatus eſt à Vicecancellario ad ejus Portuenſem Eccleſiam, ubi paratum erat prandium verè pluſquam Pontificium, cui vel ſua conſuetudine, quoniam ut ditiſſimus Pater eſt, ita ſplendidiſſimus, vel alterius æmulatione, nil defuit, quod quidem excogitari potuiſſet. Sumto prandio, placuit Pontifici, & Patribus vagari uſque ad litus proximioris maris, ubi cernuntur adhuc muri vetuſtiſſimi Portus, & pene colliſi, & Pharos Thurris, adeo ut etiam hodie ejus vocabulum ſervet. Nec dubium eſt, quin ille Portus Oſtiæ ſit à Claudio Cæſare conſtructus, de quo Svetonius in ejus Vita aperte mentionem facit; ubi etiam ad Portus ipſius moles demerſam fuiſſe navim Auctores tradunt, qua major Obeliſcus Romam ex Alexandria delatus eſt. His diebus tam læti ſeceſſus fundamenta dignitatis Cardinalatus Epiſcopi Parmenſis jacta eſſe dicuntur: quod experimento verum eſſe viſum eſt inde ad quatriduum, quo Cardinalis creatus eſt. Sed ad Pontificem revertamur, qui inſpectis illis reliquiis, auditis, quæ de eo Portu ab aliquibus in diverſum referebantur, aſcenſa navicula ad Oſtiam uſque ſecus litus annavigavit, lætus admodum, & ceteros in eamdem lætitiam adducens. Sequenti die Mercurii, ſumto prandio eâdem buccintoriâ navi, junctis duabus, Romam averſo flumine reditum eſt; & in eamdem fluminis ripam, ubi paulo ante conſcenderamus, deſcenſum. Ibi Patres & reliqui Prælati, multi Proceres & Legati, Pontificis reditum præſtolantes, læti lætum Pontificem excepere, & incedentibus jam tenebris uſque in Pontificiam deduxere. Cardinalis Sancti Marci ad diem Veneris XIV. ejuſdem menſis è ſeceſſu ſuo in Urbem rediit, qua die Senatus rogatus eſt, in quo libertas Sabelli & Columnæ decreta, & nonnullorum Prælatorum ad Cardinalatum promotio. Sabbato ſequenti ad XV. Novembris, vocavit Pontifex extra ordinem Patres in Senatu, in quem ex Adriani Mole, per murum à Mole ipſa ad Pontificiam pertinentem, Sabellus & Columna venere, à collega Cardinale Sancti Georgii deducti, & ad Pontificis gratiam recepti; quo in Senatu, vel creati vel publicati fuere V. Cardinales, Johannes Archiepiſcopus Conſanus ex Comitibus Romanis Proceribus, Pater ferè octogenarius. . . . . Epiſcopus Turonenſis natione Gallus ex Ordine Minorum, vir ſanctitate clarus, tunc abſens; Johannes Epiſcopus Gerundenſis Orator Regis Hiſpaniæ, vir ſenio confectus, ſed auctoritatis maximæ & magnæ virtutis, & Curialis antiquus; Johannes Jacobus Epiſcopus Parmenſis, vir mediocri literatura, maxima humanitate, & dexteritate præditus, ac propter fidele obſequium, ſolertem curam, Pontifici ante alios carus; Baptiſta Protonotarius ex Urſina familia, vir ſummæ induſtriæ, & peritiæ Legum admodum clarus, ſed inter gentiles, maxime ob gratiam Pontificis & Communitatis, plurimum exiſtimatus, adeo ut relicto fratre natu majore, Epiſcopo Theanenſe, & Raynaldo Archiepiſcopo Florentino magnæ auctoritatis Præſulibus, ipſe ad eam dignitatem aſcenderit. Cardinalis Sancti Marci his duobus Senatibus non interfuit, quamvis die Veneris potuiſſet; ad hos verò non veniſſe ex itinere feſſum dicunt. Eodem Senatu Cardinalis Novarienſis Peruſinæ provinciæ Legatus deſignatur, & domum à Cardinalibus deducitur, medius inter primores Diaconorum; Urſinus verò præcedebat immediate inter duos poſtremos medius, cum cappa Cardinea, Pileo autem Protonotariatus. Vigiliâ Conſecrationis Baſilicæ Sancti Petri, quæ evenit die Lunæ, deſcendit in eam Pontifex cum Pluviale albo, interfuitque cum Patribus Veſpertinæ orationi. Novi Cardinales, quia adhuc Inſignia non receperant, non interfuere. Similiter die ſequenti in eadem Baſilica acta ſunt Sacra, quibus Philibertus Cardinalis Matiſconenſis operatus eſt. Novembris 19. die Mercurii 1483. vocatum eſt publicum Conſiſtorium, in quo dedit Pontifex Pileos dignitatis Cardinalibus novis. Venerant illi quidem mane cum eorum conſuetis Pileis, propria dumtaxat familia comitati, & manſerant in cubiculis Camerarii, quo ad veniret hora vocationis. Vocati deinde, à quatuor ultimis Patribus in Senatum deducti ſunt. Procumbentes, ad pedis primum, deinde manus, & oris Pontificis oſculum admiſſi ſunt; unde digredientes, Patrum quemlibet cum pacis oſculo ſunt venerati; & unicuique datus eſt locus. Papa poſtea à ſede throni ſui explicat cauſſas, quæ ad creationem ſuam Beatitudinem induxerunt; præterea unumquemque ex ordine dignitatum pronuntiat cum privata uniuſcujuſque commendatione. His per Pontificem actis, Cardinales omnes ordine ſuo ad Pontificem aſcendunt; coronâ Pontificem cingunt. Deſignati in medio coram Pontifice genuflectunt, quibus Papa manu ſua Pileum imponit capiti, verbis quibuſdam è cerimoniali prolatis. Quibus datis, illico Cantores Hymnum lætitiæ canere incipiunt, & cantantes in parvum Sacellum ingrediuntur. Cardinales tam veteres quàm novi ſubſequuntur uſque ad finem Hymni. Redeuntibus, Senatus dimittitur; Pontifex in cubicula ſua revertitur, & Cardinales domum remeant. Sequenti die novi Cardinales ſimul, veteres ad eorum ædes ad habendas de more gratias viſitarunt. Hodie die XXIII. Regina Cypri Carola quum à Pontifice per Interpretem audiretur, non ignobiliori nec inferiori ſede ſedebat Pontificis ſella: quod ab aliquibus probatum non fuit. In Senatu die Mercurii ad 27. menſis, novis Cardinalibus dicendæ ſententiæ poteſtas data, quod dicitur *os aperire*. Evenit hoc anno 1488. Sancti Clementis celebritas in Dominica XXIV. Qui quum Pontifice orabamus, hæſitant ſeramus in Veſperis, quod Officium diceremus. Dixit Pontifex de Sancto Clemente agendum eſſe; die autem Veneris proximo agi debere de feria cum Hiſtoria illius Dominicæ, & ita egimus. Sacris primæ Dominicæ Adventus; Epiſcopus Alarienſis Ardicinus eſt operatus. Viginti Cardinales interfuere, duo tantum ex præſentibus aberant. Sacra ſecundæ Dominicæ Adventus incœpta, Parmenſi ſolo Cardinali cum Pontifice, ſed paulo poſt convenere ceteri. Stephanus Epiſcopus Morianenſis illis eſt operatus. Eodem die deſcendit Pontifex in Sacellum ſuum Baſilicæ ad Veſperas Conceptionis,

Digitized by Google

nis, ſua tantùm familia comitatus. Tota oratio de Conceptione cum commemoratione Adventus; nulla de Sancto Ambroſio. Celebritate ſequenti eodem Sacello Divina res acta per Achillem Cervienſem Epiſcopum. Patres cum Pontifice interfuere. Peractis Sacris juſſit Pontifex recitari Patribus per Senenſem literas nuper è Bohemia allatas, quarum argumentum neſcio. Eodem die obtulit Pontifex Pluviale & Miſſale ad uſum ſacrorum tam Sacelli, quàm Baſilicæ, ambo ſe digna..... Eodem die, quamvis pluvioſo, profectus eſt ad Ædem de Populo. Sequenti die per ſuperiora Pontificiæ vagatus eſt Pontifex ultra mille paſſus. Die Sanctæ Luciæ Virginis, contulit ſe ad Ædem Populi, reverſus Via Lata, & Pontificia in Floræ forum, unde rectà in Vaticanum, Patrum pleriſque comitantibus. Sacra III. Dominicæ celebrata, quibus operatus eſt Parmenſis primùm poſt adeptum Cardinalatum, & multum commendatus. Quartæ Dominicæ Sacra Scipio Cianellus Epiſcopus Tricaricenſis miniſtravit. Pontifex & Patres interfuere. Papienſis quidam Carmelitanus, qui oravit, ſola brevitate commendatus. Veſperæ profeſti Natalis Dominici in Baſilica Beati Petri cantatæ, quibus Pontifex & Patres interfuere in veſte Sacra, in eadem Eccleſia accepta, eo quia in ſupplicationem non eſt ventum. Mane verò in cubiculo Papagalli in veſte Sacra cœpta eſt ſupplicatio, & eo modo in Baſilicam deſcenſum. Pontifex Sacra miniſtravit, ſedens geſtatoria ſella ad id miniſtrandum commode præparata. Nocte verò præcedenti in majori Sacrario Oratio matutina de more cantata. Cardinales Lectiones dixerunt, & ab inferioribus Diaconis incœptum. Ventum poſtea ad Presbyteros; ſeptimam, & octavam legerunt Diaconi Pontifici aſſiſtentes; nonam Pontifex è throno in cappa purpurea ſericea. Ejuſdem noctis Sacris præfuit Cardinalis Recanatenſis Pontificis ex Sorore nepos, & tituli Sancti Chryſogoni, vir mitis, modeſtus, & Pater optimæ mentis. Secundis Sacris ejuſdem noctis in ſecreto cubiculo, qui hæc ſcribo, ſum operatus coram Pontifice & Cardinalibus duobus. Die Sancti Stephani Sacris præfuit Johannes Cardinalis Novarienſis; ſequenti Sancti Johannis Melphitenſis. Pro Protomartyre oravit Albertus Zobolus Pontificis Cubicularius, adoleſcens nobili, & locuplete apud Regium familia ortus. Pro Evangeliſta Veronenſis quidam, Cardinalis Agrienſis contubernalis. Commendati ambo.

Anno MCCCCLXXXIV.

CAlendis Januarii, Circumciſionis Sacra, & pridie Veſperæ, in majori Sacrario ſunt celebrata, quibus fuit operatus Gabriel Sanctorum Sergii & Bacchi Cardinalis Agrienſis. Sermonem habuit Bernardinus Carvajalius Hiſpanus, Pontificis Cubicularius, vir eruditus, & Cardinalem Sancti Angeli gentilitate contingens. Meridiano autem tempore Pontifex, claritate diei illectus, profectus eſt ad Ædem Capitolinam, quam Cœli Aram dicimus, ubi ſolemnia ejus diei celebrantur; unde digrediens venit ad Ædem Populi, & Templum Pacis; poſtea in Vaticanum, toto itinere Patribus fere omnibus comitantibus. Celebritati Epiphaniæ præfuit M. Cardinalis Sancti Marci; Pontifex valetudine impeditus non interfuit. Quidam Viterbienſis apud Hiberniam Antiſtes oravit non abſque commendatione. Per hos dies apud Cremonam celebrem Lombardiæ Urbem Concilium multorum Principum congregatur, in quo de bello, quod adversùs Venetos gerebatur ob Ferrariam oppugnatam, agi dicebatur. Purificationis ſolemnitas de more celebratur, quæ cecidit in diem Lunæ. Ejus Sacris operatus eſt Cardinalis Gerundenſis primum quidem poſt Cardinalatum adeptum. Solemni die, qui Cathedra beati Petri vulgo nuncupatur, deſcendit Pontifex in ejuſdem Apoſtoli Templum poſt Veſperas, domeſticis tantum comitatus. Redeunti in ſuperiora Pontificiæ oblati ſunt duo adoleſcentes ab inſulis Balearibus cum Præceptore de hæreſi accuſati ad Urbem venientes. Pontifex quum intellexiſſet illos non mediocriter in Dialecticis inſtructos, videre & alloqui voluit; interrogavit nonnulla, & quæſtiunculas propoſuit; apte & ſcienter reſponderunt Adoleſcentes, ita ut à Pontifice cum benedictione dimiſſi ſunt, & ab omnibus, qui circumſtabamus, commendati. Camillus Vitellius Tifernas filius, qui in Mole Adriani mandato Pontificis cuſtodiebatur, nocte, quæ prævenit diem XXVIII. Februarii, aufugit, juvante quodam Britanno Tudertini Antiſtitis contubernali, qui eo tempore Arci erat Præfectus; ſed quum per funem dimittitur, motus eſt pes, ita ut abire ex ſe longius non potuerit; ſed eodem famulo operante, ad Sabelli Cardinalis ædes ægre deductus eſt, & paulo poſt Pontifici redditus, & in cuſtodiam recluſus. Bacchanalium die, qui Carniſprivium nuncupatur, acta eſt Hiſtoria Conſtantini Cæſaris in Pontificiæ atrio, ubi Cardinales in Curiam venientes ab equis deſcendunt. Pontifex è ſuperioribus feneſtris lætus ſpectavit. Huic Scenæ præfectus erat Genuenſis quidam Conſtantinopoli natus & educatus, & in Pontificis familiam aſcitus. Hic quum Conſtantini perſonam ſuſtineret, ex eo die Imperatoris nomen accipiens, uſque ad mortem ſecum illud honorifice detulit. Cinerum die III. Martii, conſueta Sacra celebrantur. Sancti Petri ad Vincula Cardinalis ex munere Pœnitentiariæ illius operatur. Bartholomæus Fontius Florentinus Cardinalis Tuſculani Secretarius de Pœnitentia non abſque commendatione oravit ..... Cardinali parentatum eſt hodie XVI. Martii in majori Sacrario de more. Pontifex non interfuit. Aſcanius Maria Sfortia Vicecomes, Johannis Galeatii Mediolanenſis Ducis avunculus, hodie Mercurii die XVII. Martii in ſecreto Senatu Cardinalis deſignatus eſt, viginti Patrum, qui Senatui interfuere, concordantibus ſuffragiis. Cardinalis Sancti Marci, & Foſcarus in eum Senatum non venerunt. Oratores Italici fœderis in Senatum vocati pro eodem Aſcanio ſupplicarunt. Hieronymus Riarius collatæ dignitatis auctor haberi, & dici voluit. Secretiora illi norunt. Eodem die, primum à Veneto Senatu poſt motum bellum Pontifici ſunt redditæ literæ. Ex his ſpes pacis non parva data eſt, ita indicante & dicente palam Pontifice. Eas attulit Cardinalis Ulixbonenſis, qui biduo poſt, Veneris ſcilicet XIX. ejuſdem menſis Martii Legatus ad illos deſignatus eſt, & à Cardinalibus de more domum deductus. Parentatur Johanni Cardinali Mantuano die XXIII. pro more in majori Sacrario. Pontifex non interfuit. Die beatæ Virginis ab Angelo ſalutatæ, poſt Sacra, in quibus recitari Homeliam prohibuit Pontifex, ad Minervam profectus eſt,

est, ubi veneratis aris, Virginibus, quæ ex eleemosinis nubebant, adorandum se præbuit. Itum est Mercatoria Via, & flexum ad Damasi Ædem, inde Pontificia reditum per Floræ forum, & eamdem Mercatoriam. Cardinales veniam petiere, & quisque ad propria reversus est. Cardinali Montisferrati Theodoro, & Sancti Theodori tituli, Anniversarium pro more celebratum, cui tantum Patres duo interfuere. Res nec visa hactenus nec forte audita. Rosa de more hodie Dominica IV. Quadragesimæ benedicitur in cubiculo Papagalli de more. Cardinalis Agriensis Sacris operatus est. Cardinalis Ulixbonensis, quem supra monstravimus Legatum ad Venetos designatum, hodie ad hunc diem XXIX. Martii e Senatu abiens ad Flaminiam usque Portam à Patribus de more deductus, in destinatam Legationem proficiscitur. Sacra hoc loco nonnulla prætermittimus, etiam quæ de Passione dicuntur, & de Palmis, & quartam Feriam majoris Hebdomadæ, nec non quæ dicuntur in Cœna Domini, quoniam præter morem nihil est actum. Vicecancellarius his noviſſimis operatus est, & pauperum pedes lavit. Diplomata Cœnæ Domini recitavit. Ugo Bentius Latinis, maternis verò verbis Cardinalis de Columna, absente semper propter podagram Pontifice. Sanctæ autem Veneris Sacra à Majori Pœnitentiario acta sunt, & Hieremias Volaterranus Homeliam peroravit. Quibus duobus diebus, Veneris videlicet & Sabbati, Pontifex in secreto cubiculo, cum secretis & domesticis suis, Sacris interfuit, Crucem adoravit, & Alleluja in cantu pronunciavit, intonante Johanne Volaterrano, quibus Sacris ministrabat cum ceteris Cubicularis, qui à Secretis Sanctitati suæ serviebant. Resurrectionis Dominicæ Sacris Pontifex non interfuit, Vicecancellarius in Petri Basilica illis est operatus; non tamen Plebi communicavit, ut solitum est, præsente Pontifice; qui nihilominus, actis solemnibus, in pulpitum benedictionis descendens, exspectanti frequenti Populo benedixit, & gestavit hodie primum triplicis Coronæ Mitram, quæ Regnum dicitur, quamque paulo ante magno sumtu & impensa fieri ille mandaverat è Margaritis & unionibus undequaque collectis, curante præcipue Johanne Jacobo Cardinale Sancti Stephani in Monte Cœlio, ne gemmæ illæ, & pretiosi lapides, qui tunc in Secretario Pontificiæ reperiebantur, casu aliquo in diversa laberentur. Tyara ipsa pretio æquo æstimata est centum & decem millibus aureorum. Sequenti die etiam in Beati Petri Ecclesia sunt celebrata solemnia. Cardinalis Tusculanus, qui & in Porticu dicitur, Sacris ad majorem aram voluit operari; prius tamen nuntiatum est illi, non esse consuetum, absente Pontifice, super majori ara celebrare. Obaudivit bonus Pater, & clypeo Archipresbyteratus, quem tenet in prædicta Ecclesia, se excusavit, si tamen excusationi est locus. Ad XXI. Aprilis, Johannes Angelus Mediolanensis, cognominatus Florentia, Doctor insignis, Ducis sui ad Neapolitanum Regnum Legatus Romam ingreditur. Palatinâ Portâ à nonnullis Patrum familiis obviam illi est itum. Hunc paulo post sequutus est à Florentinis ad eumdem Regem Orator, Johannes scilicet Lanfredinus, qui postea die XXIX. ejusdem mensis à Pontifice est auditus. Calendis Majis profectus est Pontifex, Patribus comitantibus, ad

A

B

C

D

E

Apostolorum Ædem, qui veneratis aris, in ædium superiora ascendens, è fenestris cancellatis, quæ in Basilicam despiciunt majora Sacra spectavit, quibus præsentibus Patribus operabatur Modrusiensis Antistes. Eo in loco pransus est Pontifex, secreto tamen, Cardinales Sancti Petri, Melphitensem, Parmensem, Sabellum, & Ursinum convivas habuit. Post Vesperas recessit Pontifex, Cardinalibus subsequentibus usque ad Pontem. Itum fuerat mane Via recta, reditum vespere Floreâ & Mercatoriâ. Ascensionis die descendit Pontifex in Petri Basilicam, reique Divinæ interfuit, quam egit Cardinalis Gerundensis. Petrus Marsus oravit. Salvatoris Simulacrum ostensum est, atque à Pontifice & Patribus veneratum. Trigesimo die Maji, qui Dominicus fuit, Laurentius Columna, qui parum obediens Pontifici videbatur, in ædibus Columnensium à Prætorianis expugnatur, duce Hieronymo Riario, & adjuvante Virginio Ursino. Pugnatum est acriter circiter horis duabus apud ædes Columnensium, in quibus Protonotarius cum suarum partium hominibus se tuebatur. Tamdem expugnatis, & direptis ædibus, Protonotarius capitur, & ad Pontificis conspectum horâ primâ noctis ducitur, duce Virginio. Eo acriter increpato, Pontifex, qui tota die illum exspectaverat, cum venia procul dubio recepturus, jussit in Adriani Molem traduci, & tamquam capitis reum custodiri. Voluit Protonotarius primo adventu se excusare, eo quod sui ad suam Sanctitatem venire non sivissent; sed vel pavore nimio, vel conscientia læsæ à se Majestatis, ita faucibus adhæserat lingua, ut paucis admodum, & his quidem inconstantibus, verbis loqui potuerit. Sequenti die Lunæ mane à Marino Columnensium Oppido Legati ad Pontificem veniunt, & se suaque omnia Beatitudini Suæ & Romanæ Sedi dediderunt. Pontifex humaniſſimis verbis collaudatos bono animo esse jussit, & in fidem receptos, firmatis conditionibus, quas secum attulerant, à se cum benedictione lætos admodum ad suos remisit. Interim Oppidum ipsum firmo præsidio Columnenses munierunt, adeo ut Leo cohortis Prætorianæ dux, quum illuc à Pontifice missus accessisset, viriliter sit repulsus, & redeuntes Legati male admodum habiti. Mercurii die Junii secundo, demoliri sunt cœptæ Vallensium ædes via Pontificia, magnifice satis constructæ, quo die Leo, quem dixi, ad Marinum est missus. Demolitionis caussam dicebant, quod ea familia obstinate nimium & contumaciter Columnensium partes contra Pontificem sectabatur. Eodem die, Cardinalis Senensis ab Urbe recessit, Senam propter æstatem iturus pro consuetudine sua; sed asserunt quidam ita repente abiisse, ne vicinarum ædium ruinam inspiceret, quibus parci illi antea Pontifex promisisset. Die celebrationis Pentecostis, quo Pontifex impedimento aliquo Sacris non operatur, ex Episcoporum Cardinalium ordine aliquis celebrare consuevit. Hac autem solemnitate, quæ evenit ad quintam Junii, inventus est ex eo Ordine nullus, qui eo ministerio uti vel voluerit, vel potuerit. Propterea Cardinalis Agriensis in Presbyteratus Ordine constitutus Divinam rem egit, cui Pontifex interfuit. Oravit ..... Cardinalis Foscarini Secretarius, parum (ut audio) à plerisque commendatus,

Digitized by Google

datus, quamvis peritum hominem asserant. Nocte, quæ præcessit diem Jovis Junii X. Columnenses, qui apud Marinum commorabantur, ad Griptæ Ferratæ Cœnobium accedentes noctis silentio, & custodibus dormientibus, in claustra Cœnobii irrupere. In eo erant nonnulli equites & pedites Pontificis, quibus Leo, quem dixi, & Paulus Ursinus præerant. Aderat etiam paulo ante missus Legatus Sinolphus Otterius ex Cameræ Apostolicæ Præsidentibus unus. Hi repente tumultu exaudito, arreptis armis, ut in tam subita re fieri potuit, hostibus resistunt; sed Leo sagitta ictus interiit. Ursinus fugâ saluti suæ consuluit; Sinolphus verò sponte sua illorum fidei se commisit. Nonnulli vulnerati, pauci admodum desiderati; equi circiter quinquaginta interemti. Cœnobium fere omne direptum, & sine præsidio dimissum. Sinolphus Marinum deductus, paulo post Romam liberaliter est remissus; Leonis cadaver sequenti die Veneris in Urbem relatum; & Sabbato elatum est funus, Pontificis familia honorifice prosequente, atque in Cellula Beatæ Mariæ de Febribus tumulatum.

Medio hoc die Veneris XIII. ingressus est Urbem per portam Palatii Orator Britanniæ Regis, quam nunc Angliam dicimus, Menevensis Episcopus. Ei obviam itum est ab omnium Patrum familiis. Ab Hungaria quoque per hos dies ad Urbem venerat Legatus Matthiæ Regis, Thomas nomine, vir militaris, & magnæ apud suos auctoritatis & nominis. Hodie XV. mensis auditur à Pontifice, remotis arbitris, & magno temporis spatio. Hic ab Hungaria quasi semper curru vectus dicitur usque in Urbem. Die solemni Dominici Corporis, acta est supplicatio circum aram majorem Basilicæ. Pontifex Sacramentum gestavit. Novariensis Divinam rem egit, cui in ipsa Basilica Pontifex & Patres de more interfuere. Eodem die in minori Pontificiæ Sacrario orationi Vespertinæ interesse voluit in domestica veste, & domestica tantum familia comitatus. Voluit per hos dies Hieronymus Comes recipi inter Judices Rotæ, toto Orbe Tribunal venerandum, quemdam Jureconsultum Parmensem, credo, Joannes Antonius nomine, sed absque examine & solemnitate aliqua, quum maxima semper fieri consueverit, & nisi per aquam & ignem, ut dicitur, aliquis in eum ordinem cooptari. Pontifex quoque non tam ex animo, ut est postea visum, quam in Comitis gratiam bis ad eos misit Jacobum Volaterranum Cubicularium suum & Secretarium, rogatum, ut Parmensem reciperent. Bonis semper verbis dimissus est Nuntius; tamdem ex Judicibus duo, Tuscanella & Pererius, à Collegio ad Pontificem missi, ita causam suam egerunt, ut illis à Pontifice sint habitæ gratiæ, quod eorum, & Tribunalis dignitatem retinuissent, quam ipse non minuere, sed semper augere solitus esset. Ejusmodi conatus non tam à Comite quàm à quodam Cive Cubiculario, cui erat Domini ingens gratia, provenire visus est. Apostolorum profesto, iterum missi à Marinensibus Oratores octo, Pontifici se & Oppidum & sua omnia dediderunt, quos ille clementer recipiens, & benedicens, bene contentos remisit. Exeunti Pontifici cum Patribus ad Sancti Petri Ecclesiam die ipso solemnitatis Apostolorum, quum adhuc esset sub Porticu, Regis Ferdinandi Orator Anellus equum album ho-

A norifice stratum Regis nomine obtulit in Regni Siciliæ, quod habet à Romana Sede in Feudum, annuam recognitionem, quam Pontifex absque præjudicio acceptavit, & benignis verbis de ipso Rege respondit. Ad ultimum Junii mensis diem, qui Mercurii fuit, paulo ante Solis ortum, amputatum est caput Laurentio Columnæ Protonotario inter Adriani Molem, publico tamen judicio damnato capite. Caput & corpus in Transpontina Ecclesia visendum Populo positum, & toto fere die ad spectaculum ibi dimissum. Ad vesperam elatum est ejus funus, credo, ad Apostolorum Ædem, ubi & conditum, comitantibus quampluribus nobilibus & satellitibus factionis illius. Secundâ Junii ad diem Veneris, Hieronymus imperator Ecclesiasticæ militiæ ab Urbe in castra proficiscitur, aperte apud Columnenses Castri bellum gesturus. Equitum turmæ XV. peditum duo millia in exercitu recensita; instrumentaque bellica diversi generis vecta in castra. Paucis post diebus Cavium obsideri cœptum est. Obitus Cardinalis Turonensis XIX. Julii Romæ nuntiatur. Fuit hic ex Ordine Minorum, vitæ integritate, & morum sanctimonia venerandus. Non modò eam dignitatem non ambivit, ut plerumque evenit, sed quum est ad se delata, nihil commotus est. Dignitatis Pileum reverenter accepit, sed eo rarò vel numquam est usus. Funus eodem dicitur fuisse ornatum. Cavium capitur die ..... Pallianum obsideri cœptum die ..... Augusto mense, Anno XIII. Xisti Sede Vacante, moritur Xistus IV. Pontifex maximus die Jovis, quo celebratur solemnitas beatæ Claræ, inter quartam & quintam horam noctis, quum paucis ante diebus languisset. Præcedenti biduo, quo celebratur Passio Sancti Laurentii Martyris, in horto jocatus est nobiscum, qui secum eramus. Audivit antepranidium eodem in loco Dulcium Spoletinum, e castris à Comite missum, de obsidione Palliani. Multus cum eodem est habitus sermo; sciscitatus est, qualiter unusquisque se haberet in castris; quæ spes esset apud illos victoriæ; quid molirentur proceres Columnensium; quæve futura erant, amisso Palliano, eorum consilia. Exquisivit, verum ne esset, quod Cardinalis apud Neptunum Oppidum naviculam præparasset ad fugam. Quum ille ita esse asseruisset, indoluit Pontifex miseram Cardinalis conditionem, humanis admodum & clementibus verbis. Petiit de Fundano Comite, an ut amicus se haberet cum exercitu & imperatore Ecclesiæ, & an annona illuc iviisset. Quum bene de illo loqueretur, ac male de Sermonetæ Domino, subridens minatus est illi. Ita verò loquebatur, ut erat solitus, cum valebat. Pendebant nihilominus ex humeris brachia, vittis propter chiragram delegata. Mandavit ad finem sermonis, ut suis verbis Comitem hortaretur, ac bono animo esse juberet, caveretque ab Oppidanorum insidiis. Eodem die post vesperas audivit quemdam Monachum ab Hungaria cum mandatis sanctæ Cruciatæ venientem, quem postmodum, quia pecuniaria res agebatur, ad Sancti Georgii Cardinalem Romanæ Sedis Camerarium remisit. Die, qui sequutus est, & Mercurii fuit, quum fuisset pridie de more Senatus indictus, & nonnulli Patres adventassent, dimissi sunt ante Senatus introitum, ita mandante Camerario, quod ea nocte nonnihil Pontifici factum erat deterius. Nihilominus post vesperas, quum jam concluſa es-

set

Digitized by Google

ſet pax in Longobardia apud Bagnolum, ita enim illi Vico eſt nomen, agri Brixienſis, venientes Legatos fœderis Italici pacem nunciaturos intromitti juſſit, atque in novis ſuperioribus cubiculis eos audivit; quibus auditis indoluit, non pacis nuntio, ut dictitant maledici, & illius gloriæ æmuli, ſed iniquis pacis conditionibus intellectis, atque in hæc ferme verba prorupit: *Bellum geſſimus hactenus periculoſum, & grave, ut parta victoriâ honorificam pacem cum ſecuritate Romanæ Sedis, & honore noſtro, ac hujus Fœderis conſequeremur; & quum jam, ut ſcitis, volente Deo eſſet in manibus, conditiones pacis affertis (veniâ veſtrâ ſit dictum) victis, quàm victoribus convenientiores. Obtulerant Veneti alias Legato noſtro Apoſtolico, ac Cæſenæ agenti, multo æquiores, & tam nobis, quàm veſtris Principibus utiliores. Honor dabatur huic Sedi, qui nunc adimitur. Capta bello hinc inde Oppida noſtræ fidei mandabantur; Obſides nobilitatis illius primates ad nos mittebantur, exſpectaturi judicium noſtrum; de Peninſula Ferrarienſi nulla fiebat tunc mentio. Horum aliquid non adfertis modò, ſed contra ignominiæ, & dedecoris pacem nuntiatis, plenam confuſionum, & opprobriorum, & quæ plus mali, quàm boni cum tempore ſit paritura. Eam, dilecti in Chriſto filii, commendare, aut probare non poſſumus.* Legati videntes ſanctum ſenem præſenti nuntio affligi, & languorem ejus incrementa ſuſcipere, linguam quoque loquendo hebetiorem fieri, conabantur bonis verbis illum ſolari, Medicis etiam adjuvantibus; & tandem conſilium abeundi capientes, dixerunt, ſe aliàs ad ejus Beatitudinem quietiorem, ut ſperabant, reverſuros: ſupplicantes nihilominus, placeret benignitati ſuæ, Paci jam dictæ benedictionem ſuam adjicere, quandoquidem eorum Potentatus nihil ab illa diverſum quæſituri eſſent. Pontifex, mota paululum è vittis manu, vel paci, vel illis jam à ſe abeuntibus benedixit. Cubicularii illico ſenem labore, & dolore confectum in lectulo collocarunt, & quibus poſſunt medicamentis, & pio, & amanti miniſterio illum conſolantur, & adjuvant; ſed ea nocte, & die Jovis ſequenti, ſemper in horas auctus eſt languor, & dolor, adeò ut adveniente hora, quam dixi, ſpiritum Creatori ſuo reddiderit, nullis non modò ambagibus obſervantibus, ſed multa certè quiete. Communicaverat quatriduo ante per manus Cervienſis Epiſcopi, acta prius per eum Divina re. Iterum hoc etiam die, ſed paulo ante obitum, quum adhuc eſſent integri ſenſus, à Præſulibus Palatinis, Deo, & Beatæ Virgini ejus eſt anima commendata. Mortuum minores Pœnitentiarii laverunt, & veſte ſacra ex eorum munere ornaverunt, & in feretro collocantes, ſpectandum publicè ſtatuerunt. Ad Veſperam ejus diei cadaver Pontificis in Beati Petri Eccleſiam deportatum eſt, & in Sacello, quod vivens exædificari juſſerat, honorificè ad tempus depoſitum, quouſque ſcilicet Mauſoleum conſtruatur. Quarto ab hinc die, qui Martis fuit, in eadem Eccleſia incœptæ ſunt exſequiæ, ac novem diebus abſque intermiſſione continuatæ. Primo die Cardinalis Portuenſis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, primus inter Patres, Sacris operatus eſt, Sabinenſis noviſſimo. Illo Generalis Auguſtinenſium Pater Ambroſius Coranus oravit. Hoc Willelmus Pererius ex Judicibus Rotæ Palatinæ, uterque ſuo in genere commendatus. Septem verò diebus mediis unus ſemper è Cardinalibus rem Divinam egit, poſtquam pro more circa thalamum Reſponſoria decantata ſunt, thura vaporata, & aqua benedicta conſperſa.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUGUSTINI
PATRITII SENENSIS
DESCRIPTIO ADVENTUS
FRIDERICI III. IMPERATORIS
A D
PAULUM PAPAM II.
E MUSEO ITALICO
JOHANNIS MABILLONII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN LIBELLUM AUGUSTINI PATRICII DE ADVENTU FRIDERICI III. IMPERATORIS *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ANno 1452. ad Imperialem Coronam ſuſcipiendam e manu Nicolai Papae V. Romam ſe contulit Fridericus III. Rex Romanorum. Tum Anno 1468. iterum e Germania piae peregrinationis cauſsâ ſub Paulo II. Pontifice Maximo ad eamdem Urbem venit. Quae in altero hoc Auguſti adventu ibidem peracta fuerint, habemus ex Commentariis Cardinalis Papienſis, & ex Odorici Raynaldi Annalibus Eccleſiaſticis, qui & nonnulla ex hoc Opuſculo delibavit. At integrum Libellum quum reperiſſet Cl. V. Johannes Mabillonius, illud evulgavit in Muſei Italici Parte altera pag. 256. Edidit quoque Mabillonius Vitam Fabiani Bencii Politianenſis ſacrorum Canonum Profeſſoris clariſſimi, ab eodem Auctore conſcriptam, cujus mihi nunc nulla eſt cura. Auctor ergo utriuſque Opuſculi fuit *Auguſtinus Patricius*, Mabillonio ipſo adnotante, *primùm Caeremoniarum ſub Innocentio VIII. Magiſter, dein ab Anno MCCCCLXXXIII. Epiſcopus Pientinus*. Sed minime animadvertit Mabillonius, Anno tantum MCCCCLXXXIV. Innocentium VIII. in Cathedra Petri ſedere coepiſſe, ac proinde male heic Chronologiam cohaerere. In hunc autem errorem Clariſſimum virum traxit bonus Ughellius, qui catalogum Pientinorum Epiſcoporum texens Tom. I. pag. 95. Italiae ſacrae haec de illo habet: *Auguſtinus Patritius nobilis Senenſis ſucceſſit Thomae Anno* 1483. *ſub Innocentio Caeremoniarum Magiſter*. Duos item Auguſtinos Patricios, eoſque Senenſes, & literis claros, eodem tempore florentes nobis exhibet idem Mabillonius; & ſane non unus ille fuit in ejuſmodi opinione. Verum me onere ipſam refellendi jamdudum levavit Cl. Vir Apoſtolus Zenus in Additamentis ad Voſſium Tom. XVIII. Ephemerid. Literat. Italiae pag. 336. ubi quaeſtionem hanc pro ſua eruditione excutiens decernit, unum eumdemque fuiſſe Auguſtinum Patricium, qui ſub Paulo II. ejuſque Succeſſore Sixto IV. Caeremoniis Praefectus fuit, ac deinde Pientinus Epiſcopus, & a quo non ſolum gemina memorata Opuſcula, ſed etiam Epitomen Conciliorum Baſileenſis, Florentini, Lauſannenſis, & Piſani, atque alios Libros habemus, quorum catalogum, uti & ipſius Patricii Vitam, apud nuper laudatum Zenum eo in loco Lectores conſulant.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUGUSTINUS PATRICIUS SENENSIS JOHANNI MANELLO CREMANO

SALUTEM PLURIMAM DICIT.

ETſi non dubito te vel fama vulgari intellexiſſe, quæ ſuperioribus diebus heic ſunt geſta in adventum Friderici III. Romanorum Imperatoris: quia tamen his omnibus interfui ex officio, vidique plane vel minima quæque, ea ad te ſtatui perſcribere, quem ex amicis omnibus & ſolidiorem & officioſiorem ſemper inveni. Capies enim, ni fallor, ex hac mea lucubratiuncula duplicem fructum. Nam & pulcherrimarum rerum, ac fere novarum ordinem intelliges, & Divi Pauli II. Pontificis noſtri gloriam ac magnificentiam facile cognoſces. Non enim parum acceſſit honoris ac laudis ſummo Pontifici, Cæſarem uſque ex Germania ad ejus Sacros pedes oſculandos adveniſſe, Pontificem hoſpitio Cæſarem ſuſcepiſſe, eumque atque ejus omnem comitatum, qui equitibus ſupra quingentis continebatur, diebus compluribus, ſuis ſumtibus aluiſſe, rerum omnium maximâ abundantiâ & copiâ. In qua quidem re non magis liberalitas Pontificis in rebus ad victum opportunis ſuppetendis, quàm prudentia & comitas in eo honorando eſt laudata. Siquidem Pontifex poſtquam intellexit Cæſarem religioſæ peregrinationis gratia Romam adventare, numquam deſtitit ea parare, quæ ad tanti hoſpitis exceptionem digna ſibi viderentur, nihil parcens ſumtibus. Nam ut omittam vina optima, quæ abundantiſſime ſunt effuſa, & aliarum rerum profuſionem magis quàm abundantiam, pullos gallinaceos quadringentos ſingulis quibuſque diebus conſumſere. Taceo animantium genera tam quadrupedum quàm volatilium. Taceo aromatici omnis generis confectiones, quoniam fidem ſuperare videntur. Nihil enim prætermiſſum eſt, quod ad magnificentiam, lautitiamque menſarum poſſet deſiderari. Ea tantùm tibi enarrabo, quæ ad honorandum Cæſarem ipſum Pontifex & excogitavit provide, & perfecit prudenter. Lege igitur & rerum ſeriem, bonique conſule, ſi etiam minus digna videar proſequutus. Placuit enim quæque minutiſſima adnotare, ut poſteri ſcire poſſent, quo honore, quibuſque modis Paulus Pontifex Maximus Cæſarem hoſpitio ſuſceperit. Vale & me ama, ut ſoles.

Romæ Idibus Januarii MCCCCLXVIII. Anno à Chriſti Nativitate.

Quum igitur audiſſet Pontifex, Fredericum Cæſarem Italiam ingreſſum jam Cæſenam appuliſſe, Equites duos nobiles Fulginium uſque præmiſit, qui illi Pontificis nomine de proſpero ejus adventu congratularentur. Ordinaverat tamen priùs, ut quamprimum Cæſar Romanæ Eccleſiæ agrum attigiſſet, à locorum Præfectis ubique honorifice excipere-

A tur, alereturque cum omni comitatu ex ærario Pontificali. Miſit poſt hos ex numero Judicum cauſarum Curiæ, quos Auditores Sacri Palatii vocant, duos, & conſiſtoriales Advocatos totidem ad idem opus uſque Spoletum. Quos ſequi juſſit duos Archiepiſcopos & Epiſcopos duos ex ſuis aſſiſtentibus, qui Cæſari apud Narniam ſe obviam præbuere. Deſignavit præterea Pontifex Apoſtolicæ Sedis Legatos duos, Guillermum ſcilicet Epiſcopum Oſtienſem Cardinalem Rotomagenſem, & Franciſcum Sancti Euſtachii Diaconum Cardinalem Senenſem, datis mandatis, ut Cæſari, ſi per Umbriam, Narniæ; ſi verò per Etruriam, Viterbii obviarent. Ii tantùm bi-
B duo antequam Imperator Urbem ingrederetur, acceperunt iter, quum ad id tempus de adventus ſui die fuiſſent incerti. Sed quum Cæſar Flamineam, Picenum, ubi apud Lauretum, Templum Mariæ Virginis viſitavit, Umbriamque percurriſſet, properaretque magnis itineribus, ut celebritati Natalis Salvatoris noſtri intereſſet Romæ; eſſetque aliquantulum propter ætatem, ut opinor, laſſus, ut quieſcendo progrederetur, ante ſub Ocriculo Tiberim eſt ingreſſus, quàm Legati ad eum pervenire potuiſſent. Scaphâ inde ſecundo flumine vectus, ſequenti die circa occaſum Solis Valcham appulit, locum ſex millibus paſſuum ab Urbe diſtantem. Heic Legati Car-
C dinales diu Cæſarem exſpectaverant, quem è navigio exeuntem, ſumma hilaritate, ingentique reverentia excepere, eique Pontificis & ſacri Senatus nomine & de ejus adventu ſunt gratulati, & quæ in Pontificis eſſent poteſtate omnia contulere. Erat ille dies Vigiliæ Natalis Domini, qui nono Calendas Januarias celebrari ſolet, & Legati Urbem versùs Cæſarem deducebant. Exierant Cæſari obviam Pontificis juſſu primi Vicecamerarius Pontificis, Præfectus Urbis, Senator, Conſervatores, Cancellarii, & Capita Regionum, cum Civibus ac Proceribus Romanis: qui omnes via Flaminia Pontem Milvium, paſſibus circiter mille tranſierunt. Senator & Cancella-
D rii cum ſuis equis induti erant habitu, quo utuntur, quum ante initium jejunii Quadrageſimalis ludi fiunt agonales, aut in campo, quem Teſtaceum appellant, quem nonnulli hodie ex vulgo putant veterum Senatorum geſtamen extitiſſe. Is eſt hujuſmodi. Sagum induunt Cancellarii ſericeum auro contextum, crurium tenus protenſum, quod limbum habet in extremitatibus ubique palmo latum ex pellibus albis, quas Varios appellant. Senator verò ſupra veſtem auro purpuráque diſtinctam, cucullum habet parvulum ejuſdem texturæ, qui humeros tegit, & ejus ſummi-

tis pendet à cervice. In capite autem tam ipſe quàm Cancellarii pilea geſtant fere quadrata à parte ſuperiori. Cucullus duplicatus erat iiſdem pellibus albis, & pilea tecta. Hos ſequebantur ordines omnes Curiæ, duce Epiſcopo Urbinate Pontificis domeſtico, qui apud Pontem Cæſarem exſpectabant. Prælati deinde Pontificis domeſtici cum omnibus Aulicis, cumque Proceribus, ac Nobilibus compluribus tertio loco proceſſere. in pratis Imperatori obviam ſe ſe daturi. Horum dux erat Archiepiſcopus Spalatenſis Pontificis Theſaurarius. Poſtremò ſacer Cardinalium Senatus extra portam paſſibus fere quingentis Cæſaris adventum præſtolabatur. Sed pulcherrimum rerum ordinem à Pontifice inſtitutum & magnificam pompam longa Cæſaris retardatio magna ex parte impedivit. Hora enim noctis jam ſecunda erat, quum Pontem tranſivit Cæſar. Obviam tamen, ut præſtitutum erat, omnes proceſſere, ſervato ordine, quantùm pro temporis anguſtia licuit. Quique ſuo & Pontificis nomine de proſpero ejus adventu gaudentes, Cæſari gratulabantur. Lucebant omnia accenſis funalibus, & noctem frequentiſſima lumina vincebant. Incedebat Imperator medius inter duos Apoſtolicos Legatos, pullis veſtibus indutus, ſequentibus Prælatis ſuo ordine, & aliis Togatis. Illum præcedebant primò mixtæ Curialium familiæ cum ejus militibus; tum Nobiles ac Barones aliqui, inde Conſervatores & Cancellarii Urbis cum ſuo ornatu: deinde Regum ac Principum Oratores, qui aderant. Poſtremò Præfectus Urbis & Senator, Præfectus rubro paludamento, quod Pluviale vocant, indutus, aperturâ tamen ſupra dextrum humerum exiſtente incedebat, pileum in capite geſtans oblongum, vittis ab aure pendentibus in modum tiaræ Pontificalis; coloris autem rubei ac ſignis quibuſdam in longum porrectis diſtinctum, vehebaturque equo, ſericeo panno ejuſdem coloris tecto. Inter Præfectum verò & Imperatorem equitabat Cæſareus Armiger, nudum enſem manu præferens.

Quum verò ad portam jam ventum eſſet, Cardinales omnes Cæſari ſimul ſe obviam dedere, eique gratulati ſunt, verba faciente Beſſarione Cardinale Nicæno, qui Epiſcopus Cardinalis exiſtens, inter alios antiquitate primum obtinebat locum. Imperator hinc medius inceſſit inter ipſum Nicænum & Cardinalem Rotomagenſem, ob vetuſtatem ſecundum locum ſibi vindicantem. Hos alii Cardinales ſequebantur ſuo ordine & Prælati reliqui. Primores autem Cives umbraculum heic ſupra Cæſaris caput protenſum ferre cœperunt: fanalia verò ardentia ante Cæſarem præferebant Proceres nobiliores & Pontificis quidam aulici. Atque ita Urbem ingreſſi, per viam, qua itur ad Sanctum Marcum primò, deinde per viam Sacram, quæ Papæ dicitur, uſque ad ædes Maximi, vadentes ad ſiniſtram, verſi per campum Floræ, rurſus ad dexteram pergentes, recto itinere ad beati Petri Baſilicam pervenere. Ibi pro foribus Ædis ſacræ Clerus Urbis cum Reliquiis Sanctorum & Cruce ſacratiſſima, ſacris ipſe veſtibus ornatus Cæſari ſe ſe obtulit. Qui Cruce reverenter oſculata, per Vicarium Templi illi oblata, Baſilicam ingreſſus eſt horâ noctis jam quintâ. Pontifex autem, qui jam dudum in Baſilicam deſcenderat, Cæſarem ſuſcepturus, dum ille moras nectit, ne tempus tereretur

A fruſtra, Veſperas primùm, tum Completorium, & Matutinas Horas à Clero Urbis ibi Cæſarem exſpectante jufſerat decantari. Venit tamdem Imperator dum Laudes Matutinales decantarentur, & ingreſſus majoris Aræ inferiores cancellos, aliis Cardinalibus comitatus, duos ibi Presbyteros & Diaconos quatuor Cardinales offendit, qui ex campo Floræ pompam à Pontifice prænoniti relinquentes, ad eum prævenerant. Ii paratam apud Confeſſionem Apoſtolorum, ubi ſancta Oſſa quieſcunt, inclinatoriam ſellam, quod Faldiſtorium vocant, Cæſari oſtendentes, illum, dum ibi oraret, præſtolabantur. Alii Cardinales ad ſua quique ſedilia diſceſſerant. Cæſar faldiſtorio incum-
B bens, flexis genibus preces ſuas omnipotenti Deo ac beatiſſimis Apoſtolis effudit, ſolvitque concepta vota. Erat autem id faldiſtorium hujuſmodi. Sella erat ſuper inſtrato tapete poſita ad illarum formam, quibus utuntur Prælati, quum rem Divinam faciunt. Ea purpurâ fuit tecta ad terram uſque, exſtantibus tantùm aureis pomis ad quatuor angulos. Supra pulvinar non magnum erat ſericeum, & ſubrubei coloris, quod pavonatium hodie vocant. Scabellum ad ejus pedes appoſitum habebat parvulum, pictum colore viridi, & ſuper id pulvinar aliud priori ſimile, ſuper quo genua flectens Cæſar pectore faldiſtorio incumbebat.
C Factâ igitur ad Deum oratione, verſus ad dexteram Cæſar, ad Aram aſcendit, ubi quum Pontificem maximum in alto ſolio ſedentem cerneret, ei genua flectens ad gradus excelſi throni acceſſit, rurſuſque ibi terram genu attingens, aſcendit ſolium, pedeſque Pontificis in honorem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti oſculatus eſt. At Pontifex lætiſſimo vultu Cæſarem intuens, illum ad manus primò, deinde ad utriuſque genæ oſculum ſumma benignitate ſuſcepit, ſurgenſque aliquantulum, eum quam familiariter eſt amplexatus. Juſſit deinde illum ſedere in præparatam ei ad dexteram ſedem, inter ſe & Epiſcopos Cardinales locatam. Erat Imperialis ſedes cum reclinatorio ſuo viridi panno ſericeo auro intexto tecta, ſcabellumque habebat, ut faldiſtorium ſuperius. Altitudo ſedis ita erat inſtituta, ut non altior eſſet locus, ubi ſederet Imperator, quàm ubi Pontifex teneret pedes. Poſtquam autem aliquantulum quievit Cæſar, ſurgens, à duobus Diaconibus Cardinalibus ad dexterum altaris cornu deductus, in oſtiolo cancelli ſuperioris, quod ad Septemtrionem vergit, ſuper faldiſtorio e loco inferiori delato procumbens diu oravit. Interim Cantores Pontificis hujuſmodi ſacra carmina decantabant: & primò omnes pariter; *Elegit eum Dominus, & excelſum fecit illum præ Regibus terræ*; deinde duo tantùm dixere: *Glorificavit illum in conſpectu Regum*. Reſponſum eſt ab univerſo
E choro; *Et non confundetur*. Hinc ſurgens Pontifex detecto capite, altiori voce inquit *Pater noſter*, & ſecrete orationem Dominicam proſequutus, eâdem voce dixit, *Et ne nos inducas in tentationem*. Reſpondit chorus, *ſed libera nos à malo*. Tum additæ ſunt hæ Preces Pontifice exorante & reſpondente choro. Pontifex: *Deus judicium tuum Regi da*. Chorus; *Et juſtitiam tuam filio Regis*. Pontifex; *Salvum fac, Domine, ſervum tuum Fridericum Imperatorem noſtrum*. Chorus; *Deus meus, ſperantem in te*. Et rurſus Pontifex; *Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto*. Chorus; *Et de Sion tuere eum*. Pontifex; *Nihil*

bil proficiat inimicus in eo. Chorus; *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei*. Pontifex; *Fiat pax in virtute tua*. Chorus; *Et abundantia in turribus tuis*. Pontifex; *Domine, exaudi orationem meam*. Chorus; *Et clamor meus ad te veniat*. Pontifex; *Dominus vobiscum*. Chorus; *Et cum spiritu tuo*. Continenti deinde voce adstantes ad orationem invitans inquit Pontifex; *Oremus. Deus, qui beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni Cœlestis animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio, famulus hic tuus Fridericus Imperator noster à nexibus peccatorum suorum liberetur; per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum*. Et choro respondente, *Amen*, rursus ait Pontifex: *Oremus. Prætende, Domine, quæsumus, famulo tuo Imperatori nostro Friderico dexteram Cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne & humiliter postulat, assequi mereatur. Omnipotens sempiterne Deus, Christiani Imperii protector & conservator, da servo tuo Friderico Imperatori nostro tuæ virtutis invictæ triumphum: ut ad nostrum & Ecclesiæ tuæ sanctæ atque fidelium omnium unitatem & pacem, subditas illi facias universas barbaras nationes: per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia secula seculorum*. Et à Choro responsum est, *Amen*.

His peractis surrexit è faldistorio Imperator, & Pontifex è solio descendens, Cæsarem rursus amplexatus, manu sinistra ejus dexteram tenens, in superius Palatium perduxit. Et simul cum eo Sacellum Divi Nicolai ingressus, quod in prima superiori aula à dextris existit, ad præparatum illi cubiculum in parte Palatii, ubi coronationis suæ tempore olim diverterat, dimisit non sine multis verbis caritate & honore plenis; jussitque, Cardinales omnes illum ad cubiculum usque deducere. Ipse verò per aliam Sacelli portam ad cubiculum suum reversus est. Prætermissæ sunt hac die Pontificales Vesperæ propter serum Imperatoris adventum, & solemnis compotatio, quam Pontifex cum Cardinalibus & primoribus Curiæ post Vesperas quotannis celebrare solet. Hora enim unde vigesima erat, quum Ordines Curiæ, ut Cæsari obviarent, equitarunt. Quum autem domum rediere, hora erat prope septima. Postquam quieti ac somno aliquantulum indulsere, Pontifex horâ, ut prædixerat, undecimâ è cubili suo egressus, purpureo pallio, eoque ampliſſimo induitur, & Cardinalibus, aliisque Ordinibus ex more comitatus, in Sacellum Palatii, quam Capellam majorem vocant, sine Mitra accessit, celebraturus ibi justis cæremoniis Matutinales Horas & alia Sacra, ut in Natali Salvatoris nostri nocte Christiani est moris. Superiores enim Matutinæ non tam ad satisfaciendum Officio, quàm ad tempus honeste conterendum fuerant decantatæ. Advenit eo Cæsar, quum jam incœptæ essent Matutinæ. Factâ oratione super faldistorio, quo in Basilica usus erat, illi ad sinistram Pontificalis faldistorii præparato, paulo tamen inferius, quum priùs inclinato capite Pontifici reverentiam exhibuisset, ad sedem suam, ut in Basilica diximus, ornatam ascendit, seditque innuente Pontifice. Sedium autem ordo ita erat institutus, ut Cardinalium subsellia Cæsaris scabellum altitudine æquarent, Cæsaris verò Sedes Pontificis throni scabellum: reclinatorium Cæsareæ sedis Pontificali reclinatorio longe erat humilius. Surgit enim Pontificale thronum omnibus Palatii locis tribus gradibus, qui planum conficiant in forma pæne quadrata latitudinis palmorum circiter decem. In medio plani parieti aureis ornato nititur sedes, panno sericeo auro intexto semper cooperta, post se pannum habens illi, qui sedem ornat, omnino similem. Hæc tamen ornamenta mutantur secundùm mutationem colorum sacrarum vestium. Scabellum præterea magnum ad pedes solii hæret, quod simul cum panno quadrato coccineo panno tegitur, super quo tenebat Pontifex pedes. Apponitur huic scabello scabellum aliud parvulum detectum, sed pictum rubeo colore, quo utitur Pontifex ad ascendendum pro gradu. Inter planum autem throni Pontificalis & Cardinalium prima subsellia, quæ à dextris sunt, elevabatur Imperialis sedes ex solo plani Pontificalis throni altitudine fere æquali, latitudine verò & longitudine palmorum quatuor. Jungebatur solum hoc plano throni & parieti, eratque coopertum eodem coccineo panno, quo & planum throni. Sedes verò Imperialis super hoc solo constituta alioquin ornata erat, ut in Basilica diximus. Postquam in sede sua locatus est Imperator, Diaconi Cardinales, qui hinc & inde sedem Pontificalem mediam habentes sedere solent, parieti & sedi inhærentes super scabellis rubeis pro cornibus primi gradus throni sedere. Circa thronum verò super gradus incumbebant Præfectus, Senator, & Conservatores Urbis, aliique Proceres, tum Germani, tum Latini. Ad pedes autem Cæsaris sedebat Lavantinus Episcopus, qui est ab ejus secretis, & alii. Consueto quoque loco cantabantur Psalmodiæ Matutinæ. Et primas quidem quatuor Lectiones, qui aliàs, cantavere, primam scilicet Cæremoniarum Magister, alteram Acolythus unus, tertiam unus ex Auditoribus, quartam ultimus Presbyterorum Cardinalium, quintam verò extrà ordinem penultimus Presbyter Cardinalis. Hanc siquidem cantare solet, qui benedicto ense eâ nocte donatur, aut Cameræ Apostolicæ Clericus ejus loco. Ense autem donatus est hac nocte Cæsar. Sexta Lectio cedit ex consuetudine Subdiacono Apostolico: Septimam, quæ principium habet Evangelii secundùm Lucam, ubi scribitur, *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*, Cæsar ipse cantavit his cæremoniis. Primò descendens è sede Imperator juvantibus Diaconibus Cardinalibus, qui Pontifici ministrabant, supra togam, qua quotidie utebatur, indutus est lineam tunicam, quam nonnulli *Cottam*, aliqui superpelliceum vocant. Post hæc Stolam accepit in morem Diaconi super humerum sinistrum religatam sub dextro. Sed quum paludamentum deinde album illi imponerent, aptarentque ejus aperturam ab humero dextro, ut aliis non initiatis fieri solet, renuit Imperator, aptavitque illud cum apertura ante pectus, asserens, Cæsarem Pluvialem & Stolam ad morem Sacerdotum gestare oportere. Atque ita, ut in magno Cæsareo Sigillo sculptum vidimus, ubi Imperator in majestate sedens paludamento Sacerdotali, & subtus Stolâ in Crucis modum ante pectus ornatus imprimitur. Quum Diaconi Stolam, ut ille dixerat, vellent componere, respondit Cæsar, non opus esse quicquam immutari, quo-

Digitized by Google

quoniam id videret nemo. Gladium verò ſacrum, quo eum volebant accingi, non accinxit, ſed Armigero ſuo juſſit dari, & pileum quoidam ex adſtantibus. Donatur enim & Pileum quoddam cum Enſe, ut noſti. Imperator poſt hæc ante Pontificis thronum accedens, detecto capite ſtrictum enſem ex armigeri manu accipiens, eum tertiò vibrat, redditque ſtatim armigero. Vadenſque deinde ad ornatum pluteum, quo Liber ſuſtinebatur, inclinato capite benedictionem petiit à Pontifice, qua accepta cantavit Evangelium uſque ad principium Homiliæ. Homiliam verò proſequutus eſt Cardinalis Diaconus, qui miniſtrabat à ſiniſtris. Evangelio lecto Imperator ſacras exuit veſtes, & inclinata rurſum cervice coram Pontifice, ad ſedem ſuam rediit. Ille autem qui gladium tenebat ſacrum, eum in aurea vagina condidit, ſuperpoſuitque Pileum.

Reliquæ cæremoniæ ordine conſueto peractæ ſunt, & in Matutinis, & Miſſa nocturna. Sed quoties Pontifex per aſſiſtentem Cardinalem incenſabatur, incenſabatur etiam poſt eum illico Imperator per primum ex Archiepiſcopis Pontifici adſiſtentibus. Quum Pontifex ad ſaldiſtorium ſuum ante Altare deſcendebat, & Cæſar ſimul ad proprium faldiſtorium accedebat. Non tamen genua ſuper pulvinar ſcabelli umquam voluit flectere, quamvis ſæpe monitus: ſed ob Pontificis reverentiam ſemper in ſolo, ſimplicibus tantùm pannis ſtrato genuflexit. Eundo autem & redeundo Pontifex ſemper Cæſarem manu tenebat, ducebatque ſumma cum benignitate & gratia. Ille autem ſequebatur, devotione & reverentiâ plenus, impenſoſque honores ingenti modeſtia ſuſcipiebat. Quum oſculum pacis inter Miſſarum ſolemnia dandum fuit, poſtquam Pontifex à ſacrificante Cardinali per aſſiſtentem ex more pacem ſumſit, Imperator primus à Pontifice in loco ſuo ſtante pacis oſculum accepit. Deinde Diaconi & alii, ut aliàs. Peractis Sacris Pontifex & Imperator ad ſuum quiſque cubiculum rediere. Horâ deinde competenti Pontifex maximus indutus Albâ ſuccinctâ Stolâ, ac Pluviali pulcherrimo, tiaramque triplici corona redimitam gemmis lapilliſque pretioſiſſimis onuſtam in capite geſtans, ad Baſilicam Sancti Petri deſcendit, rem Divinam facturus. Adſtantes nobiles umbraculum ſericeum ſuper eum ferebant, & is Cæſarem ſecum ducebat, quem ad ſe venientem offenderat. In prima Palatii Aula Pontifex introëdens, Cæſarem ſiniſtra manu tenebat, dexterâ autem ſignans benedicebat Populo. Præcedebat Subdiaconus ſacris veſtibus indutus, Crucem ferens, habens ad ſiniſtram armigerum Cæſaris, nudum enſem manu ferentem & hinc inde Acolythos ceroferarios, quos Oratores Principum anteibant, & alii ex conſuetudine Ordines. Crucem verò ſequebantur Prælati albis veſtibus ſacris ornati, albaſque mitras geſtantes in capite. Cetera omnia ſervata ſunt, ut in Miſſa, quæ à Romano Pontifice celebratur, ſervari ſolent. Imperator poſtquam in ſuo faldiſtorio oravit, ad paratam ſibi ſedem aſcendit. Pontifex verò ad aliam ſedem acceſſit, ſacras veſtes ſuſcepturus, implevitque omnes ſolitas cæremonias. Intra Miſſarum ſolemnia, quum poſt Offertorium fit incenſatio, poſt Pontificem primus incenſum accepit Imperator à Diacono Cardinali: pacis verò oſculum ab ipſo Pontifice, A quum ex ejus manibus ſacratiſſimum Chriſti Corpus ſuſcepit. Communicavit ſummus Pontifex Altaris Sacramentum cum Imperatore, Diacono, & Subdiacono de pane tantùm: de Calice autem, etſi conſuetudo ſit communicantes cum Pontifice participare, propter inſurgentem tamen Huſſitarum ac Boëmorum damnatam hæreſim, quæ Calicis potationem ad ſalutem neceſſariam putat, præter Pontificem bibit nemo. Re divina peracta, Pontifex cum Imperatore & omni pompa ad Salvatoris noſtri faciem adorandam in Sudario expreſſam, quam Veronicam appellant, proceſſit: deinde ſuggeſtum, unde Populo benediceret, ſupra portas Baſilicæ conſtructum aſcendens, Cæſare aſſiſtente, B benedixit Populo, plenariamque peccatorum remiſſionem omnibus elargitus eſt, per pœnitentiam & ſatisfactionem merentibus. Sed quum in fine poſt Indulgentiarum enuntiationem, quæ Latino & vernaculo ſermone per Diacones Cardinales fieri ſolet, moneretur ex more Populus, ut pro felici ſtatu ſummi Pontificis Pauli & Romanæ Eccleſiæ Deum orarent, additum eſt, *& pro Imperatore noſtro Friderico, ut Deus illi victoriam daret de hæreticis Boëmis, Turcis, ac aliis Chriſtiani nominis hoſtibus*. Rediit deinde Pontifex ad Palacium, & per inferiorem portam ingreſſus, qua itur ad Imperatoris diverſorium, Cæſarem ipſum modeſte reluctantem uſque ad interius cubiculum perduxit, manu ſemper illum tenens: C deduxiſſetque ulteriùs, niſi Cæſar alterius cubiculi oſtium clam juſſiſſet claudi. Redeunte autem Pontifice, Cæſar eum reduxit per omnes inferiores aulas uſque ad oſtium ante ſcalarum principium, neque ulterius eum tranſire permiſit Pontifex. Qui deinde ad cubiculum ſuum reverſus eſt, & Cardinales ad ſua quique rediere. Poſtridie verò, horâ noctis fere quartâ, Cæſar uno tantùm famulo cum ardenti funale præcedente, ſequentibuſque duobus comitibus, venit ad Pontificem. Pontifex ut rem audivit, ei obviam progreſſus eſt uſque ad portam aulæ, quam Papagalli vocant. Eumque benigne ſuſcipiens, ſecum duxit in ſecretum cubiculum, ubi ad octavam uſque D horam ſine arbitris ſunt colloquuti. Poſt hæc Pontifex Cæſarem reduxit uſque ad oſtium, ſub quo ſcalæ incipiunt, in capite primæ aulæ ſuperioris, rediitque deinde quiſque ad ſuum cubiculum. Nec multis poſt noctibus Pontifex ad Imperatoris cubiculum cum paucis domeſticis acceſſit: quod non ante præſenſit Imperator, quàm Pontifex ad oſtium interioris cubiculi jam adeſſet. Excepit eum Cæſar ſummâ reverentiâ, eumque in redeundo reduxit uſque ad ultimam aulam, quum Pontifex ulteriùs eum tranſire non permitteret. Iterum & tertiò Cæſar ad Pontificem venit. Semperque Pontifex hilari vultu, & ſumma humanitate Cæſarem ſuſcepit & eſt alloquutus, & Imperator maxima ſemper cum reverentia ſe geſſit. E

Sequentibus verò diebus Cæſar ſacras Ædes Urbis, & devotiſſima Sanctorum Sacella, cujus rei gratiâ Romam venerat, ſumma pietate viſitavit: viditque etiam diligenter priſcorum Urbis ædificiorum ruinas, neque rem publicam tamen neglexit. Nam & apud Pontificem ſeorſim, & in Conſiſtorio ſecreto cum Cardinalibus, ut audivi à nonnullis, de bello Turcis, atque hæreticis Boëmis inferendo, deque republica Chriſtiana bene feliciterque gerenda differuit, operamque ſuam omnem in ea re

pol-

Digitized by Google

pollicitus est. In Consistorio autem, ut in Capella, resedit. Pridie verò Calendas Januarii, quum summus Pontifex Lateranum accessisset, noctu Circumcisionis Dominicæ proximæ, Vesperæ ibi celebratæ sunt. Quibus finitis ascendit Pontifex locum, ubi Apostolorum Petri & Pauli Capita in pretiosissimis statuis reservantur, eaque summâ devotione & vidit & veneratus est. Intravit interim Basilicam Imperator, quem diu Pontifex exspectaverat: ascenditque etiam ipse ad locum, ubi simul cum Pontifice venerabiles Reliquias adoravit, & divitem ornatum admiratus est. Descendentes deinde in Ecclesiam, Pontifex Palatium superius ascendit, ibi pernoctaturus, nonnullis Cardinalibus comitantibus, ad Sancti Petri Palatium rediit. Sequenti verò die, quum solemnitas Circumcisionis celebranda esset, Imperator oriente Sole Lateranum petiit, & Capellam Basilicæ majorem ingressus, Pontificem ibidem exspectabat, neque umquam super sedem sibi ad dexteram Pontificalis throni paratam sedere voluit, absente Pontifice, quamquam Cardinales aliqui, qui ei assistebant, ut in ea sederet, sedulò hortarentur. Venit horâ consuetâ Pontifex, & Cæsar obviam illi processit usque ad majorem Aram, simulque deinde ante Altare in suo quisque faldistorio procumbentes oravere. Accessit post hæc Pontifex ad Confessionem ex more faciendam cum Cardinale Bononiensi Episcopo Albano, qui eo die rem Divinam erat facturus. Imperator sedem suam repetiit. Factâ confessione accessit Pontifex ad solium. Et alia omnia facta sunt, ut in nocturna Missa Natalis enarravimus. Re divina absoluta, antequam Pontifex è solio descenderet, Cæsareæ domus Magistrum Pincernarum, virum domi nobilem ac probum, signis Militaribus donavit, novæque Religionis Militaris, quam Sancti Georgii dicunt, Militiæ & adscripsit & præfecit: sagumque illi imposuit album Cruce rubra distinctum, ac Vexillum assignavit ejusdem coloris, Cruce etiam rubra insignitum. Adstabat Cæsar, dum hæc fierent, manuque assignandis insignibus Pontificem juvabat. Accessere post hæc ad Ædis sacræ medium, ubi faldistoriis incumbentes Pontifex & Cæsar genibus flexis, nudatisque capitibus, Apostolorum Principum primò, deinde Sanctorum complures Reliquias & aspexere devote, & pie venerati sunt. Ascendêre deinde Palatium, & Sancta Sanctorum ingressi aliquantulum oravere. Inde per vicinas scalas descendentes, equos conscenderunt, solemni pompa in Vaticanum reversuri. Cæsar, ut piæ religioni satisfaceret, venerareturque pro viribus Jesu Christi Vicarium, illique se se humiliaret, quum Pontifex equum vellet inscendere, citò accurrit, staffamque equi Pontificalis arripiens, tamquam unus esset ex Pontificis servis, eam quo ad Pontifex inscenderet, tenere volebat. At Pontifex humanitatem religiosi Principis collaudans, negat se equum ascensurum, nisi priùs ille discedat: pariterque & ipse inscendit equum, quem Pontifex ei dono dederat. Laudata est ab omnibus, & admirationi à plerisque habita ea Cæsaris in Romanum Pontificem observantia ac devotio.

Sed neque prisci Cæsares, qui de Christiana religione bene senserunt, minora humanitatis officia Romanis Pontificibus præbere sunt soliti. Nam ut omittamus, quæ de magno Constantino & beato Silvestro leguntur, Justinianus II. Constantino Romano Pontifici Constantinopolim ad se venienti, & Tiberium filium ac Cyrum Patriarcham cum omni Nobilitate, Clero, & Populo, obviam misit, & ipse Imperator advenienti Pontifici pedes osculatus est, qui & imperium amplissimum obtinebat etiam extra Europam, & à Romano Pontifice neque Coronam neque alia ad Imperium suffragia sperabat. Postquam verò ad Occidentales Pontificis decreto Imperium est translatum, Imperatores omnes & pedes Pontifici osculatos esse legimus, & equum etiam coronatos paludatosque freno per Urbem deduxisse. Summæ autem reverentiæ atque humilitatis indicia, quæ Henricus III. ejus nominis Imperator apud Canossam Gregorio VII. Pontifici exhibuit, & quæ Fridericus I. Alexandro III. Venetiis, prætermittam, quando & maxima sunt, & satis nota. Sed neque sunt contemnenda, quæ maximi aliquando Reges, & potentiâ Imperatoribus pæne pares, egere. Nam & Pippinus, ille magni Caroli pater, qui potentissimum Galliæ regnum possidebat, Gregorio III. ad se venienti, contra Haistulphum Regem auxilia petituro, Carolum filium ad centesimum lapidem præmisit. Ipse verò ad tertium Pontifici obviavit, ubi equo descendens, sacros pedes osculatus est, & ipse pedibus deinde incedens, equumque regens freno, Pontificem in regiam usque deduxit. Et Johannes Aragoniæ Rex Benedicto XIII. in Morella sacram pompam ducenti ipse diademate regioque habitu indutus, Pontificalis paludamenti fimbrias post Pontificem per Urbem totam tulit. Non est igitur novum neque indignum, Christianos & Imperatores & Reges summo Pontifici, qui Dei nostri vices in terris gerit, se humiliare. Atque ut maximâ laude sunt digni, qui id agunt, ita exsecrabili odio sunt persequendi, qui superbiâ elati, Romani Pontificis jugum aut dedignantur aut contemnunt, tamquam cum ipso Deo de Imperii magnitudine bellum gesturi. Conscensis igitur equis Pontifex & Imperator in triumphantium morem hoc ordine in Vaticanum reversi sunt. Præcedebant primùm Cardinalium, & aliorum Curialium mixtæ familiæ, cum quatuor è familia Pontificis, qui singulos saccos ex panno coccineo in equis præferebant, quas Valisias vocant. Ferebantur deinde a pedestribus Vexilla tredecim Regionum Urbis, & post ea Vexilla magna quatuor vehebantur à proceribus quibusdam equitibus. Hæc erant Populi Romani, Pontificis maximi, Ecclesiæ, & Crucis albæ in rubro Vexillo. Deducebantur post albi equi falerati duodecim sine sessoribus, quos sequebantur Pontificis aulici: e quibus quatuor portabant singula Pilea purpurea, aureo limbo circumdata. Inter eos medius erat Pontificis Architriclinus, quem Senescalcum vocant, Pontificale Pileum gerens à spatulis, & cum iis Nobiles quidam minores equitabant. Post hos Secretarii, & cum eis Procurator Fiscalis cum Advocatis & Cubiculariis cum suis cucullis circa collum. Inde Acolythi, Clerici Cameræ, Adjutoresque caussarum cum lineis rochetis & cappis amplis. Sequebantur deinde Nobiles quidam majores, & Proceres Urbis. Tum Legati Principum & Regum, qui aderant, cum Senatore & Conservatoribus Urbis. Sed Conservatores infimum, Senator verò supremum inter Legatos obtinuit locum. Incedebat post hos Subdiaconus Crucem præferens, indutus alioquin

quin ut Auditores, ſed & Pileum in capite geſtans nigrum totum, præter mappulas & chordulas aërei coloris. Hunc alii Subdiaconi ſine Pileis medium habebant. Præcedebant autem eos duo Magiſtri oſtiarii cum baculis ſerico tectis. Crucem verò ſequebantur primò Clerici Pontificalis Capellæ duo, quorum alter laternam cum lumine præferebat in honorem ſacræ Euchariſtiæ, alter verò loculum Pontificalis Mitræ. Tum Peloponeſſi, qûam Moream vocant, Deſpotus cum fratre. Inde Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales, inter quos Diaconi duo Pontifici miniſtrantes ultimi erant. Poſt hos ducebatur equus albus, ſacratiſſimum Chriſti Corpus vehens in capſula ornatiſſima reconditum, quem præcedebat Sacriſta Pontificis, baculum teretem manu ferens, & ſupra ſacram Hoſtiam ſericeum umbraculum ferebatur: circum circa verò funalia multa accenſa. Sequebatur poſt turba pedeſtris Civium Romanorum nobilium, qui & Regionum Capita vocantur, cum ligneis baculis; & Curſorum Curiæ cum argenteis, & cum is Cohors Prætoria ad cuſtodiam corporis Pontificis. Inter hos incedebat Pontifex albo equo vectus, indutus Pluviali albo, auro, margaritiſque ornato, Mitram geſtans in capite pretioſam, finiſtrâ manu adequitantem Cæſarem aureâ togâ indutum, quam illi dono dederat, tenens, dextrâ verò Populum benedicens. Prætendebatur ſuper eos ſericeum umbraculum, quod nobiles ferebant Cives. Cæſarem anteibat Armiger ſuus parvo intervallo nudum enſem præferens. Sequebantur mox Cubicularii Pontificis ſecreti duo, medium tenentes Auditorem, qui Mitram ſervare conſuevit. Tum Prælati quidam, Imperatoris & Pontificis Medicus. Ferebatur deinde ab uno è ſervientibus, ut ajunt, armorum, ex vetuſtâ conſuetudine umbella crocei rubeique coloris, & is armatus eques erat. Poſt hos Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati alii ſuo ordine. Et poſtremò Clerici Curiales reliqui mixtim ac turmatim ſequebantur.

Ubi autem ad Pontem ſub Mole Adriani perventum eſt, Cæſar ibi ſubſiſtens cum Pontifice & Cardinalibus, nobiles viros ſupra centum, Germanos fere omnes, Militaribus inſignibus donavit, nudo ac plano enſe quemque ter verberans leviſſime. Poſt hæc ad Palatium pervenere Vaticani: deduxitque Imperator Pontificem uſque ad cubiculum primum, & ipſe deinde à compluribus Cardinalibus comitatus ad ſuum diverſorium rediit. Venit & aliàs Cæſar cum Pontifice ad rem Divinam audiendam, & cæremoniæ eædem ſervatæ ſunt. Magna fuit humanitas, quam Pontifex Cæſari ubique præbuit: & eo major eſt habita, quo Pontificalis auctoritas nulla ex parte priſcis temporibus eſt inferior; poteſtas autem atque vires longe ſunt ſuperiores. Eccleſia enim Romana, Deo bene volente, imperio & divitiis, Pontificum diligentiâ, & præſertim Pauli noſtri, aucta eo uſque proceſſit, ut maximis quibuſque Regnis ſit comparanda. Contra autem Imperii Romani auctoritas & vires adeo ſunt diminutæ atque attritæ, ut præter nomen Imperii pæne nihil remanſerit. Neque me latet, nonnullos Romanos Pontifices ſuperioribus Cæſaribus, & nonnumquam Regibus officioſos ſe ſe aliquando præſtitiſſe. Nam & Vitalianus Pontifex, qui Eugenio I. ſucceſſit, Conſtantino Imperatori Conſtantini filio Romam petenti ad ſextum lapidem cum Clero & Populo obviavit, deduxitque eum in Vaticanum. Et Conſtantinus etiam Pontifex à Juſtiniano II. ut diximus, Conſtantinopolim vocatus, ire non recuſavit. Adrianus autem I. Carolum Francorum Regem, nondum Imperatorem deſignatum (nam Leo ejus ſucceſſor illum poſtea Imperatorem appellavit) Romam venientem ad gradus Baſilicæ beati Petri ſuſcepit, & poſt pedis oſculum ad Altare perduxit. Adrianus item IV. Friderico I. apud Sutrium obviavit, deduxit Romam, atque Imperiali diademate coronavit. Sed magna erat etiam tunc Romani Imperii poteſtas, magnæ Imperatorum & Caroli vires, quando in Italia & extra ſatis diffundebatur. Pontificis autem tanta erat potentia, quanta à Principibus permittebatur. Nunc verò quum rerum fere mutatio ſit, parvulum quodque humanitatis officium pro maximo reputandum eſt. Non autem minima aut parvula exhibuit Friderico Paulus, ſed magna admodum. Nam & bis ad Imperatoris cubiculum paucis comitatus deſcendit, & ſemper quum ſimul eundum fuit, manu finiſtrâ eum tenebat, aliquando etiam dextrâ: parique gradu, ut incederet, jubebat: quum erat ſedendum, ut eodem tempore aſſideret, invitabat; aliaque omnia officia præſtabat, quæ inter ſe pares præſtare ſolent. Statuerat etiam Pontifex Cæſarem abeuntem uſque ad Palatii portas deducere. Sed ille hoc recuſans, ante conſtitutam horam equitavit. Diſceſſit namque Cæſar, Germaniam repetiturus, V. Idus Januarias ſummo diluculo, eumque Cardinales, aliique extra Urbem deduxerunt. Nam reliqui nimiâ Cæſaris feſtinatione præventi ſunt. Ille enim ante Urbem exiverat, quàm aliqui vel id reſciſſent. Omni hoc tempore, quo Cæſar Romæ fuit, & quamdiu Eccleſiæ Romanæ agrum peragravit, Pontifex illum & omnem ejus comitatum hoſpitio victuque ſuo ære continuo excepit, magna liberalitate & rerum omnium ingenti copia. Non equis, non hominibus quicquam defuit: ubique benigne comiterque omnes habiti ſunt: gratias ſpirituales, quas plurimas & magnas à Pontifice impetrarunt omnes, ſine pecuniis redemit. Omnia enim Pontifex gratis juſſit expediri. Donatus eſt præterea Cæſar à Pontifice albo equo falerato, & aureâ togâ, quibus in ſolemni pompa uſus eſt. Et præter hæc decentibus quibuſdam munuſculis, lapillis, unionibuſque pretioſiſſimis ornatis, quæ ſupra duûm millium aureorum nummûm æſtimata ſunt. Atque ita perſolutis votis Imperator lætus domum verſùs arripuit iter, Cardinale Reatino, & Vicecancellario eum Viterbium uſque comitantibus, & quatuor Prælatis, qui Narniam iverant, aliquot diebus ultra eum deducentibus. Hæc habui, quæ ad te ſcriberem, mi Johannes, ut amicitiæ noſtræ officio ſatisfacerem. Tuum officium erit amici munuſculum benigne ſuſcipere, & non tam rem ipſam quàm mentem metiri. Vale. Romæ . . . . . .

FINIS.

Digitized by Google

ANNALES
DE RAIMO,
SIVE
BREVIS HISTORIA
Rerum in Regno Neapolitano gestarum
Ab anno MCXCVII. ad MCCCCLXXXVI.
AUCTORIBUS
LUDOVICO SENIORE,
ET
JUNIORE DE RAIMO,
Nunc primùm prodeunt
E MANUSCRIPTO CODICE
IGNATII MARIÆ COMI
NOBILIS VIRI NEAPOLITANI.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ANNALES DE RAIMO

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

AD Ephemerides Neapolitanas, quas dedi in Tomo XXI. Collectionis hujus, accedat & hoc Opuſculum, nempe *Annales* breves *de Raimo*. Hic eis titulus, quod Auctorem habuerint *Ludovicum* Seniorem, & alterum ejuſdem nominis Juniorem, e Familia *de Raimo*. Quae quidem gens non vulgari nobilitate fulgebat, quum in ea olim numerarentur *Franſonus*, & *Lancellottus*, *Equites Hieroſolymitani*. Immo & iſti duo aliquid addidiſſe monumentis hiſce videntur, ſi fides titulo Libri. Verum, ut intellexi e literis Petri Pollidori V. Cl. cui debemus elegantiſſimam Vitam Clementis XI. Pontificis Maximi, Franſonus & Lancellottus, poſſeſſores potius qu m Scriptores iſtorum Annalium credendi ſunt. Eorum quippe exemplum Pollidoro ipſi ad manus erat, titulum hunc in fronte praeferens: *Annali di Ludovico vecchio e giovane de' Raimi, deſcripti da un Libro a penna de' M. M. Lancellotto & Franſone de' Raimi, Cavalieri Hieroſolimitani. Cum additionibus Antonii de Afeltriis*. Praeterea tam pauca nobis in hoc Opuſculo exhibentur, ut vix credibile ſit, multas manus ad illud efformandum identidem ſucceſſiſſe, ſi tamen integrum ad nos venit. Quod ajo, quippe video, non ſolum heic deſiderari, quae ab Anno 1460. geſta fuere in Regno Neapolitano (eadem quippe habemus fuſe ſcripta a Johanne Joviano Pontano) ſed etiam quae ibi contigere ab Anno 1468. uſque ad Annum 1485. Non levis lacuna haec eſt, & cui tribuenda ſit, ignoro: neque enim facile excogitari poteſt, aut a primis, aut a ſubſequutis Scriptoribus res geſtas tanti temporis fuiſſe neglectas. Ad haec in brevibus hiſce Annalibus multa alia magni momenti, quae in Regno Neapolitano contigere, omiſſa deprehendas, ita ut quae pauca ſuperſunt, exiguo nobis emolumento futura videantur. Et praecipue quod Ephemerides ſupra memoratae praeceſſerint, in quibus accurate collectam habemus non mediocrem Regni Neapolitani Hiſtoriam. Attamen, uti in eiſdem literis monuit me praelaudatus Pollidorus, quum brevia haec Schediaſmata praeſertim reſpiciant Campaniam, Samnites, alioſque Populos Aprutio finitimos, quorum aut ignota aut ſterilis Hiſtoria eſt: idcirco iſtis quoque honorem habendum ſpero, locumque dare inter Italica monumenta, minime ſupervacaneum duxi. Atque heic, quando ſe ſe occaſio offert, lubens commemoro Ignatium Mariam Comum, nobilem Civem Neapolitanum, Muſis gratiſſimum caput, in quibus exornandis hactenus ingenium & eruditionem ſuam exercuit. Is enim veteri mihi neceſſitudine junctus haec non ſolum ſtudiis meis procuravit, ſed bene etiam de Republica Literaria meriturus eſt, ſi quando Vitas Romanorum Pontificum & Cardinalium, e Regno Neapolitano profectorum, a ſe contextas publici juris faciet.

Digitized by Google

Digitized by Google



ANNALES
LUDOVICI
DE RAIMO SENIORIS,
ET JUNIORIS, ET FRANSONI,
ET
LANCELLOTTI DE RAIMO
EQUITUM HIEROSOLYMITANORUM.



ANno 1197. morì l'Imperatore Herrico Padre di Federico II. a' 4. Settembre.

Anno 1250. a' 13. Dicembre morì Federico II. in Fiorentino Terra di Capitinato.

Anno 1253. di Maggio il Re Corrado ſuo figlio aſſediò Napoli, e poſe lo campo a Carbonara, e dello meſe di Ottobre ſequente ſe rendio, e ſaccheggiolla; & al medemo tempo fò preſa, e ſaccheggiata Capua.

Anno 1254. morì Re Corrado.

Anno 1266. il Re Carlo primo entrò nel Regno del meſe di Febraro, e combattè con Manfredo, e vinſelo, & ebbe tutto il Reame.

Anno 1268. alli 17. Agoſto Corradino fu preſo, & alli 28. Ottobre li fu tagliata la teſta in Napoli innanti Santa Maria del Carmine dove ſta la prima colonna de Porfido.

Anno 1282. ultimo Martii ſi ribellò l'Iſola di Sicilia.

Anno 1284. a dì 5. Giugno ſi fè la battaglia, e la Gajola, e Re Giacomo d'Aragona pigliò prigione Carlo primogenito di Re Carlo primo con la maggior parte delli Signori del Regno, lo quale Carlo era Principe di Salerno, & a' 7. di Gennaro 1285. morì Re Carlo primo.

Anno 1289. Re Giacomo d'Aragona aſſediò Gaeta.

Anno 1289. paſsò il Principe di Taranto in Sicilia, e fu ſconfitto, e preſo a Trapani.

Anno 1299. venne Re d'Aragona coll'armata ſua in Napoli, e combattio con le Galee di Don Federico, e ſconfiſſelo, e preſe tutte le ſue genti.

Anno 1309. a' 5. Maggio morì Re Carlo II.

Anno 1323. a' 7. di Gennaro morì la Ducheſſa, che venne d'Alemagnia, moglie che fu di Carlo Duca di Calabria figlio del Re Roberto.

Anno 1324. di Venerdì Santo fu morta la Regina Maria moglie del Re Carlo II. Madre di Re Roberto alli 25. di Marzo.

Anno 1328. alli 9. di Novembre morì il Duca di Calabria figlio di Re Roberto.

Anno 1330. alli 17. di Maggio che fu il dì dell'Aſcenzione morì il figlio del Principe di Taranto.

Al detto anno nel meſe di Giugno ſi fermò la pace con Piſani.

Digitized by Google

Anno 1331. lì 2. Agosto fu occiso Lorenzo Castagnola per la Casata de' Griffi, e a lo dì di Santa Maria d'Agusto foro abbattute le case dello Seggio delli Griffi per comandamento della Regina moglie del Re Huberto.

Anno 1331. fu morta la Ducheſſa di Calabria Suore del Re di Francia in San Nicola di Bari, & alli 21. d'Agosto fu portata in Santa Chiara di Napoli.

Anno 1333. alli 18. Settembre entrò Re d'Ongaria in Napoli collo suo figlio Duca di Calabria, queſto suo figlio fu il Re Andrea poi, che fu il primo marito della Regina Giovanna I.

Anno 1374. a' 25. Novembre XII. Indictionis obiit Tarenti Philippus Acajæ & Tarenti Princeps Imperator Costantinopolitanus.

Anno 1378. fu fatto Papa l'Arciveſcovo di Bari, e fu chiamato Urbano VI., che ſi chiamava Bartolomeo di Prignano Napolitano, e fu fatto un'altro Papa a Fundi il medeſimo anno. Nel detto anno il Papa con li Romani fecero abbattere il Caſtello di Santo Angelo. Nel detto anno fu lo Papa di Fondi in Napoli, e fu poſto gran rumore per li Napolitani, che l'aveva fatto venire la Regina Giovanna I. e fatto lo rumore ſi partio lo detto Papa, & andoſſene in Franza. Et al detto anno venne Meſſere Otto de Branſvich con gente aſſai in ajuto della Regina Giovanna I. Queſto M. Otto fu l'ultimo marito ſuo.

Anno Domini 1381. a dì due di Giugno fu coronato Re Carlo della Pace. Queſto fu Carlo III. Eodem anno del meſe d'Agosto il detto Re Carlo combattio con Meſſere Otto de Branſvich con quattromila cavalli ſotto Sant' Elmo, e ſconfiſello, e pigliollo prigione, & aſſediò la Regina Giovanna al Caſtello nuovo, e pigliollo prigione. Et allo detto anno la detta Regina fu ſtrangolata allo Caſtiello de San Fele per lo detto Re Carlo, e fu portata a Santa Chiara di Napoli a ſepelire.

Anno 1382. Re Luiſe Duca d'Angiò venne dentro lo Reame per la via dell'Aquila con ſei mila cavalli contro Re Carlo III. padre del Re Lanzilao, e fu morto in Bari, e non ottenne la vittoria del Reame, e rimaſe Carlo Re del tutto.

Anno 1385. de Febraro Re Carlo aſſediò Papa Urbano VI. allo Caſtello de Nocera de' Criſtiani. Al detto anno il detto Re Carlo andò ad acquiſtare il Reame d'Ungaria. A' 8. Ottobre al detto anno fu preſo Meſſer Bernabò Signore di Milano dal Conte di Virtute, e fecelo morire.

Anno 1386. fu ferito, e morto Re Carlo III. al Reame d'Ungaria in Buda, e là morì; e quello medeſimo dì che fu ammazzato, ſi ſeppe in Napoli per revelazione di due cechi, che ſtavano a pezzire innanti a Santo Elegio.

Anno 1389. fu pronunciato Re Lanzilao figlio del detto Re Carlo.

Anno 1389. fu coronato Re Lanzilao alli 29. di Maggio.

Anno 1396. Re Lanzilao poſe campo all'Aquila, & accordoſſi, e nel detto anno il detto Re principiò lo Caſtiello dell'Aquila, perchè ſi ribellò tre volte.

Anno 1399. furo li Bianchi per tutta l'Italia.

Anno 1400. fu il Giubileo, e mortalità per tutta l'Italia.

Anno 1401. a ..... Giugno ad ore 20. nacque il Conte Franceſco Sforza.

Anno 1402. lo Conte di Montorio andò a vedere Re Lanzilao, e quelli dell'Aquila le poſero la caſa a fuoco, e la robba a ſaccomanno.

Anno 1403. Re Lanzilao ſi poſe in mare in Vieſti, & andò in Ungaria alli 16. de Luglio, e poi ritornò alli 7. di Novembre. Al detto anno andò al Duca d'Oſterlich la Regina Giovanna II. ch'era allora Ducheſſa.

Anno 1404. lo Re Lanzilao andò a campo contro lo Marcheſe di Cotrone. Al detto anno Re Lanzilao fece pigliare prigione il Conte di Sanſeverino, il Conte di Tricarico, il Duca di Venoſa, Meſſer Tomaſe di Sanſeverino, e lo figliolo. Et al detto anno fu creato Papa Innocentio VII. de Sulmona alli 15. di Ottobre.

Anno 1405. Meſſer Ludovico di Migliorati di Sulmona Nipote di Papa Innocenzio ammazzò tutti li Caporioni di Roma, e fuggio con il Papa a Viterbo. Il detto anno venne in Roma il Re Lanzilao, e li Orſini li contraſtorono, e diederò Roma a Papa Innocentio predetto.

Anno 1406. li Veneziani ebbero Padua, li Fiorentini ebbero Piſa. Al detto anno Re Lanzilao venne a campo a Roma, e preſela, e Papa Gregorio XII. fuggì a Caſtello di Santo Angelo, e mandò per Paolo Orſino, & intrò in Roma, e pigliò tre mila cavalli de' nemici, & allora il Papa diede Anagni a Paolo Orſino. Al detto anno Re Lanzilao, poſe campo alla Principeſſa di Taranto. Al detto anno 12. Febraro 14. Indizione fu disfatto Meſſer Napolione Orſino Conte de Manupello, il quale ſe ne uſcio per la porta di Breti. In ſua compagnia furo Giovanni Torto Vicerè, e Meſſer Franceſco d'Ortona.

Anno 1407. Sforza s'acconciò al ſoldo del Marcheſe di Ferrara per la Guerra li facea Meſſer' Otto. Allo detto anno Re Lanzilao ſposò la Principeſſa di Taranto. Allo detto anno fu uccíſo il Duca d'Atri in Teramo per quelli de' Malarini. Al detto anno Re Lanzilao entrò in Roma con Colonneſi, e funne cacciato per Paolo Orſino. Al detto anno Re Lanzilao pigliò Aſcoli in Signoria, e poſence Meſſer Barteraimo Boccapianola per officiale.

Anno 1408. Re Lanzilao venne contro la Comunità di Fiorenza, e campò ad Arezzo, & ebbe Cortona, e vendiola a' Fiorentini, trentamila ducati. Al detto anno Re Lanzilao entrò in Roma, e la tenne due meſi in circa, e poi andò in Napoli. Al detto anno Errico de' Malarini con due figli furo tagliati a pezzi dentro Teramo a rumore de Popolo; e Roberto de' Malarini ſuo fratello fu portato in mano della Ducheſſa ſuore del Duca d'Atri, la quale fece morire, tanagliato, e ſtraziato il detto Roberto.

Anno 1409. Meſſer' Otto fu morto da Sforza preſſo Rubiera tre miglia; e Sforza preſe ſoldo da Re Luiſe contro Re Lanzilao. Al detto anno Re Lanzilao fece fare un bando, che tutti li foraſtieri doveſſero uſcire fuora il Reame a pena de la vita; & il detto Re Lanzilao fece ponere il campo a Fermo.

Anno 1410. Re Luiſe, Sforza, Paolo Orſino, e Gentil de Monterano roppero Re Lanzilao a Rocca Secca, & il detto anno Roma ſe rebellò a Re Lanzilao. Al detto anno Re Lan-

Lanzilao roppe l'armata de mare de Re Loiſe, e fu Capitano di detta armata Meſſer Luiſe Aldemoriſco de Napoli.

Anno 1411. Sforza comprò Cotignola da Papa Giovanni XXIII.

Anno 1412. Sforza andò alli ſervizj di Re Lanzilao. Al detto anno alli 23. Febraro s'arſe tutta Cotignola.

Anno 1413. Re Lanzilao andò a campo in Roma, & ebbela, e poi ritornò a Roma il detto anno, & ebbe il Caſtiello di Santo Angelo a' 14. Giugno, e cacciò Papa Giovanni XXIII. da Roma.

Anno 1414. Re Lanzilao morì a' 6. Agoſto. E nel detto anno la Regina Giovanna II. fece pigliare Sforza prigione di Novembre; e nel detto anno la Regina Giovanna II. cominciò a regnare.

Anno 1415. la Regina liberò Sforza, e diedeli per moglie Caterina Sore de Pandolfello Piſcopo, & il detto anno Sforza andò a ſoccorrere la Città dell'Aquila, & il detto anno Sforza fu fatto Gran Conteſtabile del Regno. E nel detto anno venne Re Jacobo Conte della Marca. E nel detto anno fu preſo Sforza in Benevento. Al detto anno entraro foruſciti nell'Aquila. Al detto anno alli 11. di Marzo l'Aquilani ammazzaro cento venti uomini della Matrice, che portavano foraggio alla Cittadella dell'Aquila, e l'Aquila ſe ritornò all'obbedienza della Regina.

Anno 1416. fu abbattuta la Cittadella dell'Aquila. Al detto anno la Regina Giovanna ſe ribellò contro Giacomo, e liberò Sforza, e rendiole lo Gran Conteſtabilato, e diedeli Ariano, Troja, & altre Terre. E nel detto anno fu poſto a ſacco Ariano all'uſcita d'Aprile, e fu poſto a ſacco Teramo d'Appruzzo, e Meſſer Bordino. Al detto anno nel territorio di Perugia Braccio, e Tartaglia diedero una ſconfitta al Signor Carlo Malateſta, e a Ceccolino. Al detto anno la Regina Giovanna andò all'orto di Agoſtino Bonſano, e ribelloſſe contro Re Giacomo alli 18. di Settembre.

Anno 1417. la Regina Giovanna mandò Sforza a Roma contro Braccio, e pigliò Meſſer Giacomo Caldora, & il Conte de Monte de Riſe, e cacciò Braccio da Roma. E fu creato Papa Martino V. in Coſtanza, e la Regina diede Manfredonia a Sforza. Et al detto anno fu fatto Vicerè in Roma il Conte di Carrata, e Sforza andò in ſua compagnia.

Anno 1418. Sforza fu rotto a le Correggie; & al detto anno fu inveſtita la Regina Giovanna II. de lo Reame. Et il medemo anno Sforza fu fatto Confaloniero dell'Eccleſia.

Anno 1419. Sforza co' Napolitani fecero la unione contro la Regina. Et al detto anno Re Giacomo ſe ne fuggì a Taranto. Et al detto anno Giovanni Antonio de Bauccio Orſino fu fatto Principe di Taranto. Al detto anno fu coronata la Regina. E nel detto anno piovevecero goccie di ſangue.

Anno 1420. Sforza venne a campo a Napoli, & al detto anno Re Loiſe venne a campo coll'armata di mare in Napoli alli 15. d'Agoſto. Et al detto anno venne di Settembre Alfonzo Re d'Aragona con Galee diciotto in ajuto della Reina. Et al detto anno Papa Martino andò a Fiorenza.

Anno 1422. Re Loiſe andò a Roma. A lo detto anno Sforza andò a Gaeta, & acconcioſſe col Re d'Aragona, e colla Regina.

Anno 1423. Braccio de Montone andò a campo all'Aquila, e nel detto anno il Re d'Aragona pigliò il Gran Siniſcalco, e poſelo prigione, & al detto anno aſſediò la Regina al Caſtello di Capoana, & al detto anno Sforza ruppe le genti di Re d'Aragona, e pigliò prigione tutti li Signori Catalani. Et al detto anno venne l'armata di navi, e di Galere. Et al detto anno Fuſchino ebbe Torre majure alli 10. di Giugno. Al detto anno la Regina privò Re d'Aragona, e fece figlio adottivo Re Luiſe. Et al detto anno la Regina ſe ne fuggì a Nola, & accompagnolla Sforza con le ſue genti. Al detto anno a' 3. Gennaro Sforza s'annegò a Peſcara.

Anno 1424. Filippo Maria Duca di Milano mandò Guido Torello coll'armata di Genua con navi 24., e Galere 18., con quatordici mila combattenti, & aſſediò Napoli, che la tenea per lo Re d'Aragona l'Infante de Caſtiglia ſuo fratello, & eravi dentro Meſſer Giacomo Caldora con Cavalli due mila, e Fanti tre mila. E lo detto Meſſer Giacomo rendè Napoli a la Regina, e ſubito fu poſto campo allo Caſtello de Capuana, e ſe rendio. Et al detto anno fu tagliato a pezzi lo Conte di Santo Angelo Zurlo in Ortona, & al detto anno Braccio fu preſo, e morto per il Conte Franceſco Sforza, e Meſſer Giacomo Caldora, & altri Capitani innanti l'Aquila. Al detto anno lo Conte Antonio Caldora pigliò per moglie la figlia dello Gran Siniſcalco. Al detto anno il Conte Franceſco Sforza, & il Signor Michele andaro a campo al Signor de Foligno, come ſoldato del Duca di Milano. E nel detto anno il Duca di Milano diede una ſconfitta alla gente de' Fiorentini.

Anno 1425. il Conte Franceſco Sforza ſe refermò col Duca di Milano, & andò in Romagna a campo a Faenza. Al detto anno il Marcheſe di Ferrara fe' tagliare la teſta alla moglie, & a lo figlio.

Anno 1426. li Veneziani ebbero Breſcia.

Anno 1427. li Veneziani fecero Capitan Generale il Conte di Carmagnola, e ruppè la gente del Duca a Macalò.

Anno 1428. fu fatta la pace tra' Veneziani, Fiorentini, e lo Duca. Al detto anno Bologna ſe rebellò, e Papa Martino ce mandò Meſſer Giacomo Caldora.

Anno 1429. Meſſer Giacomo Caldora ebbe il Caſtello di Bari, & il detto anno il medeſimo Giacomo fu fatto Duca di Bari.

Anno 1430. Fiorentini aſſediaro Lucca, & il Conte Franceſco Sforza come caſſo dal Duca andò a Lucca, & al detto anno li Lucchеſi poſero le caſe del Signore a ſacco, e lo pigliaro prigione. E nel detto anno il Conte Franceſco s'accordò con Fiorentini per cinquanta mila ducati, e partioſe da Lucca. Al detto anno Nicolò Piccinino ruppe le genti de' Fiorentini.

Anno 1431. a' 20. Febraro morì Papa Martino V., & a' 3. di Marzo di detto anno fu creato Papa Eugenio IV., & al detto anno il Principe di Salerno Colonna entrò in Roma, e ne fu cacciato. Al detto anno Ser Gianni Caracciolo Gran Siniſcalco mandò il Conte di Santo Angelo ſuo fratello in ſoccorſo di Papa Eugenio. Al detto anno il Signor Michele fu fatto Capitano Generale de' Fiorentini con lancie 600., e fanti 400. Al detto anno Meſſer Giacobo Caldora andò alli ſervigj di Papa Euge-

Eugenio, e poi s'accordò con il Principe di Salerno, & ebbe venti due mila Ducati d'oro; & al detto anno le genti del Duca di Milano ruppero il Conte Carmagnola. Al detto anno la gente del Duca di Milano con li Galiuni ruppero li Galiuni delli Veneziani, e ne pigliarono ventinove. Al detto anno l'Imperatore Sigismondo venne a Milano del mese di Ottobre. Al detto anno li Veneziani fecero tagliar la testa al Conte Carmagnola.

Anno 1432. lo Signor Michele s'acconciò con Papa Eugenio con lancie 450., e fanti 300., e fu fatto Capitan Generale di Santa Chiesa. Al detto anno l'Imperatore Sigismondo venne a Roma, e fu coronato. Al detto anno 1432. fu occiso lo Gran Siniscalco de Casa Caracciolo al Castello di Capuana, e fecelo ammazzare la Regina Giovanna II. e lo detto Signore era Duca di Venosa, e Conte d'Avellino.

Anno 1433. il Conte Francesco Sforza ebbe la Marca, e partiose dal Duca di Milano. Et il detto anno il detto Conte fu fatto Confaloniero della Chiesa per lo Papa Eugenio IV., e nel detto anno a dì 15. di Febraro fu fatto Marchese della Marca d'Ancona. Al detto anno li Romani presero Papa Eugenio, e lo menarono in Trastevere, e posero prigione il Cardinale de Siena in Campidoglio. Al detto anno il Signor Michele, & il Signor Lorenzo pigliaro Porta S. Paolo, e passaro per Roma, e giontaronse col Conte Francesco Sforza. Et al detto anno il Conte Francesco, Signor Michele, e Signor Lorenzo andaro a trovare Nicola Piccinino; e se non fosse stato l'Ambasciatore di Milano, saria stato rotto, e preso lo detto Giacomo Piccinino, perchè aveva poca gente, & erano male all'ordine, & allora promise di non s'impacciare di Roma.

Anno 1435. due Febraro morì la Regina Giovanna II allo Castiello di Capuana, e fo sepolta alla Nunziata. Al detto anno Re d'Aragona venne alla Rocca di Mondragone con la sua armata, ed ebbe per trattato la Torre del Castiello di Capua, che la teneva Giovanni de Caramanica. Al detto anno il Signor Michele se condusse al soldo del Consiglio di Napoli, & andò colli Signori ad assediare Capua, cioè Messer Giacomo Caldora, Conte de Pontadera, e fu alli venti di Maggio. Al detto anno Re d'Aragona pose campo a Gaeta per mare e per terra con assai Signori del Reame. Al detto anno venne l'armata di Genova dal Duca di Milano, e combattero coll'armata del Re d'Aragona, e ruppela, e presero il Re d'Aragona, il Mastro di San Giacomo, il Re di Navarra, il Principe di Taranto, il Duca di Sessa, & altri Signori a' 5. d'Agosto all'Isola di Ponza. Al detto anno il Conte Francesco Sforza andò a campo a Bologna con volontà di Papa Eugenio, & accordolla con lo Papa & andò in Fiorenza, e folle fatto gran'onore. Al detto anno il Signore Alessandro Sforza ruppe, & ammazzò Nicolò Fortebraccio. Al detto anno Gaeta fu postá in governo del Duca di Milano. Al detto anno venne la Regina Isabella di Novembre, e tolse Gaeta al Duca di Milano, & andò in Napoli. Al detto anno il Duca di Milano liberò Re d'Aragona con tutti gli altri Signori del Reame, e feceli molti doni d'arme e di fiere. Al detto anno Ottolino ebbe Gaeta, e tenela per il Duca di Milano.

Al 1436. Genovesi si ribellaro dal Duca di Milano, e fecero lega con Veneziani, Fiorentini, e Re Renato. Al detto anno il Signor Michele diede Giacoma sua figlia per moglie al figliolo di Luise di Gesualdo, e fecelo suo raccomandato. Al detto anno il Conte di Montoro fo fatto Gran Siniscalco, & a' 17. Marzo ebbe Nocera. Al detto il Signor Marchetto andò a pigliar Potenza e Vignola, e l'Orco per parte del Signor Michele a' 15. di Aprile. A' 19. d'Aprile il Signor Michele pigliò l'omaggio da quelli di Potenza, & al detto anno ancora ebbe Bigiano. Al detto anno d'Aprile Re d'Aragona ebbe Marigliano. Al detto anno Barletta alzò la bandera del Re d'Aragona. Al detto anno Foschino s'acconciò col Conte Francesco. Al detto anno il Signor Michele brugiò Marigliano di Giugno, li Retundi di San Martino, e prese Panderano. Al detto anno a' 24. del mese di Giugno nacque in Turremajure Giovan-Francesco Sforza da Madama Milia Boccapianola moglie di Foschino d'Attendoli. Al detto anno il Signor Michele redusse Tramunti, e la Costa d'Amalfi alla devozione della Regina Isabella. Al detto il Signor Michele fu fatto Rettore e Governatore di Calabria; redusse all'obbedienza del Re Renato Trebisaccio & Albidona, e pigliò Terranova, Tarsia, Rogiano, Morano, Torano, e Lattarico il detto anno, e Binico andò a soccorrere Reggio il detto anno, e morì Berlingiero Caldora. Al detto anno sentendo l'Illustre Signor Conte Francesco Sforza, che Pier Gian-Paolo Orsino, e Messer Baldassarre d'Offida lo doveva pigliare, & ammazzare, diede adosso a loro, e pigliolli tutti presoni presso Montepolciano. Al detto anno l'Illustre Signor Conte sentendo, che il Duca di Milano aveva trattato in Pisa, andò a soccorrerla di Novembre. Al detto anno il Signor Raimondo Orsino Conte di Nola se ridusse alla fedeltà del Re d'Aragona. Al detto anno il Conte Francesco Sforza fu fatto Capitano Generale de' Veneziani e Fiorentini. Al detto anno nacque un figliuolo al Signor Michele in Veteri chiamato Raimondo Vittorioso. Al detto anno nacque il Signor Marchetto, Isabella di San Mauro, de Ludovica alli 28. di Gennaro di Lunedì a Sera.

Anno 1437. die 18. Augusti horâ Tertiarum alloggiò a Benevento il Patriarca a San Pietro de fora con circa quattromila cavalli, e fanti due mila & il Signor Messer Giacomo Caldora alloggiò il detto dì sotto Ponte Valentino; e lo detto dì, e lo detto anno li Signori sudetti fecero lega assieme. A dì 20. d'Agosto lo detto Patriarca, e Messer Giacomo Caldora andaro insieme contro Re d'Aragona, e rupperlo in Aversa. Al detto anno il detto Messer Giovanni Vitelleschi Patriarca entrò dentro lo Reame, e pigliò Alife e Mignano. Al detto anno il Signor Francesco Sforza assediò Lucca, e pigliò tutto il Contato. Al detto anno Salerno fu posto a saccomanno per le gente del Re d'Aragona, e del Re Renato. Al detto anno il Patriarca predetto pigliò prigione il Principe di Taranto sotto San Nicola di Montefuscolo.

Anno 1438. Re Renato venne in Napoli die Lunæ a' 19. di Maggio con undici Galere, & a' 22. cavalcò per tutta la Città di Napoli in die Ascensionis. Et al detto anno il Conte Francesco Sforza disfece il Duca d'Atri, e Giosia. Al detto anno Re d'Aragona combat-

Digitized by Google

tè Arpaja, e posela a facco, e fu preso Messer Marino Boffa, & il dì seguente ebbe Arienzo, Airola, & Arpaja. Al detto anno a dì 30. Agosto il Re d'Aragona pose campo in Napoli. Del mese d'Ottobre di detto anno fu morto di colpo di bombarda l'Infante di Castiglia innanzi lo Carmine. Et allo detto anno se partio da campo da Napoli a dì 26. Ottobre. Et al detto anno il Conte Francesco Sforza entrò dentro lo Reame di Sicilia per la via d'Appruzzo, e conquistò al passare Norcia, & il Contado, & ebbe dodicimila ducati, & il detto anno del mese di Giugno accordò la Matrice, & Accumoli, & altre Terre. Al detto anno Re d'Aragona andò in Apruzzo, e pigliò Ripa, e pose a facco San Valentino, & ebbe li Contadi di Celano, e di Accede mensibus Julii & Augusti; e Re Renato andò in Apruzzo contro Re d'Aragona, & acquistò li detti Contadi.

rum illis conditiones erant; fidem tantùm publicam petiverant ante menses paucos, dederantque, ne Genuenses Barchinonenſibus, neve Genuenſibus Barchinonenſes vim mari, terrave afferre liceret. Navis una Genuenſium Johannis Regis ſtipendiis merebat; mille tamen ante rapinæ inter eos fuerant. Cum ipſo Johanne Genuenſes nullo fœdere tenebantur; ſed tacitæ quodammodo induciæ, quia utriſque Conſul erat, eſſe videbantur. Onerariæ noſtræ, ut in pacatiſſimis regionibus, per maria illa vagabantur, ita ut facilè quavis repentina vi opprimi poſſent. Qua ſpe Barchinonenſes ceteris præparatis, quatuor navium claſſem raptim educunt, eo quidem animo, ut omnium gentium, ſed Genuenſium in primis, quaſcumque Naves nanciſcantur, intercipiant. Quod ubi Genuæ cognitum eſt, (id enim ex Barchinona literis noſtri mercatores ſignificaverant) cunctorum animos metus ingens invaſit, quoniam periculum ingens inſtare videbatur poſſe ab iis, & plures noſtrorum naves, nihil omnino eo tempore ſuſpicantes, intercipi. Et ipſi quidem tantâ celeritate naves ipſas paraverant, ut à Barchinona, unde ſolverant, ante Valentiam pervenerint, quàm id reſciverit Bartholomæus Italicus, cujus navis maxima, & eadem nova, ad Iberi oſtium merces ab Dertuſa opperiens in anchoris ſtabat. Is enim cum ſe ut propinquiorem petierint hoſtes, procul dubio ſtans in anchoris fuiſſet oppreſſus, niſi Favonius, qui per eos dies ab oſtio fluminis Iberi perflavit, eò contendentes hoſtium naves arcuiſſet. Quo vento ad Valentiæ littus extemplo delatæ quaſdam ibi naves capiunt, atque diripiunt. Inde rurſus verſo curſu ad Iberum contendunt. Bartholomæus interim factus certior, Barchinonâ ſolviſſe claſſem, fugam rapit, & eam diverſo curſu exiſtimans devitare, Occidentem tenens, in hoſtes jam Valentiâ redeuntes incidit. Erant autem hoſtiles naves leviſſimæ, ac mira celeritate ferebantur. Itaque fugæ præreptâ ſpe, ad pugnam noſtri ſe ſe parant. In eo negotio pauciores etiam quàm nauticis miniſteriis ſatis erant, à pluribus ſuperantur; non ſine cæde tamen, & multo ſanguine capiuntur, ipſo etiam Bartholomæo interfecto. Nec Barchinonenſibus quidem ſatis læta victoria fuit; nam ad ſexaginta ſuorum amiſſis, poſtquam videre navem vacuam, quam putaverant pretioſis plenam eſſe mercibus, fertur Præfectum dixiſſe ſæpius, multo utilius ſibi futurum, ſi eam navem non cepiſſet; ſed ut non deeſſet ſucceſſibus, ceteras noſtras naves perſequebatur.

At Genuæ ſollicitis omnibus, quod periculum ad multos pertinebat, V. Idus Septembris ſine mora decretâ claſſe, qua hoſtes reprimerentur, eodem die ad veſperam iterum coacto Senatu de Præfecto deligendo conſultabatur; & una omnium ferè ſententia fuit, potiorem decernendum, nec ordinibus aut colori reſpectum ullum habendum. Itaque nominatis iis, qui boni videbantur, poſtremò in Lazarum Aurium plerique convocatorum aſſenſere, quod florens ætate, & opibus inter ceteros non infimus, animo quoque validus, & gloriæ cupiens habebatur. Ipſe autem mercaturæ deditus, quoniam ſine ſuorum negotiorum incommodo abeſſe domo non poterat, quantum valebat, id munus recuſabat. Sed poſtquam Senatus eum edicto magnâ impoſitâ mulctâ cogendum decreverat, & ab amicis quoque increpabatur, eorum monitis acquievit. Creati autem ab initio fuerant viri octo, Antonius Gibertus, Thobias Gentilis, Lucarius de Marinis, Alexius Salucius, Lucianus Spinula, Marcus Lercarius, Lazarus Varexius, & Johannes Franciſcus Palmarius, quibus claſſis parandæ, & pecuniæ conquirendæ cura data erat, exigi pecuniæ partem tributo placuit, pars ex centeſima mercaturæ comparata eſt. Et quia celeritas adhibenda erat, ne in exigendo tributo temporis nimium abſumeretur, Magiſtratus Sancti Georgii fidem fecit, & cautionibus ſumta pecunia eſt, quantum in ea paranda claſſe ſatis viſum; Aurei nummi viginti millia fuere; naves ſex ex majoribus, quæ haberi potuerunt, quarum in Portu quatuor erant, navis Hieronymi Salvaighi, navis Leonardi, & Jofredi Spinulorum, navis Antonii Bozolli, navis Hieronymi Calvi. Harum Spinula, & Bozolla Goaldi omnino plenæ Britanniam petituræ erant. Savonæ altera Spinola Johannis, & Antonii fratrum præſenti claſſi addita eſt; & ab Minione, quæ ſtatio 40. millia paſſuum cis Oſtia Tiberina eſt, navis Benedicti Italici, quæ alumen Summi Pontificis devehendum in Gallias Oceanum attigentes accipiebat, accita eſt. Interea dum navis Calva latus immerſæ ſuſpenſa carinæ reficitur, & Goaldo plenæ naves onus exponunt, ex primo illo ardore, quo videbatur maturandam omnino claſſem eſſe, multum remiſſum eſt; & quia de claſſe hoſtili nihil afferebatur, ipſam malorum nuntiorum moram ita quidam accipiebant, ut crederent, ſi aliquam noſtram navem cepiſſent, fore ut id continuò Genuæ nuntiaretur. Quamobrem & navem Italicam, quam etiam ab Dertuſa fugam cepiſſe ſcriptum erat evaſiſſe, & reliquas omnes jam certiores factas in tuto eſſe debere: igitur ſegniter primò res parabantur, deinde ita ſubito omnium ferè animi mutati erant, ut palam non armandum loquerentur, eamque impenſam jam ut ſuperfluam plerique arguebant.

Erant alii, qui cautiores videbantur, ſentientes tres armatas naves ſatis fore cum tribus mercibus plenis ad hoſtium conatus reprimendos. Neque Lazarus, ut qui nihil curaret in eam expeditionem proficiſci, non maturari claſſem querebatur; erat enim ei eundum cum gravibus atque onerariis navibus ad littus importuniſſimum, ubi videbatur non tantum cum hoſtibus, qui utique mari ceſſuri erant, ſed cum hyeme & fluctibus bellum eſſe gerendum. Præterea jam ad id ventum erat, ut feſtinatio nulla adhiberi amplius poſſet, qua improvidi atque ignari claſſis ejus hoſtes adoriri poſſent: quod profecto antea, ſi diligentia fuiſſet adhibita, conſequi facile fuerat.

Ab Minione interim navis Italica Genuam venerat, & literis, certiſque nuntiis allatum eſt, alteram Italicam captam, ac ceteras ut perſequerentur, hoſtes ad Africam curſum direxiſſe. Tum vero rurſus coacto Senatu increpiti ipſi octo viri juſſi ſunt claſſem maturare. Exponuntur onera, conducuntur viri mille & ducenti; navarchi nautas omnes conſcribunt; centum quoque electiſſimi Præfecto attributi ſunt; & omnia cum ſumma feſtinatione para-

bantur. Perfectiſque omnibus Lazarus naves conſcendit tertio Idus Octobris, eductamque è Portu claſſem Naulum perduxit. Ibi luſtratis viris, ſexto poſt die, quo eò venerat, vela dedit. Solutâ claſſe ſtatim conſternatio ut ſubita & ingens, ita vana in navi Prætoria fuit. Nam juvenis robuſtiſſimi corporis repente morbo correptus exſpiravit; quoque ſuſpicio peſtilentis contagionis minus abeſſet, tumorem in inguine cadaveri ineſſe renuntiaverant, qui juſſi à Præfecto examinum corpus ſcrutati erant. Quamobrem metu omnes conciti in eo magis confirmabantur, quod & nocte proxima quidam febre valida correpti erant, quorum & ſi non cognoſcebantur ægritudines, tamen à præoccupatis pavore animis in deteriorem partem accipiebantur; etenim credibile videbatur, eam labem inter Finarium, & Savonam, ubi per eos dies vis ingens ejus mali erat, in naves evaſiſſe. Nec deerant, qui Præfecto conſulerent, ut dimiſſa Prætoriâ navi, alienarum aliquam conſcenderet. Ipſe vero affirmabat, poſtremum omnium ſe è navi exiturum. Itaque adhibitis quæ potuit in præſentia remediis, relegatis in proram, qui ægro aſtiterant, & qui cum iis potu accubituve mixti fuerant, curſum ad Inſulas Stecadas direxit, ut ſecundum mandata, quæ habebat, ibi de hoſtibus aliquid ſciſcitaretur. Quò quum veniſſet, cognovit nullas Barchinonenſium naves ad ea littora veniſſe. Itaque ſublatis anchoris Perminum & Maſſiliam versùs navigat, ut propriis oculis intueretur, ſi ad ea loca naves, ſicut fama erat, hoſtes perduxiſſent, ſimulque ut inde in Hiſpaniam curſum dirigeret, ſi fortè claſſem hoſtilem eò navigantem obviam habere poſſet. At nocte, quæ ſequuta eſt, ſuperato Carcelli Promontorio Aquilonis validâ procellâ correptæ naves diverſum curſum tenuerunt, alia Occidentem, aliæ retro ad Inſulas proras obverterunt. Bozolla etiam, & Calva uſque ad Herculis Portum (Villafrancha nunc dicitur) delatæ ſunt. Luce orta diſperſas naves, Lazarus quantum potuit, coactas ad Inſulas reduxit; & quia de duabus nihil noverat, Nuntios cum literis in continentem ſtatim exponi juſſit, quibus & naves admonerentur ad ſe venire. Fregerat antennam Bozolla. Itaque ea Niceâ conductis malis, & in naves acceptis, ad Prætoriam navigant. Inter hæc dum duas opperiens apud Inſulas Claſſis eſſet, accuſatus Petrus Johannes Frugonus Raphaëlis filius Genuenſis Civis, quod puerum violare noctu voluiſſet, & comprehenſus cum negaret, ac tormento coactus, (nam interea certius indicium alterius adoleſcentis, quo in navi etiam abutebatur, delatum ad Præfectum erat) poſtquam non in oculis ſolum, ſed etiam in ſenſibus cruciatum eſſe cognovit, fœdum crimen confeſſus, damnatus à Præfecto, & in terram expoſitus, ac laqueo necatus, atque exinde igni combuſtus eſt.

Poſt aliquot dies naves duæ ab Oriente conſpectæ ſunt, quibus propius factis ad eas miſit Præfectus, qui ſuo nomine juberet, ne ſubſiſterent, & reliquam claſſem vela dare mandat. Cum autem è Portu paululum Prætoria proceſſiſſet, & velorum partem, quam Bovetam nautæ vocant, addere vellent, demittentes vela, rotæ altero, quia novum, & minimè adactum erat, non ſtringente rotam, & ideo nihil retinente, à ſummo mali ad infimum præcipitaverunt, & cornibus ſuſpenſis iis funibus, qui de more à malo ad eorum extremitates colligantur, utræque antennæ comminutæ ita ſunt, ut nullius fere uſus eſſent. Poterat ea res claſſem diutius remorari; verum acceptâ ab Hieronymo Calvo antennâ unâ, ſollicitudine, vigiliiſque continuis, & maximâ diligentiâ Præfecti factum eſt, ut ante quartam noctis vigiliam cuncta in ordine ſuo repoſita fuerint. Et proſequuta curſum ſuum claſſis, citraque Cercellum ventis deſtituta, qui ad Auſtrum devoluti, neque regreſſum ad Inſulas dabant, neque Promontorium ſuperare ſinebant, neceſſariò Tolonem declinavit. Portus eſt ad Orientem verſus, & ob id Occidentem petituris minus commodus. Ibi aliquot dies proſperos navigationi ſuæ ventos Lazarus opperiens, quia Orientales repente afflabant, Portu egredi non poterat. Itaque intentiore cura in omnibus navibus parari nautas graciliores juſſit, per quos longius extenſos continuò omnium, qui in navibus erant, labore duos dies tractæ naves, è Portu tamdem eductæ ſunt. Et jam levior effectus ventus erat: itaque datis velis, quietiſſima navigatione Maſſiliam, Gallicoſque ſinus ſuperaverat claſſis, Pyreneoſque petens, quarto die demum tranſmiſſa eſt. Cumque ipſorum montium dorſa apparuiſſent, ab Aquilone flabant venti, quibus vix Oppidum, quod Sanctum Felicem appellant, apprehendere naves potuerant. In cujus Oppidi Portu è mali ſummitate navis una videbatur, quæ magna judicio nautarum apparebat, & ventus Septentrionalis interim nihil remittebat. Quamobrem anceps Lazarus, ſive Barchinonam ſine mora petendi, ſive ad eam navem, quæ cernebatur, claſſem admovendi, cujus potiendæ ſpem nihil retardabat, præter ventos, qui adverſi erant: ex Prætoria ſigno conveniendi dato, poſtquam omnes in cubiculum ſuum coëgerat, propoſita ſui animi ambiguitate, ſingulorum ſententias exquiſivit. Erant qui expectandas Triremes Regias dicerent, per quas certiſſima omnia de navibus hoſtium cognoſcerentur; nec enim parvi momenti fore, ſive Barchinone, ſive alibi res gerendæ eſſent, ſi Triremes aliquas ſocias haberent, quibus ad multos caſus uterentur. Ad eam verò navem, quæ videretur, omnino conandum eſſe claſſem applicare; permagnam enim videri; & eâ captâ, ſeu hoſtibus qualitercumque ablatâ, maximam partem voti ſui conſequutum iri. Erant & alii, quibus magis placebat rectâ Barchinonam contendere, & venti, qui ſecundus erat, beneficio uti; maximas quippe res parvo labore ſæpe ipſam celeritatem conficere; nec poſſe quicquam magis rebus conducere, quam ſi incautos atque imparatos hoſtes adoriantur. Quod ſi dum eluctabitur contra ventos, liberum hoſtes tempus habuerint rebus ſuis providendi, fruſtra id poſtea, quod maximum eſt, & in primis expetendum, ſe ſe eſſe proſequuturos. Ejuſmodi ſententias aſtantium æquus fere numerus ſequebatur. Itaque inter Conſiliarios ſuos hæc ipſa rurſus diſcutiens Lazarus, medium quoddam inter utrumque tenuit. Statuit enim totam, quæ ſequeretur, diem claſſem quam maximè poſſet proximam Sancto Felici continere; vel ſi non deeſſet opportunitas, ad eam navem, quæ in Portu eſſet, accedere; Regias Triremes aliquas non defore; ad ſe interea venturas. Ceterum elangueſcente vento Barchinonam versùs claſſis magis appropinquatur. Jamque mœnia Urbis

è

è navibus cernebantur, jamque etiam è summitate mali naves aliquot ante Civitatem numerabantur; Barchinonenſes enim poſtquam claſſem Genuæ parari contra ſe cognoverant, ad naves ſuas circumquaque miſerant actuarias, cum quibus literis domum revocabantur. Et erat eorum claſſis jam ad Promontorium . . . . . cum revocationis literas accepit Præfectus Barchinonenſis. Igitur reverſus Barchinonam naves exarmat, captivam Bartholomæi Italici quanto propius terræ poteſt in littore collocat, reperto vado quodam, intra quod per quoddam oſtium viis interſectis intromiſſa eſt. Ex reliquis minores intra vadum, quod ante Urbem eſt, ſiſtunt. Duas majores cum præſidio ad Oppidum Rhodam, quod circa Pyreneos obſidebatur à Rege, in intimo ſinu ducunt, eoque peracto negotio ſibi quemque Navarchum conſulere permittunt.

Eſt autem Barchinonia inter noſtri orbis maritimas Urbes valde inclyta, tanto tractu à mari diſtans, ut cum diſcurrunt fluctus, mœnia ipſa contingant. Quatuor millibus paſſuum murorum ambitu patens, & quadrata fere, niſi alicubi introrſum murus excurreret. Occidentale latus propemodum contingit collis, quem Monjuì appellant, editus ſanè, & unde per longinquum maria proſpectantur. In eo turris ſita naves venientes conſtituto ſigno circumquaque oſtendit Urbi. Ante Urbem ipſam vadum quoddam eſt, in cujus dorſo aquæ haud plus eſt, quam quæ pedum decem altitudinem æquet, niſi alicubi interſectum oſtia quædam faceret, incolis ipſis nota, quorum altitudo pedes quatuordecim efficit. Extra id deorſum, & intus quoque, quadraginta, & ultra pedes altæ ſunt undæ. Diſtat autem ab extremo littore paſſus circa centum, & totam Urbis longitudinem excurrens. Quo magis Orientali lateri fit propior, eo magis exſtat; & ita ab ea parte minoribus navibus ſtatio minus periculoſa eſt. In hoc igitur rerum ſtatu Urbem cernens Lazarus, quietiſſimum mare nactus, arma jubet expediri, & pugnâ navem ipſam captivam tentare conſtituit. Sed unum objiciebatur, ne aquarum paucitate prius hærerent naves, quam ejus lateri complicarentur; nam videbantur hoſtes eam navem omni ſaburrâ egeſtâ ad ſummum educere adnixos eſſe: quod utique Genuenſes, naves habentes graviores, facere non poterant. Præterea trahi naves ad eam, niſi vento impellerentur, magno labore opus erat, & vix impune licebat; habebant enim Barchinonenſes biremes quaſdã, & ſcaphas navium paratas, quibus prohibituri erant, ne remulco, extenſiſque funibus noſtræ traherentur; nec ſi ad id ventum fuiſſet, impeditæ funibus ſcaphæ noſtræ eas ſubſtinuiſſent, cum præſertim tormentorum ictibus, & à navibus, & à terra undique paterent. Statuit tamen Præfectus utcumque tentare fortunam, & ſuperveniente nocte quamquam neque vento juvabatur, neque aliæ commoditates aderant, intentiſſimâ tamen curâ, & plurimo ejus labore, continuiſque vigiliis ad littus naves funibus trahere contendebat. Id autem navarchi tormenta formidando languide faciebant, neque præter ipſum Præfectum, quoſdamque paucos ſuos multi erant, quorum in eo negotio alacritas cerneretur; & quod verbis plerique improbare non audebant, vultu tamen & manifeſto pavore damnabant; aliique aliis exſuſationibus, quæ numquam deeſſe poſſunt, ſegnes ipſorum operas expurgare conabantur. Quo factum eſt, ut quamquam nulli labori parceret Præfectus, nullum periculum recuſaret, totâque eâ nocte, ubi opus videbatur, ſcaphâ minore naves circuiret, atque adiret nautas, exhortaretur, increparet Magiſtros navium, minaretur navarchis, metu tamen & ſegnitie vincente uſque ad quartam vigiliam vix intra ictus tormentorum naves ſiſti potuere. Inter hæc aura à terra crebreſcere, ſimulque cœlum nubibus paulatim veſtiri, & concitatius mare fieri cœpit. Ex hoc nautæ, Gubernatoreſque navium captatâ occaſione periculum ingens Præfecto inſtare aſſeverabant; naves enim eſſe ad Barchinonæ littus, & in loco, ubi anchoræ non tenerent; ſolere autem maximis tempeſtatibus orientales ventos hæc littora perturbare, unde jam prænuntia ſe ſe inſinuaret unda; qui ſi paulo amplius invaleſcerent, proculdubio iis navem, quam peterent, obrui neceſſe. Quod cum omnes ferme Lazarus affirmare videret, victus & ipſe, ne pertinax nimium videretur, naves paululum educi ad ſtationem jubet, eo quidem conſilio, ut orta luce rurſus vel abeundi, vel hoſtes aggrediendi conſilium caperet. Ea cum illuxiſſet, Triremes duæ conſpectæ ſunt ab ortu ſolis. Regiæ erant, quarum Præfectus Petrus Puliada Barchinonenſis negotiator quondam, patriâ deinde partium gratiâ expulſus, Pirata factus, poſtquam extenſa Vicecomitum ſigna, & Genuenſium cognovit, conſalutatus è Triremibus, ut navigantium moris eſt, propere ad Præfectum Genuenſem conſcendit, à quo benigne multum ſuſceptus, cum retuliſſet à ſinu Gallico pridie ſolviſſe, & Oppido Colibrii vix effugiſſe inſidias ſibi paratas, & circa Pyreneos navem unam nocte proximâ ſe vidiſſe, quam exiſtimabat ex iis eſſe, quæ Barchinona * dixerant. Interrogatus denique de rerum ſtatu, & de ratione belli gerendi, reſpondit Regem Cæſarauguſtam profectum ad conventus faciendos, ut pecuniam ad bellum, atque alia opportuna conquirat; Principem primogenitum, ac Reginam in caſtris apud Gyronam eſſe; ceteras Triremes Regias aut Tarracone, aut ad majorem Balearium eſſe debere; Barchinonenſibus ex præparata claſſe, ac Genuenſi abactâ prædâ magnos ſpiritus creviſſe; eos ſe putare præſenti conſpecta claſſe utique depoſituros Regem ſuâ jam ætate præmaturum, ad res gerendas inhabilem; muliebri conſilio, & procerum Regni cuncta adminiſtrari; Reginam vero ſupra ſexum etiam & prudentia & conſiliis vigere; ſed longe aliter virile imperium, atque muliebre reputari apud populos, quorum ſine cauſa fato quodam in ipſam Reginam implacabile odium flagaret; ex eo fieri, ut Barchinonenſes perditis rebus ad eam tamen diem ſe defenderint; pauciſſimos autem eſſe, qui ejus Urbis imperium occuparent, quique metu & ſuppliciis Populares in officio continerent; proxime autem ſuis viribus diffiſos Renato ſe ſe atque rem publicam dediſſe; ejus Renati operâ Francorum quoque Regem Philippum Regi Johanni indixiſſe ſine cauſa bellum; videri autem ſibi minime defore, ſi venti ac maris opportunitas non deſit, quin ea navis major, quam in littore locatam videat, aut incenſuri, aut abducturi eſſemus. *Ceterum*, inquit, *magnifice Præſes, ſaluti claſſis invigilandum eſt; nam quantum intelligo, Orientalis turbo littori huic adverſus imminet. Itaque aut abeundum eſt ad Salonis Portum LX, millia*

millia paſſuum ad Tarraconem inde diſtantem ; vel ſi manendum exiſtimaſtis , naves in ſtatione anchoris omnibus firmate.

Acciri deinde ab Triremibus juſſit Barchinonenſes quoſdam exules, maritimarum rerum, & ejus præſertim littoris peritiſſimos, qui conſulti affirmabant , quod æſtus ad Orientem inſtaret ; quod luna minaretur , quod nocte proxima circa eam circulus apparuiſſet ; rarò enim hæc ſigna fallere nautas ; utique ab Oriente turbationem maris ſignificare. Itaque ſublatis anchoris jam etiam tum vento crebreſcente altum tenuit claſſis eo quidem conſilio , ſecundùm ventos, vel Tarraconem petendi; vel ſi melior quam putabatur occaſio præberetur, rurſum redeundi, & incœpta perficiendi. Erat enim ipſe Lazarus vehementer incenſus, ita ut omni ſpreto periculo nulli occaſioni bene gerendæ rei defuturus videretur. Verum tamen multa erant , quæ ratio & uſus exigebant ; namque ſiſtendæ igni hoſtium naves erant ; oportebat incenſam materiam in eas immittere, ad quam rem naviculâ minore aliquâ fuiſſet opus . Ea de cauſa decreverat Præfectus exonerare navem Hiſpanam Bartholomæi Riparolii, aut Venetam Nicolai Barbari, quas à Genuâ mercibus plenas, & ulteriorem Hiſpaniam petentes eo uſque ſecum navigare compulerat . Et ipſarum quidem domini navium id ipſum metuentes jampridem fugam meditati, proximâ nocte in altum datis velis , e conſpectu abiere . Ceterum poſtquam viſum non eſt Barchinonam redire, ad Tarraconem declinavit claſſis.

Inde Philippus Lercarius Legatus ad Regem properans, Cæſarauguſtam, uſque ubi eum eſſe cognoverat profectus eſt . Quem quidem Legatum ob id mittendum cenſuerat Senatus ; ut ſi claſſis noſtræ primo adventu hoſtes comprimi non poſſent , ac diuturniore mora opus eſſe videretur, haberet Rex , qui eum commonefaceret , poſſe , ſi vellet , ſtipendio mediocri claſſem ipſam contineri; ſimulque ut ipſe Philippus omnia apud Regem, quæ uſui eſſent cognoſcens , ſignificare ea literis Genuenſi Senatui, & Præfecto ad naves poſſet . Et harum quidem rerum mandata certo ſibi ordine data habebat . Verum ut ad Regem pervenit, offendit illum quidem oculis præ ætate captum, &, quod ratione facile percipiebatur, egeſtate ſummâ confectum ; namque ſæpius de retinenda quopiam ſtipendio claſſe interpellatus, adeo nihil ad id reſpondebat , ut facile appareret , non ejus rei cupiditatem , ſed illi facultatem deeſſe . Poſtremò ejuſmodi reſponſo dato Legatum Tarraconem dimiſit, ut affirmaret, eò ſe filium Magiſtrum Militiæ Sancti Jacobi miſſurum; Reginam quoque cum exercitu eodem evocaturum , ut inde mari terrâque hoſtes adorirentur: quo neceſſe erat evenire, ut ancipiti metu hæſitantibus Barchinonenſibus, vel .... poſſet commodum ſubſequi, vel ſaltem navibus eorum aut abjectis, aut incenſis omni maris exitu excluſos eſſe.

Inter hæc dum Philippus à Rege digreſſus Tarraconem redit, jam antea rei alicujus gerendæ cupidus Lazarus , rurſus claſſem Barchinonam præduxerat, ita compoſitis omnibus, per ſortes etiam delectis , qui cum navibus ad hoſtem priores accederent, ut omnino fuerit neceſſe rem digno aliquo facto adminiſtrari . Cum verò prope Urbem ventum eſt , renuntiatur per Triremes, quæ præiverant , eam navem tempeſtate, quæ mediocriter incubuerat, naufragium feciſſe. Increſcente namque fluctu cum levaretur altius, rurſuſque ſubinde demitteretur, vadibus illidebatur, donec confractis tabulis , & conquaſſatis compagibus immerſa tota demum deſtrueretur . Statuerat nihilominus Præfectus alias naves pertentare, quamquam in ea re parum admodum ſpei relinquebatur. Naves igitur quam maxime per ventos, qui à terra flabant, licuit, proximas littori ducit, & ipſe in Prætoria omnium maxima præteriens, ſaxis ingentibus è tormentis excuſſis impetitus eſt, quæ longe ultra naves tranſcenderunt in terram. Projectis anchoris irruens ab Aquilone procella majorem Triremibus, quam navibus onerariis, intulit metum, quas non anchoræ projectæ, non remorum impulſus retinebat. Nam quod præcipuum in toto negotio primitus exiſtimabatur, ut repreſſis hoſtibus, naves noſtræ ab eorum inſidiis liberarentur , id quidem procul dubio conſequutus erat ; deinde navibus hoſtium diſſipatis , onerariæ noſtræ quam ceperant * eos uſu privaverat , una omnino cura relinquebatur, ne duæ Barchinonenſium, quæ aberant, iterato, poſtquam ipſe diſceſſit Pirata , contra noſtros facerent. Itaque ſtatuerat Baleares circuire , & inde Maſſiliam tenere curſum , ſi forte iis obviis hoſtes nudare poſſet. Quod conſilium cum pararet proſequi, Triremis una Regia , cui præerat Alberius de Navaque, ab Sicilia veniens Gallicum ſinum trajecerat, nuntiavit eas Barchinonenſium naves ad Inſulas Maſſiliæ ante duos dies eſſe ab ſe prætereunte conſpectas. Igitur de circuendis Balearibus conſilio dimiſſo, Maſſiliam convolandum Lazarus cenſuit ; & ſolutâ ab Tarracone claſſe , comitantibus Triremibus , levibus ventis Barchinonam ventum eſt. Auſter deinde crebreſcens, ita validus incubuit , ut longarum navium curſum longe ſuperarent onerariæ. Superveniente nocte, Triremibus relictis, quarum nonnullæ dejectis , laceratiſque velis dum nimis pertinaciter onerarias ipſas ſequuntur , jam Gallicus ſinus pandebatur, jamque ad Aquilonem ventis revolutis , turbato admodum æquore , rectus tamen curſus tenebatur. Luce orta de more Præfectus navium numerum oculis recenſebat. Una deerat; eam eſſe Benedicti Italici conjectabatur. Itaque retro curſum obverti imperat; nihil enim magis curabat, quam ut omnes naves Genuam ſimul reduceret. Hoc igitur modo , ut circa triginta millia paſſuum Pirenæos versùs claſſis retroceſſit , quæ jactura auſus , ut poſtea docuit eventus , cauſa fuit , ut non omnino ſecundùm vota omnium res geſta ſit, nihilominus navis ipſa Italica inventa non eſt. Nam Benedictus ipſe dum præ ceteris omnibus ſibi prudentior videretur, ſive deductis velis, ſive mutato curſu diverſum ab reliquis conſilium navigandi cepit, ut credebatur , ne Maſſiliæ, ubi pugnandum eſſe dubitabat, intereſſet. Sic enim exiſtimabatur , debere hoſtes naves ſuas in ipſo Portus Maſſilienſis ore collocare , ibique eas ingentibus undique tormentis adversùs claſſem Genuenſem diſpoſitis defendere : quod pugnandi genus, ut erat, ipſi Benedicto periculoſiſſimum videbatur. In eum fremebat Præfectus, ob id etiam quod in ea expeditione ſingularis ſemper opinionis & pertinaciæ fuerat , & longi tunc erroris negotium ſibi propoſitum videri , ſi lato mari una navis, quam non cerneret, quærenda eſſet: ad inſtitutum iter deflexit, quieſcente mari jam, quod

deſ-

deficientibus ventis in hoc ſinu propter aquarum humilitatem ſtatim plane ſit ortus Auſter, qui de leni aura ſummo pelago poſtea paulatim magis incumbens validus quidem, ſed minimo tamen fluctu percrebuerat.

Jamque infra Maſſiliam montes viſebantur; & quia cetera ex ſententia ſequebantur, cogitare cœpit Lazarus, quomodo fallere hoſtes poſſet, ut ſui adventum ignorarent. Id autem difficilius erat, quoniam ex altiſſima ſpecula, editiſſimo monte poſita, Maſſilienſes circumquaque, naves pelago ſignis oſtendunt, ut tamen fallerentur numero navium, tres tantum oſtendere præmeditatus, duas Spinolas ſecum ſumſit, quas forte tum propiores habebat; cæteris verò edixit, ut velis demiſſis in mari pernatarent. Quod conſilium non modò exſequutum non eſt, ſed etiam totam ..... implicavit. Creverat enim uſque adeo jam tum ventus, ut de ſalute ſua vigilandum earum navium Gubernatores, quibus ut demitterent vela, juſſum erat, cenſerent. Itaque & ipſi Portum verſus navigabant. Præfectus autem cum tribus ceteris apprehenſâ ſtatim ubi propior terra erat, & è ſummitate mali duas videri naves cognovit; & quia vix millia paſſuum quinque aberant, tum primum de fuga capienda conſilium parare videbantur. Quarum una dum minus provide per trepidationem regitur, ſcopulis hærens ab nautis relicta eſt, qui arreptâ ſcaphâ in eam deſilientes, ſaluti conſuluerunt. Altera verò ab oſtio Portus ejus ad Occidentem vergente egreſſa, ſuppoſita noſtris navibus, velis tamen in altum conabatur evadere. In eam autem Prætoria irruens ingenti ſtudio, uti & Præfectus ipſius ferebatur, qui omni contemto periculo quamquam importunum jam mare, & concitatum factum erat, eam tamen utcumque ſequebatur; & apprehendiſſet, niſi hoſtes ab ea parte ſe ſe elabi non poſſe animadvertentes, ad terram retro obvertiſſent, & in littus declinantes, qua proxime quatuor tantum millia paſſuum Maſſilia eſt, circa Turrim impegerunt noctis principio, cum jam in ſinu ipſo ſubtracta parumper venti vis elanguiſſet. Tum quoque ſpiſſus imber decidens atram noctem faciebat; & erant noſtris nautis incognitæ ejus regionis ſtationes; & Gubernator Prætoriæ navis cautior aliquantulum ſui naturâ, & mercaturæ naves advehere, non bello gerendo, ſolitus, in altum turbine ipſo raperetur. Onerarias etiam quaſdam eadem vis trahebat: qua mitiore facta, & brevi ſedatâ, tranquillitas ſolita reſtituta eſt.

Nocte, quæ ſequuta eſt, ſervi duo, Aſiaticus alter, phaſelo ab Urbe ad claſſem transfugerunt, per quos cognitum eſt, naves, quæ aberant, Barchinonenſium ad Pyreneos in ſinu eſſe, & eorum navarchos ante paucos dies Barchinone fuiſſe. Ad eas igitur ſine mora contendens Lazarus agri Barchinonenſis littora prætervectus, ſtationes omnes perſcrutabatur. Erat ex iis navibus, quæ proxime in numero claſſis hoſtium fuerant, una navicula in Portu Palamoſæ; id enim Oppidum maritimum eſt. Hanc è claſſe conſpicientes Genuenſes, omnibus ſimul navibus petiverunt; putabant enim ex majoribus illis unam eſſe. Et fortè acciderat, ut eo ipſo die Rhode præſidium (ducenti ſagittarii Barchinonenſes erant, qui ab eo Oppido, quod paucos ante dies Johanna copiis omnibus fruſtra oppugnarat, deducti Barchinonam revocabantur) Palamoſam intraſſet; & erat antea omni ratione ab Oppidanis proviſum

A adversùs Triremium crebros incurſus, ita ut non muris plutei, non Turribus tormenta, non omne genus defenſionis ceteris locis deeſſet. Exit in altum collis ab ipſo clauſus Oppido, qui ab exteriori parte præruptus & invius, interius Portum facit. Ab ipſo Portu in collem aditus eſſe videbatur; ſed in eo bello multis operibus eam partem ita muniverant, ut Triremes Regiæ aliquando ejus oppugnatione tentatâ, ſemper fruſtra diſceſſerint. Et erat navicula in intimo Portus angulo collocata, ad eamque noſtrarum navium nulla ita propinquari poſſe videbatur, ut Prora ultimam Puppim contingeret. Ignari tamen quidam naturæ loci ejus conclamant, in terram de-
B ſcendendum eſſe, & eum collem, qui defenſoribus utique vacuus videbatur, capiendum. Quod ſi aſſequantur, non modo navi potitum iri neceſſe eſſe, ſed etiam diripi poſſe eas domos, quæ proximæ muris nullo munimento ſeptæ erant. In ſcaphas itaque deſiliunt armati, & eas ad terram dirigunt, ubi poſtquam prope ventum eſt, non modo ab Oppido inde tormentis circumtonantibus ſaxa detorquebantur, ſed & ab ipſo colle, ubi ſubterraneis diſpoſitis caveis ſagittarii erant locati. Ita impetiti ſunt, ut parvo temporis ſpatio ad XXV. numero vulneratis, reliqui non remorum uſum, ſed ad tegendum corpora intenti eſſent.
C In ſcapha Prætoria fortiſſimi multi viri erant, quorum quidam ad naves redeundum, & incœptum omittendum eſſe dicebant; quidam ignominioſum exiſtimantes fore, ſi primi diſcederent, manendum clamabant, donec ab ceteris ſcaphis initium abeundi fieret, ne Prætoria cohors, quæ ceteros ad audendum confirmare deberet, prima fugiſſe diceretur. In hac contentione moræ paululum abſumtum eſt, donec etiam certo cognoſceretur pedem in terram ab ea parte poni non poſſe. Tum demum ad naves redierunt ſauciis multis, è quibus poſtea nonnulli mortui ſunt. Ab Oppido interea tormenta crebris ictibus naves quatiebant, quibus tormentis quidam etiam deſiderati ſunt. Nec navium quoque tormenta
D ſegniter rem gerebant, quæ omnia adverſus parvum Oppidum directa, cum multitudo ingens eſſet, multos ex Oppidanis exanimavere.

Ceterum hac navigatione navicula, cujus gratiâ tanta contentione certabatur, abduci non poterat. Itaque ſcapham ſarmentis aridis, & pice compleri Præfectus imperat. Ea ducitur ad naviculam, atque applicatur, igniſque injicitur. Caſu tamen neſcio quo materiem non comprehendit, & ob id conatus ille irritus efficitur. Jamque occaſum ſol ſpectabat, pauliſperque mare concitatius fiebat. Itaque educi naves prima nocte Præfectus jubet, iiſque conſtitutis extra jactus telorum quieti
E ceteris datis, ipſe ſolus animo fluctuans, reputabat parvum negotium caſus magnos trahere in perniciem claſſis poſſe. Locus enim anguſtiſſimus erat, ita ut ſi paululum ventus crebreſceret, conflictatæ inter ſe naves ingenti periculo eſſent laboraturæ. Et ejus periculi merces parva admodum conſtituta eſſe videbatur, una navicula, quæ tam impulſa ad terram erat, ut inde nullo modo revelli poſſet. Itaque ſe quidem ad id ductum dolebat, ut in eo conatu exiſtimatio claſſis ſuæ minueretur. Sed ſalutem tamen totius ..... anteponendam judicabat. Itaque velis datis ceteros ſinus circa Pyreneos omnes armatis lembis immiſſis

per-

Digitized by Google

perſcrutatur, & nullis inventis navibus, Tarraconem retro, unde venerat, navigabat, ut ibi ab Legato Genuenſi, vel nuntiis, vel coram de rebus belli certius aliquid cognoſceret, quo poſſet conſilia ſua moderari. In hoc dum inconſpectum Barchinonæ XV. millia paſſuum eſſet ab ipſa terra, lembas conſpicitur. In eo ſeu Nuntius, ſeu Legatus cum Prætoriam navem conſcendiſſet, literas oſtendit ad ipſum Præfectum, quæ Marimonis cujuſdam Barchinonenſis, qui ſe ſe Francorum Regis Legatum ſubſcribebat, eſſe videbantur. Is autem Marimon apud Regem ipſum diu verſatus, & ab eo Montiſpeſſulani conſtitutus Præſes, tunc quoque Legatus Regius Barchinonam, ut præ ſe ferebat, miſſus erat. Literæ ipſæ ejuſmodi ſententias continebant, ut auctoritate tanti Regis, interjectis etiam comminationibus, deterrere Genuenſes velle videretur, ne Barchinonenſes læderent. Huic verbo Præfectus reſpondit, non ignorare Genuenſes, quantæ vinculum eſſet benevolentiæ, arcanorumque omnium inter illum Sereniſſimum Regem, Illuſtriſſimumque Ducem Mediolani Principem Genuenſium: ob quam cauſam quod etiam ſponte Genuenſes pro ſua in illum Chriſtianiſſimum Regem perpetuâ veneratione facturi eſſent, nunc quadam veluti neceſſitate aſtringi, ut pro ejus voluntate omnia facta eſſe velint. Non credere tamen ſe ſe, illum interdicturum, quominus injurias nequiter, & præter fidem datam Genuenſibus illatas ulciſcerentur. Cum hoc reſponſo illo dimiſſo, Tarraconem poſt paucos dies claſſis ducta eſt. Inde Philippus Lercarius in navibus exceptus omnia expoſuit, quæ apud Regem per ipſum acta fuerunt. Itaque expectabat quidem Lazarus, venturos aliquos, ſicut Regem conſtituiſſe cognoverat, cum quibus belli gerendi rationes communicare poſſet; nec diffidebat, debere aliquo parvo pecuniæ tributo Regem ipſum claſſem retinere.

Ejuſmodi ſpe complures dies moratus, deluſus tamdem, ſcriptis ad Regem literis meditabatur, quomodo, & quò verſus inde diſcederet; jam enim duobus menſibus ſtipendiorum claſſis exactis, vix tertius ſupererat, intra quem naves Genuam reduci oportere navarchi contendebant. Et quamquam poſſe ſe, ſi vellet, exiſtimabat etiam ultra præfinitum tempus claſſem retinere, tamen id tentandum non arbitrabatur; quoniam etiam ſi cetera bene cederent, alimenta tamen deerant: quo uno impedimento compellebatur, quo nullam moram revehendi claſſem pateretur. Igitur pro inopiâ commeatus, & rei curam impendit; eſt enim omnis hæc citerior Hiſpania omnino commeatuum egentiſſima, & hoc potiſſime belli tempore ejuſmodi caritatem incommoditas navigandi augebat. Nam maritimæ Civitates vix niſi invecto, & ab uſque Sicilia, frumento uti conſuevere. Qui tamen tunc Prætor erat Tarracone, in gratiam Genuenſium pro inopia Civitatis liberaliter ſatis claſſi ſubvenit; & facta navarchis poteſtas eſt annonæ mercandæ, tenendæque, & in naves imponendæ: à quo parumper claſſis commeatui additum eſt, ita tamen ut haud multo amplius, quam ad ſtipendiorum tempus ſufficeret. Inter hæc Triremibus quinque vecti Principes quidam Regii, & inter cetera eminentioris fortunæ Comes Pratariarum, ad naves venerunt. Ii omnes in cubiculum Prætorium intromiſſi, literas Præfecto Genuenſi reddidere ab ipſa Regina, cujus nomine petebatur, ut tritici quantitas, ad emporia navibus deferretur, Gironam inde terrâ convehenda. Quam petitionem Lazarus non admittendam exiſtimans, cauſabatur, naves onerarias, mediâ hyeme plerumque ſævientibus Aquilonibus, ejuſmodi negotio non eſſe implicandas; accidere enim poſſe, ut vix intra viginti dies ea navigatio perfici poſſet; etiam claſſem longe diverſo curſu jactatam, ut ſit ſæpius, vi tempeſtatum impelli. Ceterum poſtquam nullam ſibi ſpem relictam videbat Regio quopiam claſſem ſtipendio retinendi, de reditu in Patriam cogitare cœpit. Intelligebat enim, magnam ſe partem earum rerum, quarum gratiâ miſſus erat, perfeciſſe. . . . . , pavidus tum nimis ſaluti navis, navarcho quoque ſuadente proſpexit, & tribus anchoris jactis introrſus magis navem ab hoſtili ſiſtit: quo factum eſt, ut quamquam omnis hoſtium multitudo è navi fugam ſcaphâ cepiſſet, vixque in ea quatuor & viginti nautæ remanſiſſent, quia ventus ex cœli terræque humiditate, ut ſit plerumque, noctu à terra repente afflabat, qui in navi erant præciſo anchorario fune, navis ipſius levitate freti, vento ipſo in altum impulſi ſint, cunctis frementibus, tam inſperato prædam ipſam è manibus elabi. Sed unus omnium Præfectus angebatur, qui tam id ægre tulit, ut alterius navis capturam minime gratam habere viſus ſit. Eâ nocte totâ inſomni actâ, quoniam ignotum littus tenebat navis, poſtquam lux apparuit, ad Inſulas quatuor inde millia paſſuum ventum eſt, ubi duæ Spinulæ relictam navem nactæ, non quidem tantum ſpoliaverant, ſed omnino ita omnibus armamentis, omni denique re diſſipaverant, ut non merces, quæ in imo navis locatæ, non funes, non anchoræ tanti ponderis, non denique tabulæ ipſæ, & tabulata relicta ſint. Apparebat enim, non unâ tantum nocte, ſed multis menſibus prædæ expoſitam fuiſſe, ob eamque rem ægre redacta eſt, ut Genuam uſque navigaret. Ceterum interea furens adeo ventus, qui mare illud plerumque provolvit, incubuerat, ut ſpumeum eſſet, quicquid undecumque cerneretur; nec ſatis inter nauticos viros conſtabat, quemnam curſum quæ elapſa navis erat, tenere debuiſſet. Sardiniam tamen plerique ab ea tenendam cenſebant. Igitur mentio illata eſt de mittendis duabus navibus, quæ illam perſequerentur. Verum ubi cibariorum calculus poni cœptus eſt, nulla navium erat, à qua terra relinqui poſſet. Igitur conſilio ejuſmodi rejecto, de revertendo in Patriam cogitabatur; & paucos poſt inde dies mari facto tranquilliore, ab iis Inſulis ſoluta claſſis eſt; cumque Antipolim juxta perveniſſet, perſcrutatis prius omnibus portubus, erat in ſtatione Avignone (ita vocant nautæ) Benedicti Italici navis, quæ lato mari pervagata ſuperiori die ad littus illud appulerat. Et erat hyems aſperrima gelu, cadentibuſque tum nivibus, utpote medio imminente Januario. Benedictus ipſe ut Portum naves intrare molientes aſpexit (neque enim præ caligine cadentis nivis omnes videre poterat) ratus Barchinonenſes naves eſſe, actum de ſe jam eſſe arbitrabatur, donec ſociis cognitis navibus, pavore ingenti liberatus eſt. Poſtero inde die vela data ſunt, & omnis ſimul claſſis, remulco etiam plerumque acta, intra Nauli Promontorium convecta eſt. Ibi literas ab Genua Præfectus accepit, quibus jubebatur redire Maſſiliam; non enim de geſtis apud Inſulas, neque de captura navis adhuc Genuæ Magiſtra-

giſtratus certiores facti erant; & ob eam rem pecuniam jam decreverant ad novum ſtipendium, quo per dies aliquot naves Maſſiliæ tenerent, ut res interim maturius conſuli poſſet. Verum poſtquam debellatum, quantum ad maritimum cum Barchinonenſibus bellum pertineret, eſſe cognoverunt, arbitrarium Præfecto in Patriam reditum reliquerunt. Et ipſe quidem mandatis acceptis apud Nzulum novum nuntium expectabat, ubi paucos dies vento retentus Borea, deinde validiſſimo mari incumbente, ſolutis inde navibus poſtridie in patrium Portum vectus eſt ovans. Supremus Magiſtratus ei obviam è navi egreſſo non prodiit; ſed miſſus Prætor Urbis eſt, & Civium primariorum magna multitudo, quibus comitantibus honorifice domum deductus eſt. Et poſterâ die in Senatu magno aſſenſu res à ſe geſtas recitavit. Fuerat enim prius in Urbe ſermo varius, ut vulgi eſt. Quidam enim accuſabant eum, quod navarchos parum in officio continuiſſet. Sed plerique, & ii quidem præſtantiores ac maturiores, virtutes ejus hu- A dibus attollentes, affirmabant, nullam claſſem ante multos annos Genuenſi nomini fructuoſiorem fuiſſe, qua factum eſſet, ut qui jam mari hoſtes formidabantur, jam ne unam quidem navem haberent; qua ex maximo periculo tot noſtræ naves eſſent liberatæ; qua demum Genuenſis nominis dignitas non retenta ſolum, ſed etiam aucta eſſet: quæ omnia non commoditate rerum, ſed ipſius potiſſimè Præfecti patientiâ & vigiliis, acta eſſent. Quippe id geſtum erat ſævâ hyeme, mari omnium importuniſſimo, navibus onerariis gravibuſque, quæ id temporis manifeſtiſſimo ſui periculo * ne æſtate quidem ſiſtere umquam naves ullas * poſſint. Itaque deſinant malignæ invidorum voces virtutibus obtrectari. Quid B enim momenti claſſis hæc fecerit, declaravere paulo poſt Aragonenſis, & Renati miſſæ Genuam legationes, à queis amicitiæ fœdera, ſed à Renato amplius belli quoque ſocietas noſtra expetebatur in communes jamdudum hoſtes Catalanos, vix umquam ab infeſtatione maris per ſuos Piratas deſinentes.

Digitized by Google

EJUSDEM
ANTONII GALLI
GENUENSIS

Ad Hieronymum Monelienſem Johannis eximii Medici filium

COMMENTARIUS
RERUM GENUENSIUM,

Ab anno 1476. ad 1478.

PRÆFATIO.

QUandoquidem, Hieronyme, ita tibi videtur, cui petenti pro mutua & ſingulari noſtra benevolentia negari quidquam à me indecens eſt, Latinum conabor eum ſermonem efficere, quem in ore frequentem habere hoc tempore ſolemus, ut etiam noſtræ Civitatis, quæ ampliſſimæ contigerunt, rerum geſtarum memoria ad poſteros incorrupta transferatur. Nec id ſanè mihi vitio quis dederit, ſi genus dicendi æquabile potius, quo maximè delector, in his Commentariis conſcribendis, quàm ornatius illud & magnificentius ſectatus fuero. Non enim ex hoc labore ingenii peto laudem, ſed pietatis, qui pro virili præſtare id cupio, ne generoſi animi populus præclara facta ſua futuris temporibus ignoret; Quamquam non me latet, ſcribendis Annalibus *Gotifredum* publicè delectum prudentiâ, qua plurimum valet, ac fide, quæ in eo eſt ſingularis, muneri ſuo non defuturum; ſed quo plures idem ſcribendo affirmaverint, eo erit de rebus ipſis teſtimonium locupletius. Sumo igitur initium ab hujus, qui pupillus eſt, Johannis Galeatii ſexti Mediolanenſium Ducis Principatu, paulo altius quibuſdam repetitis breviter; quo rerum cauſæ planius dignoſcantur.

Annum jam tertium decimum in ditionem Franciſci Mediolani quarti Ducis Genuenſium Civitas conceſſerat, & erant quidem voluntariæ conceſſionis ejus apud ipſum Principem hujuſmodi pacta fœdera, ſcripta etiam atque jurata, ut non ſervitus illa magis quam Genuenſium mera libertas videri poſſet. Quippe is adeo multa permiſerat, ut præter titulum Principatus, vix illi quidquam in Genuenſes juris relinqueretur. Exſolvenda quotannis erant novo Principi quinquaginta millia Genuenſis æris, quam nummûm ſummam, ut ut parcius erogaretur, cuſtodia Civitatis atque arcium abſumebat. De ceteris verò legibus nullum ſibi omnino arbitrium reſervaverat. Eo ſuperſtite (quippe non totum biennium ſupervixit) paulo diligentius ejuſmodi fœdera A cuſtodita ſunt: Poſt ejus obitum Galeatius filius ab ulteriori Gallia, ubi præpoſitus auxiliaribus equitum copiis à Franciſco patre miſſis apud Ludovicum Regem militabat, propere ad capeſſendum Imperium Mediolanum accerſitus; & à quodam Regulo, dum magnis itineribus Alpes trajicit, pæne retentus. Functus eo periculo, & ad ſuos delatus, more majorum in Principem creatus eſt, ut acceptior populis haberetur, in primis annitente matre Blanca Maria, cujus laudes longiſſimè muliebrem ſexum ſuperegreſſæ gratâ ſunt ſæpiſſimè memoriâ repetendæ. Hæc enim eâ prudentiâ, ſimul & animi magnitudine præſtitit, interemto repentina morte Franciſco, abſente primogenito Galeatio, filiis quatuor reliquis necdum pubeſcenſibus, non Genuæ modò, ubi ſemper novitates in promtu ſunt, ſed Mediolani quoque nutante Imperio, ut nullis omnino motibus recens dominatio concuteretur. Et Genuenſes quidem ſummam pro virili curam adhibuerunt in eo ipſo, publice etiam decretâ pecuniâ, ut novandis rebus occaſio nulla præberetur: quæ res ex omni parte integrum conſervaſſe Galeatio Imperium credita eſt. Dignam quoque legationem mox Mediolanum miſere, qua multo infra legatorum Florentinorum, qui & ipſi tum aderant, dignationem receptâ, nonnihil jam tum offenſi Genuenſium ex eo animi ſunt. Hæc legatio cum novo Principe fœdus initum reſtauravit. Illud tantùm immutatum, quòd priore fœdere Franciſco, & Blancæ Mariæ, ac eorum liberis ex formula fidelitas debebatur; poſterius in Galeatii tantùm verba, præteritis fratribus, juratum eſt. Nec diutius ferre matris imperium, quod eum multa juveniliter agentem reprimere conabatur, Galeatius quivit. Hinc ſimultas primùm exorta, poſtmodum ad odium uſque proceſſit, donec illa Cremonam dotalem ipſius Civitatem, etiam, ut fertur, minabunda concederet, & haud ita multo poſt ætate adhuc viridis, neque filii omnino in morte ejus intactâ famâ, apud Melignanum extincta eſt. Poſt hæc ſpretis Galeatius Italicorum

Digitized by Google

eorum Principum affinitatibus, quasi omnes infra ejus dignitatem essent, Connubium Gallicum prætulit, acceptâ in conjugem Bonâ Philippi Ducis quondam Sabaudiæ filiâ, cujus sororem Ludovicus Francorum Rex junctam matrimonio habebat, qui hujusce quoque fuerat maritationis auctor, invitis ac frementibus Bonæ fratribus, qui tum in Sabaudia imperitabant; quippe Regina utroque orba parente, cum traduceretur ad virum, parvas sorores secum duxerat. Igitur Bona è Gallia Mediolanum ad maritum ducenda, fraterni vitare fines Imperii necesse habuit, ac Massiliam profecta, inde Genuam navibus adducta est. Transacto deinde tempore cum peperisset marem primo partu successorem Imperii futurum, causâ voti concepti Galeatius, conjuge, fratribusque, & omni præterea nobilitate comitatus, Florentiam profectus est. Unde cum reverteretur, in lævam deflectens, ad maritimos Genuensium fines pervenit, missisque ab Genua duabus triremibus è Lunensi Portu ad Urbem tranquillo admodum mari vectus, annitentibus exhibere illi novos atque insolitos honores publicè & privatim cunctis Civibus, magna omnium expectatione acceptus est. Paratæ in ejus hospitium domus, quæ erant in Urbe tota ornatissimæ; viris ac jumentis, quæ ad Urbem itinere terrestri duxerant, necessaria luxu Regio ac magnificentiâ præbita; adventus ipsius dies vestibus pretiosissimis, frequentiâ, festivitate, omni denique gaudio celebratus. Aureæ quatuor pateræ duodecim pondo singulæ dono ipsi datæ. At hæc omnia ille non modo non acceptat, sed ingrata potius habere, ac odisse visus est. Primum enim descendit è navi vestem indutus ipse uxorque obsoletissimam, & nescio an ab aliquo è vilioribus famulorum petitam; inde cum deductus esset sub umbraculo ad Palatium, ubi erant magnificentissimè constrata triclinia, ne visere quidem paratum sibi hospitium voluit; sed nihil moratus, præpropere arcem petiit, ibique pernoctavit. Exivit mox tertio ab Urbe die ita raptim, ita incompositè, ut non profectio illa, sed fuga potius pavitantis Principis videretur. Et nihilominus aureorum decem millia in eum apparatum Respublica consumsit, duplici, ut ajebant, jactura, & pecuniæ simul, & Principis gratiæ.

Nam post hoc tempus Galeatius sive hominum insolita libertate Genuæ offensus, sive formâ Urbis aspectu in primis superbæ, sive qua aliâ causâ occultiore permotus, numquam destitit novis ac magnis structionibus Arces munire: quod ipsum non vulgi modò in præsentem dominatum conflavit odium, sed primarios quoque Cives ingenti formidine affecit. Neque enim licebat ex fœdere novas arcibus munitiones adjicere, aut præsidiis Templa occupare, prohibito ab accessu Populo. Jussu tamen hæc omnia Galeatii facta sunt. Additæ etiam in Senatum contumeliæ, si quando per literas injuriæ alicujus ad eum querela deferretur. Itaque necessariò per occasiones hujusmodi quotannis tres quatuorve legationes ad Principem mittebantur, quas ille, cum nihil nisi ex fœdere postularetur, ita semper dimittebat, ut impetrasse omnia dicerentur, impetrasse tamen numquam quidquam viderentur. Locupletiores Cives amore quietis, qua sub eo Principe admodum securi de motibus Civitatis potiebantur, tolerantiâ nihilominus ista ducebant potius, quamvis omni vinculo juratæ fidei se se exsolutos, non servante Principe fœdera, existimabant, quàm motis armis experiri jura libertatis, de cujus exitu sicut erant incerti, ita Civitatem liberam mox ad solitas factiones, quas magnopere horrebant, redituram sibi certissimi videbantur. Per varios igitur hujusmodi motus Genuensium Civitas agitata est usque ad id tempus, quo Galeatius libidine animi percitus, ut liberum sibi dominatum in Genuenses adstrueret, arcem Castelletti validius munire, ac interruptam facultatem ipsius rei perficiendæ arripere meditabatur. Joannes Pallavicinus ex Scipiono tunc Genuæ Præsidens quosdam è plebe ad eum venientes adhortatus, ut se adjutore dividi curarent publicum Tributum, complures annos una forte simul à nobilibus, plebejisque collatum, ac malignè, ut ajebant, in plebem semper coacervatum. In ea contentione irarum, causas Præside clam subministrante, usque adeo studia ordinis utriusque exarserant, datâ etiam postremo secundùm plebem dividendi formâ, ut distractum in duas partes quodammodo corpus Civitatis nullas habiturum vires ad tuendam libertatem videretur. Itaque per hujusmodi occasionem Galeatius destinatum opus lineâ designari jubet, ac fundamenta defodi: quæ res animadversa tantam indignationem, tantosque hominum manifestè frementium motus excitavit, ut decreta mox à Senatu ad Principem legatio deformitatis istius querelam delatura fuisset. At Princeps minabundus, & veluti ira furens, opperiri jussit adventum octo Civium, quos ab Genua raptim ad se mitti mandaverat, & quidem malè perdendos, uti vulgo existimabatur. Neque enim satis constabat, quam ob causam primarios tot Cives vocavisset, nisi ut eorum supplicio ceteros in metum coërcitos indignitatem molitionis, quam agebat, pati compelleret. At Genuæ jam omnia ad arma spectare nuntiabatur, & plebejos quosdam ad magnum coisse numerum, & inter se se de Republica contulisse: quod nisi laxato de Imperante metu fieri non solet. Quod ubi Galeatius cognovit, ut erat in periculis semper pavens, ac perquam trepidus, mutato propere consilio, & Legatos, & Cives ad se vocatos humanè admodum & comiter allocutus, de tota structura novæ arcis Genuensium arbitrio, quatenus præscriptum est, omne remisit. Erupta ergo quæ jacta jam erant muri fundamenta sunt, veluti jubente Populo, qui tamquam victor Principis, id etiam insolentius agebat. Eam rem postmodum, liberato metu animo, cum Princeps expensâ ratione dignitatis animo secum volveret, magno quidem per se dolore afficiebatur; sed multo etiam magis ab Angelo Stufa Florentinorum Legato stimulis additis concitabatur. Hujus Angeli scurrilibus propemodum facetiis, & minimè viro gravi digna dicacitate, maximè Princeps ipse delectabatur, usque adeo ut salibus ejus percitus, nec etiam in publico ab turpibus cachinationibus temperaretur. Per hujusmodi verò artem Florentinus animum Ducis jam antea in Genuenses commotum excitabat; nam Civitati suæ percommodè cessurum existimabat, hisce occasionibus ad iram Principe provocato clade aliqua Urbem affici finitimam, quam ad sumenda arma promtissimam ab Duce potentissimo facilè contundi posse putabat. Et in præsens quidem Galeatius non satis ad quod agitabat animo paratus, nihil in Genuenses molitus est.

Paulo poſt id tempus injectâ jurium de Triremibus armandis inter nobilitatem, plebejoſque contentione, pluſquam triginta millia pedites, partim conſcriptos, partim ex delectibus coactos, ad coërcendam Liguriam deſtinaſſe credebatur. Quod ut facilius aſſequeretur, ut ne quem ducem Genuenſes ad obſtendum habere poſſent, *Proſperum Adurnum* ſuæ factionis Principem Vadæ tunc agentem, ac beneficio patris Franciſci id Oppidum poſſidentem, ceteris factionum ducibus ab Liguria procul amotis, vocatum ad ſe, inauditum, ac nullius certi criminis reum, ad Cremonenſem Arcem vinctum duci, atque ibi aſſervari juſſit. Cujus indignitas facti apud omnes Liguriæ populos Principatum Galeatii in maximum odium deduxit. Exiſtimabant autem per hujus viri injuriam quæſitum eſſe, ut omnino Genuenſium jura tollerentur. At Princeps in animi libidines vehementer pronus, ubi multa ad explendum cogitaſſet, minimarum etiam rerum obſtaculis, maximè ubi metus objiceretur, incœpta retardabat, ac in aliud tempus differebat, ut tum quoque contigit. Nam cum militibus veteranis expeditionem edixiſſet, tyrones ad maximum numerum conſcripſiſſet, delectus haberi juſſiſſet, initâ cum Procuratoribus ſumtus illius ratione, quem multa millia deacervaturum comperuerat, mox deſtitit; quòd etiam conatus ejus eventum dubium fore peritiores militum nonnulli affirmabant. At Genuenſes, quos nihil horum latebat, palam fremere, arma comparare, non quidem publicè, ſed privatim, alius alium hortari ad retinendam libertatem, nec animo deficere; ſed in ſpe bona eſſe, quanquam nemo dux initio memorandi facinoris oſtendebatur. Sed non ita multo poſt cum frequens inter primarios quoque Cives de his rebus querela ubique audiretur, nec ullus omnino eſſet, qui non Principem veſanæ cupiditatis accuſaret, inventus tamdem eſt juvenis animi generoſiſſimi *Hieronymus Gentilis Andreæ filius*, qui periculo imminenti auderet occurrere. Non tamen illum alicujus cauſæ ratio impulit, præter quam periclitantis Patriæ libertatis. Nam erat in foro mercatorio inter non multos ſanè ſplendidus, & domi compoſitus, ac ſatis amplæ rei, quam ſibi ipſe paraverat, poſſeſſor habebatur. Hic tentatis per obliqua colloquia Nobilium quorumdam animis, qui plurimum valere gratiâ & opibus in Civitate putabantur, cum exiſtimaſſet eos à vendicatione libertatis ſanè non abhorrere, ingenti ipſe animo negotium ſuſcepit, & cum armatorum manu, quam in ſuburbanum ſuum coëgerat, noctu clam Urbem ingreſſus, armorum ſtrepitu, & acclamatione libertatis omnes excitavit. Nec defuere in Urbe quoque promtiſſimi, qui ſe ſe tam præclaro facinori ſumtis armis adjungerent. Nec mora: Portas omnes Civitatis præſidiis inde dejectis occupat. Unum defuiſſe conſilio ejus exiſtimatum eſt, quod non quoque Palatium adortus expugnavit; potuiſſet enim ea res totum negotium conficere. At dum excitando tumultui intentus, cetera minus exequitur, propinquante luce, contra è ſuis plerique dilabebantur; itaut brevi ex amplo ad modicum numerum redigeretur. Quamobrem Portam Sancti Thomæ, quam initio occupaverat, petens, ibi reliquam manum fiſtit.

Interea jam luceſcente, concurſus fit Senatus, & aliquot primariorum Civium ad Palatium. Ibi *Guido Vicecomes* Gubernator magnopere trepidabat, vir ſenex, & ejuſmodi novitatum inſuetus, tantummodo qui coibant Cives ſupplex precabatur, ut Reipublicæ, utque ſaluti ſuæ conſulerent. Decernuntur octo viri, qui ſumtis armis cum manu amicorum Hieronymum expellant. Nec tamen ceſſit ille, quamvis jam non plures quam triginta ſecum haberet; quin immò proceſſit obvius, ac vim expertus eſt, paulumque abfuit, quin octo viros, & pluſquam trecentos armatos, quos ſecum duxerant, in fugam dederit, nam etiam eorum plerique idipſum cupiebant. Poſtremo popularibus artificibus viginti quatuor, qui ſe ſe medios rei componendæ offerebant, manus dedit, præfatus, Genuenſes quidem ejus diei occaſionem ſummis votis fruſtra aliquando expetituros. Itaque acceptis aureis nummis ſeptingentis, quos in ſumtum illum pro Republica depromſiſſe cauſabatur, numerantibus de publico Quæſtoribus, & propoſitâ omnibus, qui arma ſumſerant, impunitate, Portâ traditâ diſceſſit. Quæ cum Galeatio, miſſâ etiam ob id ipſum legatione, nuntiata eſſent, quamquam fremeret, datam eſſe pro maleficio, ut ipſe dicebat, pecuniam, tamen Guidonis ac Senatus acta omnia de impunitate comprobavit.

Erat is Annus noſtræ ſalutis Milleſimus Quadringenteſimus Sextus ac Septuageſimus, qui & vitæ Galeatii ultimus fuit. Menſe enim Junio Hieronymi novitas excitata eſt, & ſequenti Decembri memorabili cæde tantus Princeps Mediolani de medio ſublatus eſt: cujus cædis ſeriem, prout ab iis, qui præſentes erant, accepi, perſtringere libuit. Erant in hoc Principe complures eximiæ ſanè virtutes animi, corporiſque. Nemo alius aut militarem, aut domeſticam diſciplinam magis in poteſtate continuit, nemo totum Imperium in manu & arbitrio plus habuit; Populis verò ſubjectis in reddendo Jure maximè æquabilis; nec gratiâ cujuſquam, nec prece movebatur; nullus umquam apud eum tantum potuit, ut non ejus ſeveritatem magnopere vereretur. Præterea forma decens, aſpectus gravis, eloquentia ſingularis, egregia, ſi quando libuiſſet, comitas eum ſanè inter Principes ſui temporis excellentiſſimum reddidiſſent, niſi è contrario pauca vitia ingentes ejus virtutes deturpaſſent. Nam avaritiæ infamiam magnificentia & ſplendor vitæ facile refellebant; ſed ineſſe credebatur illi malignitas quædam, qua ſemper in amicos infidus exſtitit, quorum multos, immò fere omnes, ut altius extulerat, ita minimarum offenſarum occaſionibus incognitis, plerumque & occultis, afflixit; in eo ſolum conſtantior, ſi quem provectum apud ſe ex amico ad infima dejeciſſet. At in corporis libidinibus plurima fœditas, & incredibilium ſpurcitiarum (incertum verò an falsò) nefanda voluptas, eo præſertim mortuo, inter vitia illius numerabatur. Quibus moribus cum appareret, omnium in ſe, etiam familiarium, ac fratrum quoque, odium conflaſſe, in ejus tamdem exitium conjuratum eſt. Tres verò ii fuerunt *Johannes Andreas Lampugnanus*, *Carolus Vicecomes*, & *Hieronymus Ogias*, quorum tam obſtinata fuit in ea conjuratione conſtantia, ut ſex ultra menſes tam magnæ rei inter ſe ſe conſcii, numquam animo defecerint. Delecta tamdem perpetrando facinori dies eſt, quæ ſolemnis Divo Stephano Chriſti Natalem ſequitur, quippe eam diem Princeps Mediolani magna

Digitized by Google

magna frequentia nobiliſſimorum de cunctis Civitatibus atque Oppidis confluentium quot annis agere conſuerat. Ea lux immitis gelu valde fuit, ob quam rem, & quod nonnihil ſomnio quodam uxoris permotus erat, parari ſibi Sacrificium domi juſſerat. Cum vero ſacrificare Sacerdos præſto non eſſet, mutato conſilio, trahente eum fato ſuo, ab arce Jovis, ubi habitabat, exivit, ac Templum petiit Divi Stephani, ubi eum conjurati ſigno inter ſe ſe dato opperiebantur, è quibus Johannes Andreas Principi medio inter Ferrarienſem, Mantuanumque Legatos in ipſo Templo obvius proceſſit, manu ac voce quaſi ſummovens turbam. Cum verò propius acceſſiſſet veluti aliquid petiturus, manu ſiniſtra capitis operimento, ſub quo Galeatius erat, in ſignum veneratione tacto, pugione brevi, quem tectum veſte dextra gerebat manu, in genu procumbens inguina ſurſum ictu converſo ſuffodit, quo uno vulnere nullâ emiſsâ voce præter, *ah Deus*, inter manus Legatorum, quibus hærebat, ignorantium etiam tum, quidnam illi acciduſſet, ſtatim concidit. Accurrerunt mox & alii conjurati, deſuperque jacentem multis vulneribus adorti, ſive adhuc ſpirantem confecerunt, ſive jam confectum trucidarunt. Interea clamore orto, qui ſequebantur de more corporis cuſtodes, ignari quodnam ageretur, diſtrictis gladiis antecedebant, quorum unus validiſſimi corporis Æthiops Lampugnanum fugientem conſpicatus, cum is muliebri veſte pedes implicatus inter turbam cernuus corruiſſet, infeſto enſe tranſegit. Ceteri duo incogniti adhuc per tumultum facilè delituiſſent, quippe cum Principem trucidatum eſſe proximi & familiares, qui eum circumſteterant, cognoviſſent, ſibi ipſis quiſque metuentes, exanimi cadavere uti jacebat relicto omnes è Templo profugerunt. At paulo poſt quibuſdam conjuratorum famulis comprehenſis, eorum indicio accuſati Carolus & Hieronymus, è latebris eruti, & à parentibus quoque ad ſupplicium dati ſunt, & mox horrendis cruciatibus affecti. Hieronymus cum laceraretur, inter carnifices tormentaque intolerabilia eam animi præſentiam præſtitit, ut hortante in poſtremis Sacerdote, tum facinoris illius pœnitere, numquam ut id fateretur adduci potuerit. *Quinimò*, inquit, *ſcio me multis meis erratis hæc, & multo etiam majora, ſi corpuſculum infirmum ad tolerandum ſufficeret, promeruiſſe ſupplicia. Hujus autem pulcherrimi facti, cujus me conſcientia recreat, nullam equidem pœnam mereor, ſed puto potius, ex eo apud ſummum Judicem magnam me aliorum facinorum meorum veniam conſequuturum, quòd mihi ſim conſcius, nullâ pravâ cupiditate impulſum, ſed tantùm ut importuniſſimum Tyrannum de medio tollerem, ad eam rem acceſſiſſe: cujus tantùm abeſt ut pœniteam, ut ſi decies mihi hoc pacto pereundum & decies reviviſcendum ſit, quidquid in me virium & ſanguinis ſit, effuſurus in hoc pulcherrimum facinus millies fuerim.* Jamque omnes, ac etiam tortores dictis commovere videbatur. Ejus accelerare mortem viſum eſt, ſuppreſsâ quantum licuit tam admirandâ duos & viginti annos nati adoleſcentis conſtantiâ, quòd ea in vulgus prolata nihil ad præſentem dominationem factura credebatur: quæ cauſa etiam fuit, ut noctu torti & excarnificati ſint.

Hujus tam inexpectatæ cædis nuntio Genuam celerimè perlato (hinc tamen præſentis operis initium mihi fore prædixi) Civitas omnis ingenti expectatione concuſſa eſt. Namque ex ipſa Prætorianorum trepidatione magni aliquid ab Mediolano allatum eſſe hominibus ſuſpicantibus, *Johannes Franciſcus Pallavicinus* Præſes, vocatis Magiſtratibus & compluribus primariorum Civium, rem ipſam propoſuit, ſcelere pauciſſimorum petitum inſidiis Principem, ac vulneratum, tamen vivere: cujus extremum fatum ſi nihilominus advenerit, unum tantummodo hominem periiſſe. Scire autem eos oportere, ſalvas eſſe vires Imperii, duos ejus liberos mares ſupereſſe, ad quorum natu majorem Johannem Galeatium ſucceſſionem ſpectare. Unum ex percuſſoribus mox trucidatum majoribus cruciatibus ereptum fuiſſe; reliquos omnes conſcios in vincula conjectos atrociſſimi facinoris pœnas ſtatim daturos. Cavendum tamen, ne ex hujuſmodi caſu novitatis aliquid oriatur; ob eam cauſam ipſos eſſe vocatos, ut publicæ ſaluti, quietique conſulerent. His prolatis non ſecus quam par erat commoto Senatu, ſententiæ dictæ ſunt, quarum illa pervicit, quæ octo viros cum poteſtate creari jubebat, quemadmodum in rebus difficillimis conſuetum eſt. Hic Magiſtratus re primum pecuniaria per tributum expedita, pedites ducentos in Gallia cis Padum ſcripſit, quibus cuſtodia Urbis aucta eſt. Nam *Jo. Baptiſta Goarcus* cupiditate excitus vetuſtæ jam factionis inſtaurandæ per vallem Porciferæ arma circumferebat: ob quem tumultum à Mediolano miſſæ ſunt cohortes aliquot veteranorum, quarum unam, cum ſe ſe locis iniquis commiſiſſet, agreſtium parva manus adorta nullo negotio fudit, ac ſpoliavit, diſſimulante Goarco tale facinus juſſu ſuo eſſe perpetratum. Quamobrem cohortes reliquæ viam ad montes ſupra Vulturum flexere, indeque navibus acceptę è Vulturo Genuam incolumes pervenere; nec multo poſt Carolus Adurnus, Proſperi frater, ejus calamitatem gemens, cum præſertim poſt interitum Galeatii, quotquot in vinculis fontes noxiique aſſervabantur dimiſſis, unus omnium Proſper innocentiſſimus retineretur, & ipſe majori factione vim facturus in vallem Porciferæ advenit. At ab alia parte Fliſcorum familiæ ſectatores maritimi, quod illa Domus malè habita ſub Principe Galeatio credebatur, nemine illorum auctore, per ſe ipſos arma capiunt, & in vico Rechi non contemnenda manu in unum coacta, inde ad montana Caſtella oppugnanda proficiſcuntur, quæ præſidiis Lombardorum tenebantur, quorum Fliſcorum principes Romæ quidam exulabant. Unus tantum *Johannes Georgius* vix dum egreſſus pueritiam Genuæ tum erat. Ad hunc ſollicitandum, qui Caſtella oppugnabant, ut ducem aliquem haberent, crebros nuntios miſerant. Verum juſſu Præſidis ne quò abiret obſervatus, complures dies ſe continuit; poſt autem victus ab hortationibus ſuorum profugit, ac Turriculam profectus, acceptuſque in caſtris, tractandis armis, rebuſque gerendis promtum ſe ſe aptumque reddebat. Dein creſcentibus curis cum major in diem multitudo ad illum confluueret, validior ætate, atque animo, miſſus eſt *Matthæus Fliſcus Danielis filius* ex altera Familia; quippe Fliſcorum Domus in Turriculæ, & Savinionis Familias diſtincta eſt. Quamobrem ſumtis undique circa Urbem armis ſuſpiciones vigentes in ipſa Civitate coortæ ſunt. Nam cum pauciſſimorum conſiliis Præſes potiſſimum uti diceretur, id-

ipſum

ipſum improbabant, qui novitatis cupidi miſcere ac turbare omnia nitebantur. Et cum placuiſſet exemplo aliquo effrenatam ſermonum licentiam cohibere, vocatis ad Palatium aliquot è plebe, quorum audacia timebatur, ex iis duos, qui paruerant, *Baptiſtam Delphinum* Tabellionem publicum, & ejus generum *Benedictum Ponſonum vinctos* in Arcem duci ab militibus juſſum eſt. Id animadverſum, *Baptiſtam Coſtam*, & *Gregorium Surlum*, & quoſdam alios concitare Populares, & ad arma clamare compulit, quippe Nobiles odio Plebis id moliri, ut quicumque de plebe in conſiliis publicis contra quam ipſis viſum ſit proloqui quicquam modò auſus ſit, exitio detur. Nam Surlus, & Coſta prædicti cauſas Plebejorum in Senatu ſemper accerrimè defendere ſoliti erant. Sed Benedictus Ponſonus inter acclamantium Popularium voces à militibus ob metum dimiſſus evaſerat; Baptiſta verò Delphinus caput obvolutus jam ad arcem ſilentio ductus erat. Sed officinæ omnes, tabernæque magno ſtrepitu claudebantur. Quo metu compulſi Cives primarii Præſidem frequenter circumſtant; cedendum enim, & mox Delphinum liberari oportere, nec committendum, ut parvæ rei occaſione arma populus arripiat. Liberatus igitur Baptiſta gliſcentem motum in præſens quidem ſedare eſt viſus.

At *Matthæus Fliſcus* ea re cognita cum alio intentus nondum ſibi Urbem attingendam putaviſſet, mutato conſilio propius cum iis, quos ſecum habebat, acceſſit, & proxima nocte, quæ decimum ſeptimum diem Kalendarum Aprilis anteceſſit, de tertia vigilia ſcalis paucis ad muros Carignani ſilentio erectis ad quinquaginta in Urbem introduxit, à quibus, uti erat conſtitutum, Porta Olivellæ refracta eſt, & reliqua deinde manus introducta. His cum ſe ſe de plebe aliquot vocibus libertatis exciti armati adjunxiſſent, nec tamen pluſquam ducenti omnes erant, Prætoriani milites in via recta ad Ponticellum acie infeſtâ obvii fiunt. Ibi non diu pugnatum eſt, quamquam & numero & armis externa cohors longè prævaleret. Nam primo ſtatim impetu agreſtium perculſi pedem ad Palatium, paucis eorum vulneratis, retulere, noctis inſidias veriti, & neu de feneſtris magnorum ſaxorum ictibus peterentur. Clauſis igitur intra conſeptum Palatii Prætorianis, Matthæus liberam habuit totam Urbem pervagari. Jamque dies eluceſcebat, & quod in tumultu Hieronymi Gentilis proximo evenerat, paulatim Matthæi copiæ minuebantur, & ita vis eorum elangueſcebat, ut de fuga quoque cogitaſſe Matthæus creditus ſit. Interea Petrus Aurius filius Juvitis præter admodum paucos ejus familiæ cunctis reliquis, & potiſſimum primoribus, qui maximè Præſidi tranquillitatique ſtudebant, depoſitâ veſte, & arrepto jaculo ex confluentibus in regionem Auriorum aliquot attinuit, & eos cohortatus ſequi juſſit, identidem proclamans Libertatem: quæ res cum Civitatem circueret, facilè multis perſuaſit, Aurios arma cepiſſe. Itaque vires Matthæo ſtatim additæ ſunt, Jamque Palatium oppugnari à Divi Laurentii Templo cœperat, & in Plateam Auriam jam factionis eorum ſatis ampla manus coierat, quæ Palatium quoque oppugnaret. Non tamen aut minis, aut precibus primariorum expelli ullo modo potuere, cum multo plus ſeditioſi, & vim atque arma ſuadentes, apud avidos novitatum valerent. Tenebant adhuc

A Præſidis milites Portam Urbis Orientalem præſidio ſatis firmo in turrim Templi portæ imminentem impoſito. Ad eam Portam oppugnandam Matthæus converſus cum magno numero auctus copiis abundaret, brevi inde ditionem, & Portam, & turrim Templi recepit: quo nuntio Præſes exterritus, etſi mille propemodum veteranos milites armis inſtructiſſimos ſecum habebat, non tamen auſus conſepto Palatio ſe credere, effusâ fugâ ad arcem cum omni cohorte properavit. Cum igitur confeſtim abeuntes per viarum anguſtias conflictarentur, per eum tumultum in eos ſunt de feneſtris aliquot ſaxa conjecta: eo pavore adeo conſternati ſunt, ut ab inermibus etiam
B armati plures à pauciſſimis caperentur. Scuta, galeæ, veruta, armaque alia paſſim abjecta relinquebantur. Quod ubi à vulgo cognitum eſt, ad Palatii prædam plebs accepto antiquitus more decurrit; nec tantùm ſupellectilem relictam diripiunt, ſed portarum ac feneſtrarum valvas, & ligna omnia etiam tenacius affixa convellunt, adeo ut deinde Quæſtores his reparandis ad tria millia æris contulerint. Matthæus, & Carolus Fliſci cum armatis diſcurrentes, fugato Præſide, liberam totius Urbis poteſtatem, arcibus exceptis, contradicente nullo conſequuti, advocatâ de more concione de regimine dando Civitati retulerunt. Placuit, ſuadentibus potiſſimum Nobilioribus,
C Populari tantùm Magiſtratui Rempublicam committere; non tamen exiſtimabant, duos adoleſcentes nullis externis auxiliis fultos rem tantam poſſe ſuſtinere, & ob eam cauſam per ſpeciem honoris rei caſuræ adminiſtrationem concedebant. Creati igitur ſunt *Petrus Majolus*, *Dominicus ex Promontorio*, *Lodixius ex Riparolio*, *Bartholomæus Cornicia*, *Nicolaus Marci Raphaëlis filius*, & *Gregorius Unàda* plebeji omnes, quos Libertatis Capitaneos appellavere; iiſque poſtea Nobiles duo ſunt adjecti *Ceva Aurius Bartholomæi filius*, & *Hieronymus Grimaldus*. Ii autem belli duces Carolum, Matthæumque ſumſerunt in adventum uſque *Ibleti Fliſci* familiæ illius ſine controverſia principis, quem Româ jam jamque adeſſe
D dicebatur. Is enim Protonotarius Apoſtolicus initio Galeatii Principatus omnibus Caſtellis, reque omni ſua ſpoliatus, ac Mediolanum conductus, cum ibi quaſi vinctus aſſervaretur, poſtremo è manibus ſimulando elapſus, egens, ac in ſumma neceſſariarum rerum inopia terras omnes uſque ad extrema Galliarum pervagatus eſt. Romam deinde feſſus cum veniſſet, ibi cum juniore fratre *Johanne Ludovico*, non Cardinalium modò, propter Familiæ claritudinem ſummos honores ſemper in illa Curia conſecutæ, ſed Sixti quoque Pontificis gratiam non mediocrem promeruit. At ea tempeſtate Sixtus, quamquam origine Ligur, non
E modicam tamen de Mediolanenſi Principatu conſervando curam ſibi ſumſerat, & ejus rei gratia Genuenſes exules, quorum plerique Romam confluxerant, ipſumque Ibletum potiſſimum continendum decreverat. Nec tamen deerant ex Cardinalibus, qui in diverſum quoque niterentur. Ab iis Ibletus ad liberandam ab importuna dominatione Patriam cohortatus biremem fortè fortuna in ipſo flumine Tibridis oblatam clam conſcendit, ac Genuam venit, & quidem ſummè ab omnibus expectatus, quippe montanis, & egentibus, & armatis Urbe completâ, direptionis perplurimum locupletiores formidabant, quos Ibletum

non

non ſolùm præſentem prohibere velle, ſed etiam poſſe putabant. Itaque ad ejus adventum omni Nobilitate obviam effusâ cum ſummâ cunctorum gratulatione in Urbem intromiſſus eſt, & mox in locum Caroli, Matthæique ſuffectus.

Interea qui in arces confugerant, juſſu eorum, ut poſtea cognitum eſt, qui ſub Miniſtrorum pupilli Principis ſpecie ipſi imperabant, magnam tormentorum vim jampridem ad hujuſmodi caſus comparatam inſtruunt, quibus tormentis per ſingulos dies ſaxis immanibus partim excuſſis in ſublime, partim directè contortis, paſſim in ipſa Urbe ruinas tectorum domuumque faciebant, in queis pueri aliquot, mulieresque afflictæ ſunt. Sed Palatium publicum ita majoribus his tormentis conquaſſarunt, ut ibi conſiſtere nemo uſquam auderet. Præterea cum ferè haberent ad duo militum millia in duabus arcibus inter ſe ſeconjunctis, non ſatis initio contineri poterant, quin ubi vellent repentinos incurſus per vicina loca facerent, & terroribus ac tumultu omnia miſcerent. Jamque per totam Italiam Genuenſis motus fama pervaſerat; jam principes factionum, quo quiſque loco abditi erant, propere Genuam advolarunt. Primi omnium *Carolus Adurnus*, quem ſuperius nominavimus, & *Auguſtinus*, *ac Johannes Raphaëlis Ducis quondam filii*, quibus cum Urbem, vocantibus Ibleto, & Præſidibus, oblatâ etiam in ſumtum pecuniâ ingredi liceret, ultro ad S. Benignum ſubſiſtere maluerunt. Mox & Fregoſii alius poſt alium *Johannes Galeatius*, *Thomaſinus*, *Paulus* Genuenſium Archiepiſcopus, advenere. Hos placuit, ne ſtudio factionum Populus eorum conſpectu exardeſceret, ab acceſſu Urbis temperare. At Mediolanum Genuenſium deſectione perlatâ, initio quidem non magnopere quibus Imperii ſumma curæ erat, commoveri videbantur, nullo alio bello implicati, junctique fœderibus circumquaque cum vicinis Principibus ac Civitatibus, Genuenſem motum compreſſuros ſe facile exiſtimaverant. Poſt verò ubi magnam partem Nobilitatis arma cepiſſe, decretamque ſatis amplam pecuniæ ſummam, quæ redigi ſponſore Magiſtratu Sancti Georgii facilè poſſet, & Spediæ arces vi captas cognovere, tum agendum maturius, & omni conatu ſubveniendum putaverunt. Milites igitur ex hybernis raptim educere, arma comparare, duces accerſere, hortari, inſtare. Præfectus ſummæ rei militaris *Robertus Sanſeverinus* declaratur, vir in ipſis caſtris cum imperio ſemper verſatus. Grave deinde onus pupilli Principis fratres Galeatii, Sfortia, Ludovicus, Octavianus, cum Roberto ad bellum Genuenſe deſtinantur; nam Philippus, & Aſcanius, alter non nimium timendus, alter Religioni ac ſtudiis intentus domi retenti ſunt. Sed nullæ ſatis vires ad cohibendos Genuenſes exiſtimabantur, niſi ſuis ipſos factionibus comprimerent. Itaque *Proſperum Adurnum* è carcere tum demum depromtum ab Cremona Mediolanum accerſunt; eum præteritarum injuriarum obliviſci, nova captare beneficia jubent; donis ampliſſimis, pecuniâ, copioſâ ſupellectili honoratum ac delinitum Genuenſium rerum ſummæ præficiunt; Præſidem deinde Urbis ipſum declarant, addunt pollicitationes ingentes, ſi bene rem adminiſtraverit, Principem illi & dignitatem ſuam, & Genuam recuperatam debiturum. Quamobrem Proſper cum ſuopte ingenio in ſervanda fide ac promiſſis haberi ſemper vellet conſtantiſſimus, promto ac fideli animo totum in præſens negotium ſuſcepit.

Ea res apud Genuenſes cognita multorum animos erexit; nam plerique non modo Nobilium, ſed eorum etiam, qui benè rei cenſebantur, priſtinum Urbis ſtatum reſtaurari cupiebant; qui verò factionem Adurnam ſequebantur, quia Fregoſos etiam tum prævalituros imaginabantur, quidvis quam adverſarios dominari malebant. Ibletus igitur multo majori conatu Arcem minorem in ſummo ſupra Urbem monte locatam, præparatis quæ ad oppugnationem uſui erant, aggreditur. Cuſtodes Arcis ſive territi, cum tutari ſe poſſe diffiderent, ſive pecuniâ corrupti, ſimulantes expugnationem muri exterioris, intra quem ſcalis pervadere hoſtem permiſerant, ſeſe dediderunt. Ea Arx ab ipſo montis jugo acceſſum ad Arces urbanas excludebat, actumque non minimum videbatur. Porciferæ vallis incolæ factionibus vehementer obnoxii Goarcum, alii Fregoſos, alii Adurnos ſequebantur, quibus tum omnibus promiſſa erat à Senatu annorum multorum immunitas, ſi fortiter pro Republica depugnaſſent, obtentaque eſſet de hoſtibus adventantibus victoria, quam ſitam in manibus eorum eſſe prædicabatur. At Proſper exercitu cohortum veteranarum centum viginti coacto, additis quatuor equitum turmis, quas *Johannes Comes* ducebat, à Serravalle Sclipiæ anguſtias ingreſſus Buzallam pervenerat. Unà erant Robertus, quem totius militiæ ducem prædiximus, & Galeatii fratres, *Johannes Pallavicinus*, qui aliquot annos Genuæ præfuerat, *Johannes Jacobus Trivultius Eraſmi filius*, *Petrus Franciſcus Vicecomes*; præterea pleraque Togatæ Galliæ nobilitas decoris armis, inſignibus, equis, comitatu magnum exercitui alioquin potentiſſimo, incrementum addiderant. *Donatus Comitis* ab ipſa ſui pueritia cum Franciſco Sfortiæ tunc Comiti cariſſimus haberetur, id cognomen ſortitus, vir ſanè in arte bellica plurimum celebratus, quingentos pedites ducebat; *Gulielmus Marchio Montisferrati* auxiliares quoque miſerat; iis additi erant è Familia Spinulorum quamplurimi, quorum *Alexander* Jureconſultus, & Principis demortui Conſiliarius eam adhuc dignitatem obtinebat. Hos omnes de vallibus Sclipiæ, & Burbaræ, quibus dominantur non contemnendæ manus ſequebantur; nam & pecuniam quoque avidæ genti objiciebant, cujus gratia nihil eſt quod homines illarum regionum ſibi fas eſſe non putent. Itaque ad Proſperum incolarum Porciferæ ſuæ factionis armatæ ingens numerus pervenerat, quibus potiſſimum ſubnixi duces hoſtium ſuperato Apennini jugo in vallem ſe ſe cuncto cum exercitu demiſere. Nec quicquam morati duodecim illa millia paſſuum itineris per anguſtias Aluci fluminis ad mare decurrerunt, non homine ullo, non re inter eundum violata; & præmiſſus antea noctu in Arcem Caſtelletti *Carolus Adurnus* clàm fuerat, ad quem laxatis cuſtodiis multitudo hominum ex urbana plebe ventitabat. Is autem, conſtitutis quæ in rem erant, quam acturus venerat, ubi exercitum Urbi proximum eſſe cognovit, in poſterum diem ſe ſe comparavit. Ibletus enim, & qui præſidebant Civitati exercitui tantummodo intenti, quem ſi ſuperaſſent

cetera

cetera prona & facilia sibi fore confidebant, Urbis curâ pæne remissâ juventutem omnem in Promontorio hostibus oppositerat. Iis duces erant Fregosæ gentis, quos jampridem veniſse commemoravimus, & Fliscorum quoque *Johannes Franciscus Cattanei* filius, quorum maxima cura fuit vias obicibus claudere, ac de locis superioribus hostem ab aditu prohibere. Nec cessabat interim Goarcus crebris incursibus hostium castra conturbare, quæ locata trans amnem torrentem è regione Corneliæ villæ, planitiem glareæ amplam ad explicatum turmarum equestrium ante se habebant. Triremes duæ, quibus præerat *Benedictus Spinola*, quem data pecunia, & accepta ab eo fide Præsides Civitatis, Romam ad Pontificem maximum Oratores deferre jusserant, mutato profectionis proposito ab incœpto jam cursu regressæ, tum in Portu erant. Eas adoriri & expugnare tamquam hostium, duabus aliis triremibus *Philippi Lomellini* præsidio in his impositio, Ibletus parabat. Quod ubi sensit Benedictus, flante Noto valido ex ipso Portu datis velis fugam arripuit; moxque insequutus cum suis triremibus Philippus, superato Promontorio ita fugientem urgebat, ut ferire jam rostris, & impingere in alteram triremium videretur, quousque prope terram ad S. Andream triremes suas incolumes Benedictus applicitas reduxit. Ea res de castris proximis prospecta primo quidem non modicum pavorem incusserat, existimantibus Lombardis quatuor ipsas triremes ad occupandas angustias immissas, quo eorum fuga ab ea parte clauderetur. Postea verò cum Benedictum de suis esse partibus, & evasisse periculum cognovere, quo plus timuerant, eo magis lætabantur. Interea nox supervenerat, quam sanè sollicitam atque anxiam duces hostium, de side potissimum eorum dubii, à quibus ducebantur, exegere; videbant enim magnam armatorum multitudinem in locis editis contra se stare, collucere ignibus montem omnem adversum, nec diutius ibi consistere sine pernicie absque commeatu; nec pervadere ad Urbem clauso omni aditu atque obsesso, posse intelligebant. Itaque omnis eorum spes in urbano metu sita videbatur; nam regressus ad juga, unde venerant, sanè ignominiosus, ac minimè tutus erat. Ortâ luce ab duobus locis amnem siccum transgressi, nostros adoriuntur, & hortantibus ducibus acerrimè pugnam cient. Præibant scutatorum cohortes, pone sagittarii sequebantur, & qui tormentis minoribus, quos sclopetos vocant, pugnantes, non minus ob lethalia vulnera, quam ob terrificum sonitum formidinem incutientibus. Subsidia deindè multiplicia, nam copiarum magnitudo suppeditabat, locata erant. Itaque per eam viam, quæ constrata saxis ad Promontorium ducit, jam fere ad summum impigre pervaserant. Ibi autem cominus, & pede pedi collato à nostris occursum est; nec primo Lombardi usquam cedebant, sed quo magis premebantur, eo majore nixu subsistebant. Aderat Donatus Comitis, salutem totius exercitus, dignitatem Principis, ac omnem statum in eorum manibus esse inculcans. At ubi paulatim plures fortissimi Genuensium de propinquis locis accurrerunt, ac de loco superiore vehementius urgere hostem cœperunt, tum demum in fugam versi ad quadraginta scuta perdiderunt: nec tamen eos nostri longius insequuti sunt. Nam equitum turmæ, quæ in plano aderant, prohibebant. Alia ex parte non tam cominus, quam tormentis & sagittis eminus pugnabatur. Cum citi ab Urbe nuntii, descendisse ab arcibus Carolum Adurnum, prælium cum Ibleto esse commissum, afferebant; mox deinde alius super alium Prospero nuntiat, rem in Urbe Carolum feliciter gessisse, Ibleti langueſcere copias, & præsidia domorum circa arcem locata jam expugnari. Itaque Robertus equitum aciem pedes descendere jussam, tectam armis omne corpus ad obices viarum disturbandos immittit. Ii magno impetu invecti, non saxis, non sagittis, non teloru omni genere, quibus more grandinis obruebantur, deterreri ab incœpto potuere; sed nixi armis, transversa ligna, trabesque oppositas dolabris, & romphæis convellentes disficiebant. At qui stationibus Genuenses præsidebant, alius alium hortari adesse, inniti, ciere cominus pugnam, jaculari eminus, non animo, non viribus deficere. Jamque de victoria duces hostium desperaverant, consultabantque inter se, quonam modo salvas in Galliam retro copias agerent, cum disjectis omnes Ibleti esse copias, ipsumque jam Urbe cessisse; captam quoque Portam Sancti Thomæ, ac in ipsam Civitatem patere aditum, certatim crebri nuntii afferebant. Tum posito metu, quod hostem quoque perterritum sensim montem petere cernebant: attamen in Prosperum conversi, quidquid ille suasisset, facturi videbantur. Prosper nihil cunctandum, fortunæ, ac victoriæ parendum affirmabat; viris militaribus non ignaris, quantum in rebus bellicis inconsulta festinatio periculi soleret afferre, non nisi explorato, & agmine compositò propius ad mœnia copias admovendas existimabatur. Nam introire tantam Urbem, quamvis magnum & instructum exercitum minime tutum, etiam si sponte recepti essent, videbatur.

Itaque Prosper in castra rediri jussos, ibi operiri, & curare corpora hortatur. Ipse cum omni suæ factionis turba, quæ inter eundum quoque, ut fit, ob favorem quamplurimum augebatur, apertam Portam ingressus, ad Palatium stipatus armis exultabundo incessit agmine. Resonabant omnia Adurnorum, Spinulorumque proclamationibus, nec in tanto plausu armatorum, aut in Urbe, aut in Castris vox ulla cujusquam fuit, quæ Mediolani Ducem nominaret. Id monuerant Præsides, quod ea vox invisa Popularibus officere multum rebus posse præsentibus credebatur. Potitus Urbe Prosper mox denuntiari per Præconem jubet, esse omnibus ad eam diem captorum armorum impunitatem, & coacto postridie Senatu, & compluribus primariorum Civium, literæ Principum recitatæ, quibus Genuensium Gubernatorem Prosperum constitutum esse significabatur. Sub his ipse pauca de manſuetudine Principis, matris, tutorumque disseruit; se vero missum, ut Urbem per omnes partes conservaret; falli autem vehementius, quisquis existimasset, contra naturam ipsius, contraque morem, institutumque Progenitorum, se ulli omnino Civi pericula, dispendiumve intentaturum, aut quicquam modò permissurum, quo Patriæ sibi carissimæ salus periclitaretur. Inde relatum est de præmio ducentium exercitum, quibus aureorum sex millia dare dono placuit, quod continentissime in recuperanda Principibus Civitate se se gessissent. Eam pecuniam mox redactam

Ma-

Digitized by Google

Magiſtratus ampliſſimæ poteſtatis, in locum prioris ejuſdem poteſtatis Magiſtratus, ita volente Proſpero, ſuffectus, intra triduum omnem numeravit, pleriſque Civium, qui longe graviora metuebant, haudquaquam illius largitionis jacturam abnuentibus.

Introierant Urbem Robertus, & duo patrui Galeatii Ducis, Ludovicus, Octavianuſque, ceteri quoque duces exercitus, longus ordo, inermes comitantibus, qui obviam honoris gratia ex Civitate præierant: veluti pompa quædam ab univerſo Populo ſpectati ſunt. Ii tamen omnes paulo poſt regreſſi in caſtra, non niſi paucis cum militibus, ac parvo comitatu, rei alicujus gratia poſtea Urbem adierunt, pauciſque interjectis diebus ad Savinionem Fliſcorum Caſtellum ſitum in Apennino copias admoverunt. Ibletus quamquam ceſſiſſet Urbe, neque admodum aut pecuniis, aut rebus aliis ad bellum neceſſariis abundaret, ingenti tamen animo ſubyeniendum, & pugnæ periculum faciendum ſtatuerat: nam pleraque juventus ab ora maritima, Civitati proxima, quæ in Lombardos arma ceperant, nondum depoſuerant. Ex iis collectâ multitudine, ſimulque montanos omnes in id certamen excitos trahens, ad quinque fere millium armatorum hominum Ibletus explevit agmen. Nec mora: in conſpectum Mediolanenſium ab Jugis, quibus Savinio cingitur, apparuit. Erat illi cum Geano conſtitutum, ut à Porcifera valle ruſticorum manus collecta, atque uno tempore, alio latere caſtra hoſtium adorirentur. Sed quo maximè tempore confligendum erat, cum Ibletus jam deturbatis aliquot montium præſidiis, in hoſtes non modico pavore conſternatos invectus, egregiè pugnam cieret: tum potiſſimum Johannes Baptiſta per colloquia pactiones agitabat. Itaque inter agendum doli peritiores duces immiſsâ per gyrum cohorte diſſimulando incautum circumvenere, atque in fugam dedere. Cujus moleſtiâ liberati omnes vires in Ibletum converterunt, ac primo impetum ejus valido veterano milite ſubnixi retuderunt. Mox cunctatim pugnantes, cum fortiſſimi atque promtiſſimi Ligurum vulnerati ex acie ſubtracti fuiſſent, fugere incompoſiti cœperunt (non enim ordine, ſive arte quadam inſtructi, ſed animo & viribus freti ad pugnam deſcenderant) tum in fugam verſi, non facilè, aut capi, aut cædi potuere: genus hominum perleve gravem armis hoſtem pedum pernicitate per loca impedita & aſpera fruſtrabatur. Spe ſubſidii ſublatâ Savinionis arx majori tormento conquaſſata, & pæne diruta Sfortianis traditur. Ex eo loco ad Montobium Caſtellum item Fliſcorum, paſſuum quinque millia diſtantem, ducere parabant, cum rem totam pace tranſigi, qui ſe ſe mediatores obtuleraut, poſſe renuntiarunt; & Robertus non modo pulcrum, ſed etiam utile ducebat, Ibletum, cujus tanta in his Populis gratia cerneretur, abductum Mediolanum tamquam captum oſtentare. Tradito igitur Montobio, cetera illi caſtella retinere permiſſum eſt. Et cum Roberto Fliſcus ad Principes venit, datâ etiam fide, ut redire ad ſuos non prohiberetur.

Mediolani rem jam tum omnem *Cichus Simoneta*, quo Principes duo Franciſcus, & Galeatius demortui antea, ſcribâ potiſſimùm uſi fuerant, in ſe unum converterat. Is enim pueri Principis tutelam Bonæ matri tributam, additis è Mediolanenſibus aliquot primoribus, eum quibus conſilia imperii communicaret, re

A tamen vera ſolus adminiſtrabat, ſarcinam non Cicho modò gravem homini novo, & è Brutiis oriundo, ſed cuicumque etiam indigenarum formidandam. Cum Franciſci Ducis filii quinque, Galeatii fratres, tam magno imperio puberes jam omnes, & armati imminerent, quorum inſidias cum aut metueret Cichus, aut caveret, *Donatum Comitis*, cujus ſupra mentionem fecimus, in arce Jovis captum ibi cuſtodiri jubet. Inde vulgatum eſt, ejus indicio patefactum eſſe conſilium, quo Robertus, Sfortia, Ludovicus, Octavianuſque rebus novandis inter ſe ſe conſcii conjurarant. Ea res ideo eſt viſa credibilior, quia ſtatim Robertus, & quos nominavimus, Sfortiani fratres, cum
B Donatum in vinculis retineri ſenſerunt, arma arripuere. Et juvenes quidem patrui Principis. Mox incœptum omiſere, commemorantibus, qui ſedandæ diſcordiæ ſe ſe obtulerant, quam gravi periculo non modò ipſos, ſed univerſam Domum, & opes Sfortianorum objicerent, quorum nondum ſatis inveteratum imperium recenti quoque odio interemti Galeatii, flagrarat. At Robertus inter conditiones majorem vim metuens, abducto ſecum Ibleto fugam rapit. Evaſerant jam Ticini Padique omnes cuſtodias, & ad fines ultimos pervenerant, cum agniti ſunt. Ibi retento Ibleto, Robertus per diſſimulationem eſt dimiſſus, cujus receptaculum Aſta Civitas poſtea fuit. Octa-
C vianus fratrum Sfortianorum minimus cum permovere Populum Mediolanenſem nequiviſſet, ut arma ſecum ſumeret, & Sfortia, & Ludovicus, Aſcaniuſque fratres jam ceſſiſſent (nam Philippum omnium ejuſmodi conſiliorum expertem habere voluerant) ad Adduæ fluminis ripas ſublimi vectus equo, nullis ſuorum comitantibus, curſu rapidiſſimo pervenit; & amni ipſe ſe committens, audaci nimium conſilio, dum nando inſidens equo vortices ſuperare, ac trajicere tam lati profundique fluminis voluiſſe diceretur, abſortus aquis eſt creditus: quamquam etiam fama fuerit, obtruncatum à cuſtodibus, qui fugientem retinebant, cum ſe ſe defenderet, non flumine, ſed ferro,
D periiſſe. Miſſis poſthac in exilium *Sfortia*, *Ludovico*, & *Aſcanio*, quibus certa loca Neapolis, Piſæ, Peruſia, promiſſis aureorum annuatim in ſingulos aliquot millibus, ſi manſiſſent in his locis, rebus Genuenſibus animos rurſum admoverunt.

Igitur duo millia peditum, equites quinquaginta, ducibus *Johanne Comite*, & *Johanne Pallavicino*, miſſi ſunt, quibus copiis *Johannes Ludovicus Fliſcus* expellendus erat, quem Ibleto fratre capto, & Mediolani in carcerem conjecto, quieſcere haudquaquam poſſe certum videbatur. Sed ille quamvis inopiâ ſummâ conflictatus, nihilominus hominum voluntate, à quibus incredibili conſtantia & amore juva-
E batur, innixus, animo non deficiebat; ſed obſeſſis montibus, qui viam ab Urbe peranguſto & difficili aditu ad ea, quæ tenebat, loca, imminent, eò adduxit hoſtes, ut navibus equitem peditemque tranſvehere ad Rapallum tutius viſum ſit. Ibi expoſitis in terram copiis, in ipſis ejus vici domibus circumquaque munimento vallatis ſtationes locaverunt. Nec multo poſt cum quibus montes inſidebat copiis, Johannes Ludovicus accurrit, & cum extra munitiones progreſſi ſtationes ejus Sfortiani adorti eſſent, de ſuperiori loco impetu facto, non ſine ſanguine & cæde plurimorum intra vicum repulit. Diebus quoque inſequutis

Digitized by Google

aliquot prœlia facta, quibus prœliis neutra pars fortunæ se commisit. Sed Fliscum necessariæ cujusque rei facultas omnis destituebat, usque adeo, ut ne cibos quidem parare iis, qui eum in acie sequerentur, diutius potuerit. Ad conditiones igitur Pacis qualescumque devenire compulsus est, & impetratâ veniâ populis, quos in arma ipse perpulerat, Castella, quæ tenebat, Turriculam, & Roccataliatam tradidit. Deinde, etsi stipendio, multisque ac magnis muneribus invitaretur Mediolani transferre domicilium, libertatem nihilominus inopem beatæ servituti prætulit.

In eo bello Prosper Adurnus Genuensium pro Mediolani Duce rem gerens, ita se habuit, ut juvasse Fliscum non modo consiliis occultis, & exhortationibus crederetur, sed agitari inter eos de collocanda Johanni Ludovico Prosperi adulta filia, palam homines loquebantur. Quæ res jam non modicam Mediolanensibus suspicionem injecit. Et quamquam Prosper ab hujusmodi affinitate temperasset (nam paulo post uxorem Johannes Ludovicus cepit Finarienſis Marchionis, ut vocant, sororem) tamen quod ea ex sorore neptis esset Prosperi, & connubii quoque ipsius auctor crederetur, nihilo secius ea suspicione non caruit, & amovere illum à Genua, vel vi etiam, si detrectaret imperium, cogitavere. Quæ causa credita est, cum sub idem tempus Thomasinus Fregosus trecentis militibus in Corsicam ab Thelamonis Portu trajecisset, non tam ejus conatus comprimendi, quam Prosperi coërcendi causa, ut duo mille milites raptim Genuam traducendos ad bellum Corsicum miserint. Ii, duce Ambrosino Lampugnano (quod Genuensibus deinde non placuit) navibus longis quatuor, quæ tum Civitatis sumtu erant armatæ, ac multis minoribus onerariis transvecti sunt, & quo die in terram Corsicam de navibus eos exposuere, nulla cunctatione facta, rapto agmine ad Beguliam properantes, ibi Thomasinum nihil tale opinantem oppressere. Qui etsi fugâ Corsorum, qui hostium adventu præcognito dilapsi erant, ac repentino incursu tot militum turbabatur, nihilominus sumtis armis in multas horas restitit. Begulia est Oppidum ut ut in Corsica celeberrimum, non tamen muro undequaque cinctum; nam alicubi domus ipsæ pro munimento sunt. Abest à mari ad passuum millia octo. Id Oppidum Thomasinus primo statim adventu occupaverat; & intentus conciliandis sibi Corsorum animis, principes eorum plerosque ad se revocaverat. Nam quod Matre Corsicana ortus esset, complures etiam eorum propinquitate contingebat, ob quam rem aptior erat Corsis, quibus ad novandas res ingenia promtissima sunt. Tum vero duodecimum jam annum, à Genuensibus Francisco Mediolanensium Duci, cum is esset Genuæ potitus, traditi; paucis exceptis Oppidis, quæ arcibus juncta tenebantur, vix umquam dicto audientes fuerant, aut tributa pensitaverant. Quinimmò inter se se discordibus Principibus, cum præsentem dominatum pro nihilo haberent, in mutuas rapinas cædesque proruperant prohibente nullo. Quippe qui à Mediolano Præsides mittebantur, arcibus inclusi rem tantum pecuniariam apud eos curabant, qui paruissent; reliqua negligebant. Cum igitur circumdatum coronâ Beguliæ Oppidum à Sfortianis oppugnaretur, & jam irrumperent veterani, Thomasinus abjecta spe se se dedidit, pactus, ut incolumis sibi abire liceret. Addidit pactioni Ambrosinus, ut Mediolanum profectus alloquendi Principis potestate data, si non conveniissent, ut ibi stipendio conductus esset, sui juris quò libitum foret discederet. Itaque navi longa impositus Genuam, atque inde Mediolanum perducitur, ibique mansit, uxore ac liberis à Verona paulo post accitis.

Ambrosinus receptâ Beguliâ ad interiores Corsos exercitum duxit, nec multum moratus placabilem, atque facilem redeuntibus ad imperium omnibus se se præstitit. Et post diem sextum decimum, quo in Corsicam venerat, non satis compositis rebus, extortâ tantum tributi parte, quam metu graviorum, ad quos ierat, populi conferebant, in continentem navibus iisdem fere revertitur, quibus trajecerat. Acciderant multa apud Genuenses in his motibus, quos memoravimus, quæ longa pace sopitas, atque hebetes jam factiones conciverant, dum metu sublato quisque ex libidine animi aut veteres injurias ulcisci parat; aut sine modo potentia & fastu indebiliores ingruit. Et non in Civitate tantum, sed multo etiam magis per vicos villasque insolentius agentes, magnopere inter se vexabantur; in Orientali præsertim ora, ubi semper impudentius ejusmodi contentiones agitantur, armatæ sunt publico sumtu Triremes quatuor, ut ab incursione Piratarum minoribus navibus præsidio forent. Ex his duæ non satis perito Præfecto attributæ apud Antipolim in statione à Catalanorum Triremibus obsessæ, & paulo post non minus insciti gubernantium, quàm proditione Antipolanorum captæ, atque abductæ sunt. Ceterum fautores quicumque assectæ Fliscorum Domus putabantur, ubique sine modo premebantur. Nam postquam ad Rapallum, uti diximus, cum Johanne Ludovico de pace convenerant, redeuntibus Genuam militibus, Rechum frequentem habitaculis vicum magna ex parte diripuerunt. Et quod Joannes Scipioni scriba Clavarum petens paulo ante spoliatus propè Oppidum fuerat, damnum illud trecentis aureis æstimatum, à tribus Populis in solidum sibi præstari voluit; conjectisque in carcerem ex his locis aliquot locupletioribus, non ante eos dimisit, quàm redactam magnis usuris pecuniam persolvissent. Præterea cum nuntiatum esset, apud Moneliam maritimum vicum, ubi Fliscorum complures amici, & honesti sanè, ut inter ejusmodi Populos, viri habitant, cædem quamdam perpetratam fuisse, Julianus Magnemus è familia Francorum tunc præpositus Clavaro, cum militibus quingentis missus eò est, cujus adventu perturbatis Monelienſibus, cum alii arma capienda, nec committendum, ut prædæ militibus forent, alii quid agerent incerti magnopere trepidarent, misêre tamen, qui Juliano nuntiarent, esse ipsos in officio, nec vi ulla, nec armis opus esse; summoveret armatorum cohortem; ipsos comprehendere noxios, & quæcumque jussi essent facere, paratos esse. Præmiserat ille unum è suis, qui jactos in se lapides in illa consternatione renuntiaverat; & mulier quædam fortè de fenestra in illo tumultu lymphata nescio quid fragmenti testacei projecerat. Ex eo Julianus ira fervens cohortem ad prædam vici non sanè inopis rapuit. Facinus quidem multos ante annos inauditum; non in bellis Genuensium, quæ semper aut Civilia sunt, aut Civilibus simillima, minus à sanguine quàm à direptionibus abstinetur: quo magis indignum visum est sine causa ob id tan-

tantùm, quod Monelienſes plerique partibus Fliſcorum obnoxii ſunt, ac eos in montibus Civitatis, quos prædiximus, in primis ſequuti erant, ductu Civis Genuenſis expoſitos militi peregrino in prædam fuiſſe. Nec id etiam eſt ſatis viſum; nam aureorum duorum millium mulctam in eos edixere: cujus rei cauſa complures ipſorum in vinculis retinuerunt. Quæ ut erant gravia, ita ab iis, qui ea perpetiebantur, graviſſimè ferebantur. Et quamquam à Senatu (nec deerat etiam Proſper Gubernator) omni conatu Monelienſes juvarentur, ne mulctam irrogatam perſolverent: fiebat nihilominus avaritiâ Mediolanenſium, contemtuque noſtro, ut Senatus opera preceſve plus nocere Monelienſibus, quàm ſublevare illos viderentur. Quamobrem quidam eorum uſque ad mutationem rerum, quæ ſequuta eſt, nunc vadibus datis carcerem egreſſi, & permiſſa domos adeundi facultate, ut pecunias conquirerent, nunc rurſum vinculis adſtricti iis nexibus impliciti perſtitere.

Duabus Triremibus apud Antipolim Præfecti adoleſcentis imperitia ignominioſius amiſſis, Magiſtratus amplioris poteſtatis in ſequentis anni principio (id quoque de Mediolano jubebatur) triremes armandas ſex decernit. His præficitur *Ludovicus Riparolius* opifex ſericorum. Triremes per ordines Civibus attributæ. Nobiles *Benedictus Spinula*, *Gregorius Centurio*, *Johannes Baptiſta Calvus fuere*. Plebeji *Franciſcus Montaldus*, *Andreas Albarius*, *Franciſcus Mainericus*. Ea claſſe Aprilis menſe educta ſecundo die quàm ſolverat, aliquot triremes, biremeſque hoſtium ex his, quæ ſuperiori anno duas Dominii noſtri ab Antipoli abduxerant, ſupra Monici Portum obvias habuere; nec hæ tamen, quod erant numero inferiores, fortunam certaminis tentare auſæ ſunt; ſed curſu diverſo fugientes, inſequentes etiam noſtros diviſerunt. Aliæ ſiquidem in Orientem converſæ hoſtilem unam velo remoque inſequutæ, cum venti beneficio in altum longius evectæ, illam ſpe atque animo jam tenerent, antennâ unius noſtrarum fractâ, præcipitatiſque armamentis, dum Genuenſes colligunt fuſa vela, atque ſeſe explicant, ſpatium fugiendi hoſtibus datum eſt. Quæ vero litus Occidentale tenuere, biremem unam, vacuam tamen, temere, cum terræ impactam diſperato effugio nautæ, ſociique navales deſeruiſſent. Claſſe mox in unum coacta Ludovicus in Corſicam, atque deinde in Sardiniam trajecit, & eam Inſulam totam circumvectus, quod hoſtes procul dubio in Siciliam profugiſſe ſuſpicabatur, ad Drepanum quoque Lilibæumque traſmittit. Ubi cum nullas hoſtium naves offendiſſet, nondum emerito ſtipendiorum toto, ſecundo menſe Genuam rediit; cum jam correptis armis, & concitatâ plebe, Proſper Mediolani Ducis præſidium, novumque è Mediolano miſſum Præſidem in arces compuliſſet. Nam ubi ſe ſe vehementer Principibus ſuſpectum eſſe ſenſit, ac inſidiis undique, ut ab Urbis amoveretur Prætura, circumveniri, occulta cum Rege Ferdinando conſilia in perniciem Status Mediolanenſium cœpit agitare. Nec defuit illi ad tam magnæ rei conatum pronus jam in bellum ipſius Regis animus, cum jam tum in Florentinos tota mole collectarum per tot annos longa pace virium vinctus Summo Pontifici ſocietatis fœdere, ſibi adſtrueret invadendi atque opprimendi facultatem, iratus, ut creditur, quod Florentini ſe ſpreto, atque Pontifice, Venetorum, atque Mediolanenſium ſocietatem potiorem habuiſſent. Sed primo dolus per ſimulationem intendebatur, nec apparatus armorum ulli monſtrabantur. Florentina Civitas magnifica ſanè, atque ampliſſima, ſed libertatis ſpecie ab uno *Laurentio Medices*, opibus ſimul immodicis, & gratiâ inter ſuos potentiſſimo, tenebatur. Hîc hujuſmodi potentiæ à parentibus acceptæ poſſeſſione cum Juliano minore fratre, elato quidem animo, quamquam juvenis, Rempublicam adminiſtrabat; & eò jam magnitudinis creverat, ut in Italia majoribus etiam Principibus non multo haberetur inferior, habitu quidem convictuque domeſtico haud multum à Civibus differens. Ceterum ingens nomen inter ſuos pariter, atque externos; innumeri clientes; agrorum, pecorum, pecuniarum latiſſimæ poſſeſſiones; ac modus incredibilis; & omnia illi erant privatam menſuram modumque excedentia. Jam vero Regum, majorumque Principum contumacem licentiam adverſus Romanam Eccleſiam ſequebatur, de juribus Pontificis niſi quod ei videretur, nihil permittens. Habere apud Principes aſſiduas legationes, & non conſervando modò, ſed & augendo Florentinorum imperio, quod totum in ſe verterat, plurimum curæ intendere, nec minus per factionem è Civibus quos vellet extollens, ſimul ac deprimens, neminem infeſtum ſibi in Civitate manere patiebatur. Inter quos creditus eſt Paciorum familiam, æmulam mercaturis & negotiatione, per Magiſtratum, quem è fidiſſimis, ſe quoque in iis corrogato, cum poteſtate creari ipſe curaverat, exilio ſummovere è Patria voluiſſe. Hæc vero ii cum reſciviſſent, re, ut ferebatur, cum Ferdinando communicata, in caput Laurentii inſidias contra paravere. Rem totam Romæ compoſitam fuiſſe, creditum eſt. Nam hujuſmodi conſiliorum *Hieronymus Riarius* Summi Pontificis rerum omnium arbitrer & procurator, particeps ferebatur.

Erat eo tempore in Urbe Florentina *Raphaël Cardinalis* in Collegium nuper cooptatus; ad hunc à Roma profectus erat Franciſcus Pacius; conſcios vero facinoris multos, ſed in primis *Franciſcum Salviatum* Piſanum Antiſtitem habuere. Aggreſſuri Laurentium fuerant domi ſuæ, cum ad ſolemnes epulas Cardinalem invitaſſet, quod ibi arbitrabantur inter apparatus ferculorum in unam eam rem intentos ambos fratres facile opprimi poſſe. Sed viſus mane Julianus, & à Franciſco Pacio compellatus, cum ſe foris epulaturum, & Laurentio fratri de Cardinale curam delegaturum affirmaſſet, totum repente invadendi conſilium mutare compulit. Nam quæ domi paratæ erant, in Templum ſunt inſidiæ mox translatæ. Ibi Cardinalis, & Medices uterque Sacris de more præſentes erant. Parumper hæſitatum eſt, cum obtruncando Laurentio miles delectus, ac multa emtus mercede, negaret ſe ſe in loco ſacro cædem ullam perpetraturum; deinde alio negotium ſuſcipiente, qui familiarior, utpote Sacerdos, & ob id minus ſacrorum locorum metuens. Nihilominus ubi ad facinus acceſſit, non ſuffecit animo. Inconſtanter enim vibrato in caput Laurentii gladio ſummum ejus humerum leviter ſauciavit. Qui verò Julianum fratrem alterum adortus eſt, rem fortius peregit; nam pluribus confectum vulneribus, antequam accurreretur, exanimavit. Laurentius, excitato in ipſo Templo ob tam horren-

dum facinus tumultu, paxumper dilapsus, unico levi vulnere accepto, in sacrarium evasit; ibique obseratâ januâ tamdiu defensus est, quoad commotâ omni Civitate percussores diffugerunt. Pisanus Archiepiscopus invadendi Palatii partes sumserat; eo cum stipatus armis venisset, in ipsis scalis, quibus gradibus multis ascenditur, lictorum aliqui obstiterunt. Ex eo sublatis clamoribus janua, per quam hactenus patuisset aditus ad Vexilliferum Prioresque, obserata est; & pro se quisque Priorum magnis vocibus de fenestris auxilia Popularium implorabat. Jamque concursus cognitâ novitate ad Palatium fiebat; jam per totam Urbem omnia pavore trepidationibusque plena erant. Cæsum Julianum; Laurentium quoque vulneratum, ut conjiciebatur, ex ferro venenato, & haud dubie periturum; non nisi majoribus opibus, vique externa fultos tantum facinus percussores ausuros fuisse. Adesse Cardinalem, & affuturam quoque mox equitum manum peditumque, & alias Pontificis, Regiasque copias, quæ clam in auxilium Paciorum missæ fuissent. Nec minus juniores aliquot è nobilissimis, Laurentio, domuique Mediees ingentibus meritis obnoxii, propriis ex ædibus confestim re cognita prosiluere, quorum vox atque auctoritas è plebe complures eorum lateribus se se glomerantes in unum contraxit. Eorum tamen plus initio voces, quam manus Pilas clamando, idest Laurentii Insigne præcipuum, operabantur. Ii demum cunctum Populum in vindictam non tam Laurentii, quàm Magistratus supremi intra Palatium perculere. Captus ipse Archiepiscopus, & mox de fenestra Prætorii, nihil ejus sacerrimam dignitatem veritis Prioribus, laqueo gutturi inserto pependit. Addidere etiam hujusmodi fœditati non solum famulos ejus, appendicemque turbam, sed etiam multos religione ac honestate viros clarissimos. Immo & parum abfuit, quin Cardinalem ipsum abstractum per publicum, truculentissimeque raptum in Prætorium, simili pœna afficerent. Prohibuere seniores, dum metuunt ob unius Romani Principis injuriam totius orbis Dominos tantâ in se se absurditate commovere. Certè illius familiam fere omnem partim trucidatam, partim laqueis necatam absumsere; ipsum in vincula conjectum indignissimè habuere. Franciscus, in Templo cæde perpetratâ, domum tamquam re confecta se contulerat, ibique eventum expectabat Salviati, quem ad occupandum Prætorium profectum sciebat; eo enim capto ipsum quoque paulo post ad similem pœnam immissi lictores comprehensum rapiebant, nisi illum quispiam miseratus viri casum confodisset. Quamquam ludibrio interemtum non exemerit, quippe miserandis modis per pedes circumquaque tractum, mutilatumque cadaver imbellis multitudo infamisque (tantum apud ejusmodi crudelitas valet) multis horis in gratiam potentis unius raptavere. Quibus cognitis Jacobus Pacius vir jam provectæ ætatis, ac multa dignitate conspicuus, qui Portam Urbis dato ordine præoccupaverat, in agrum proximum profugit, ubi quoque non multo post comprehensus, & impositus equo, constrictusque vinculis, in Ulmaria Scala tamquam vilissimum corpus exutum propriis vestibus, obtectumque obsoletioribus, in Urbem reportatus est, atque etiam strangulatus. Nec defuere mortuo indigna ludibria, & gentis totius Paciæ liberi omnes pariter, ac mulieres in vincula conjectæ sunt, domusque direptæ, ac publicata bona; certumque erat; multos innoxios crudeli atque indignissima morte fuisse damnatos.

His rebus Romæ cognitis ingens cura Pontificem de salute Raphaëlis Cardinalis incessit. Erat autem Hieronymi Riarii, cujus mentionem fecimus superius, quemque unice diligebat, ex sorore nepos. Itaque nuntios cum literis, & mox deinde Legatum Florentiam mittit, à quo Florentini quam gravi crimine tenerentur, quod tot viros Sacerdotiis præditos tam ignominiose necavissent, edocerentur; eam noxam confitentibus posse quidem remitti; sed Cardinalis vexationem, in quem manus violentas injecissent, multâ & magnâ satisfactione expiari oportere; quem nisi statim solutum Romam dimitterent, diræ forent execrationis promulgatione comprimendi. Huic denuntiationi ausi quidem illi sunt respondere, à se profecto in homines nefarios mitius multo quam oportebat vindicatum, & id potissimum in Cardinali apparere, qui omnium conscius, ac minister, adhuc tamen viveret; nec verò tam se de illo dimittendo, quàm puniendo, cogitare; proinde caussam noxiorum Pontifex agere desineret, ne se se immiscendo tam atrocibus factis justam præberet ejus rei quoque se conscio perpetratæ suspicionem. Ipsos autem, quod è Republica sua fore putavissent, nullius habita ratione, prosequuturos. Quod Julianus truculentissimè trucidatus in Templo, dum paratus in obsequium Cardinalis honores exhiberet Romanæ Sedi, atque adeo cum fratre sedulò divino muneri interesset; Laurentius verò pro mortuo relictus esset, neminem queri; sed tanta impietatis auctores dignâ pœnâ mulctatos, id vero majorem in modum videri prosequendum. Cum hoc responso Legatus dimissus omnem moram promulgandæ in Laurentium Prioresque ab ipso summo Pontifice execrationis, cujus nihilominus ex lege tamquam violatores Cardinalis tenebantur, exemit: quo fulmine icti ipsi, fautoresque, ut postea Deo non adversante narrabimus, magis calamitatibus involuti sunt.

Oblatâ igitur occasione Ferdinandus rei Genuensis in Mediolani Ducem commovendæ, cujus ope Florentini additis Venetis auxiliis maximè ex fœdere nitebantur pecuniam duabus Triremibus Prospero mittit. Nec Mediolanensibus clam erat, inter Prosperum, atque Regem versari occulta consilia; & cum placuisset demum, vel tergiversantem quoquo modo ex Urbe depellere, *Comensem Episcopum* Genuam propere miserunt sine denuntiatione, sine comitatu, adeo ignaris omnibus, præterquam qui eorum consiliis utebantur, cum noctu veste quoque mutata Urbem introisset, ut vocari Senatum ab eo ad Sanctum Syrum sub arce, quò diverterat, & ob eam caussam tumultuari cum plebe Prosperum prius cognitum sit, quam quidquam de ejus adventu sentiretur. Venere ad eum multi Cives ex primoribus, plerique tamen nobiles, quibus literas Principis se se Genuensium Præsidem, amoto Prospero, declarantes recitari jussit. Fuere, qui censerent, rectâ ad Palatium novum Præsidem, comitantibus qui tum aderant Civibus, deducendum; nam Prosperum cessurum auctoritate, ac nihil ausurum, si consentientium voluntatem Civium perspexisset. Alii verò parum id quidem tutum, nisi se se præ-

præſidio armorum muniiſſent; cohortes quidem Prætorias in ſubſidium deducendas, quæ in arcibus egregiè paratæ eſſent, additis uniuſcujuſque Optimatis evocatis, atque aſſeclis, Auriorum potiſſimum, qui Adurnæ factionis adverſarii Proſperum procul dubio odiſſent. Differre igitur rem placuit, ut interim per Civitatem circummitterentur, qui plebis animos ad arma ſumenda contra Proſperum perterritarent, à quibus cognitum eſt, vix quemquam unum repertum fuiſſe, cui novitas ipſa non placeret; quippe multos blande appellatos etiam ex adverſariis, Proſper ad libertatem capeſſendam cohortatus (ut eſt vulgi ſtudere novis rebus) in ſuam ſententiam traduxerat. Concitato omni Populo cum jam globi armatorum circumquaque per Civitatem vagarentur, creati ſunt ſex viri. Opifices, Mercatoreſque ſumſere penes hos Reipublicæ curam. Cum Proſpero ſimul fuit, qui Gubernatoris appellationem ex Ducali in Genuenſem commutatam retinuerat.

Inter hæc non diſſimulante nobilitate, quæ agerentur ſibi non placere, cum præſertim eorum nemo vocaretur, præter quam ad conſilia decernendarum pecuniarum, in ſuſpicionem cuncti demum tamquam fautores Mediolanenſium devenerunt. Juſſi ſunt autem ex Auriorum Familia primores mox ab Urbe in eorum villas proximas excedere. Inde cum naves duæ ante Civitatem ſtarent in anchoris, quarum una quoque conducta erat ad Carlottam Reginam in Cyprum adverſus Venetos deferendam, qui paternum Regnum ejus extortum per injuriam poſſidebant, cohortæ ſuſpicio eſt, tamquam naves ipſæ molituræ forent aliquid, ex quo præſens poteſtas minueretur. Itaque in naves alias præſidia Popularium locata ſunt; ac trahentibus remulco triremibus Regiis, quæ jam tum aderant, Aurianæ naves duæ redactæ in poteſtatem, atque ab incœpta jam fuga reductæ ſunt. At milites arcium præoccupatis domibus, quæ ante Templum Divi Syri inſulam efficiunt, quotidie proximis locis diſcurrebant, totamque eam regionem uſque ad forum Mercatorium armis tormentiſque infeſtam, deſertamque reddiderant. Itaque cum bellum valde periculoſum, funeſtumque in ipſis Urbis viſceribus gereretur, ex quo Civitatis ſalus in diſcrimen verti neceſſario cerneretur, adacti ſunt cives aliquot mercatores populares, qui ſoliti eſſent ab hujuſmodi novitatibus temperare, Reipublicæ curam ob metum exitii ſuſcipere. His hortantibus, quatuor ejuſdem ordinis ſupremo Magiſtratui, qui ex Pacificatoribus jam Capitanei Libertatis vocabantur, additur, fuitque par numerus plebejorum Opificum, atque Mercatorum in dignitate primi Magiſtratus. Nec dubium erat, à Mediolano vim atque arma promovenda eſſe: contra quæ omnem cogitationem hic ſupremus Magiſtratus ſibi dirigendam putavit. Itaque ad *Robertum Sanſeverinatem*, quem Mediolano expulſum degere apud Aſtam Civitatem diximus, *Antonium Cocium Genuenſem*, familiarem ejus viri miſerunt, à quo non multâ pecuniâ conductus Genuam parva manu, quam cuſtodiæ gratia retinuerat, maximâ de ſe famâ præeunte, pervenit: Duxque belli ejus creatus, mox eam inſulam, quam tenere arcis milites ante Templum Sancti Syri prædiximus, impetu facto expugnavit, certante plebe, quod Civitas ab his domibus ſemiobſeſſa teneretur. Quinimmo

A

B

C

D

E

& fores primo Templi, deinde Templum ipſum ex magna parte injecto igne crematum eſt, ac fœdatum cædibus mutuis, in quas omni occaſione utrinque ruebatur. Sed ab alia quoque parte Urbis ſub arce minore in regione Spinulorum plurimas domos externi milites occupaverant, in quas ab arcibus ipſis deſcenſus erat. Expugnare autem eas Robertus tam fruſtra adortus eſt, quam antea fuerant ab aliis oppugnatæ. Data tantum eſt occaſio tormenta etiam majora in vicinas ædes dirigendi, quas noſtri tenerent; è quibus quam plurimas ignibus, ceteras ruinis disjecerunt. In quod cladis genus utrinque certabatur, cum Populares odio Spinulorum, quorum aliqui obſtinata fide rem Mediolanenſem amplexi etiam in initio ad arces ſe contulerant: quod hoſtes eorum conſiliis uti diceretur, tamquam in proditores Patriæ ſæviendum exiſtimarent; & externi utcumque fœdata ruinis Urbe, atque incendio, rem ipſam in gloriam ſibi ceſſuram, vel retentâ, vel amiſsâ Civitate, exiſtimabant. Regiæ Triremes VII. milites non multos primum, & *Ludovicum Fregoſum*, qui Principatum Genuenſium bis adeptus fuerat; deinde cum jam in Etruria bellum magno certamine gereretur, creſcentibus cum ambitione curis, auxilia identidem, atque inſtrumenta omnia bellorum convexere. Nam *Alfonſum* Ferdinandus primogenitum, & ſuos quoque duces Sixtus Pontifex in agrum Senenſium, qui belli ejus ſocietatem ob odium Florentinorum capeſſerant, cum magnis equitum copiis peditumque præmiſerant, quibus jam Caſtellinam oppugnabant; ſatiſque ad rationem belli, quod gerebatur, collatum exiſtimabatur, ſi Genuenſibus rebus implicati Mediolanenſes Florentinis ſubſidia ſaltem per otia non ſubminiſtrarent. Quin & à Pontifice Genuam miſſus eſt Legatus vir Hiſpanus, & Epiſcopus, qui Populum Genuenſem ad retinendam libertatem, quam ſemel uſurpaſſet, hortaretur. At ingentes jam copiæ à Mediolano moverant. Equitum electiſſimorum turmas, ad viginti octo millia peditum, gravem armis militem, uſuque bellorum exercitatum; præterea levis armaturæ ad ſex millia contraxerant. In iis numerabantur, qui partium ſtudio Genuenſes quoſdam partim ſpe, atque promiſſis adductos, partim neceſſitate coactos ad ferenda arma contra patriam ſequerentur. Robertus ubi propinquare tanti exercitus ſenſit adventum, montes, qui ſupra Urbem imminent, petit; non ignarus anno ſuperiore cum ipſe copias Mediolanenſium duceret, maximi terroris anguſtias regionis hujuſce ſibi cauſam dediſſe.

Sed jam operæ pretium eſt, quo noſtra ſit narratio magis perſpicua, pauca de ſitu Liguriæ ſtrictimque repetere, quæ tota fere quemadmodum Scriptores antiqui tradiderunt, in Apennino ſita eſt. Hic mons omnium longè montium nobiliſſimus, non procul à Nicea Civitate à radicibus maritimarum Alpium exoriens, Liguſticum propter littus uſque ad Maoram flumen, & Liguriæ terminos in meridiem ſinuatus, Togatæ Galliæ latera ad Septentrionem excludit. Inde introrſum recedens, ac rurſum directus totam Italiæ longitudinem perpetuo dorſo percurrit; interque ſuperum inferumque Mare pæne medius, hinc maritimos Ligures anguſtiſſimo tramite, agrumque Lunenſem jam patentius, poſt Tuſcos, Umbros, Latinos, Campanos, Brutios; illinc

Ciſpa-

Digitized by Google

Ciſpadanæ Galliæ planitiem Æmiliam, Flaminiam, Picentes, Pelignos, Apulos, Salentinos, & reliquam Brutiorum partem tractu ſuo ſecernit. Sed ea nihil ad præſentem deſcriptionem. Ad Ligures, quæ noſtra materia eſt, redeatur. Ipſa Regio in meridiem verſa, per quam latum ſinum efficit Urbs Genua, in ſinus hujus intimo receſſu locata, Liguribus, qui ab Apennini jugis mare verſus incolunt, cunctis pæne imperat: Regio tota montana, & aſpera. Genus hominum inops, durum, velox, prædæ avidum. A dextera ſunt nobiles Populi, Savonenſes, Albingauni, Albintimilii; Orientalis ora quamquam cultiſſima eſt, vicis tamen magis, quam muro cinctis Oppidis habitatur. Sed vici ipſi inſtar Oppidorum populos habent, moribuſque, atque humanitate præſtantes. Apennini juga ipſa à Genua non plus quam millibus paſſuum duodecim abſunt. Hinc ad mare uſque dorſum pertingens, à dextra Porciferam Vallem amnemque à ſiniſtra Feriorem, quam Biſamnem appellamus, inter duos torrentes, valleſque duas eminens erigitur. Ubi verò ſupra Urbem proximè acceſſit, in duo velut ſcinditur cornua, dextrum multò protenſius extra muros in mare procurrit, Promontorium re ſimul efficiens, & nomine, in cujus extremo Turris prælta nocturno lumine Genuenſem Portum navigantibus oſtendit. Siniſtrum cornu multo brevius, humidiuſque intra Urbem muro cinctam Carignanum appellatur, fundus, ut puto, carigii alicujus antiquitus, quemadmodum & Cornelianum à Cornelio denominatum eſt. Nam Carinianum etiam nunc in tanta celebritate Urbis vinetis totum, arboribuſque fructiferis undequaque conſitum, ſuburbanis ædibus æſtate tantum habitatur. Arces duæ Civitatis muro conjunctæ (Caſtelletum majorem, minorem Luculum vocant) à tergo eriguntur. In colle deinde, qui altiſſimus ſupereminet, arx alia locata eſt. Moxque item erat alia, quibus per ipſos montes admota vis aut arceretur, aut admitti ad urbanarum arcium ſubſidia poſſet. Tendenti hinc ad Apenninum duo colles, quos Fratres-geminos ab ipſa ſimilitudine vocant, ſubeundi ſunt. Nam ponè hos via eſt anguſta ſanè, & è qua ſi modò paululum deorſum deflexeris, declivia & abrupta maximè loca excipiunt. Non multum progreſſis latior parumper ſe ſe locus expandit, in cujus extremo rurſum modicus collis exſurgens Caſtellum quondam habuit, quo locus ipſe totus egregiè claudebatur. Hinc deſcenſus uſque ad teli jactum à dextra præruptus valde; à ſiniſtra mollior eſt. Inde rurſum mons attollitur aliis atque aliis collibus, donec ad ipſa juga pervenias. Ex omni autem maritima Liguria in Ciſpadanam Galliam aditus ſunt per Apennini juga valleſque circumjectas anguſti, & perquam difficiles.

Robertus, ubi illud Promontorium, quod diximus dextrum latus Urbis claudere, quàm commodum viſum eſt, munitionibus, Caſtelliſque ab irruptione tutum reddiderat; ligna multa, & aſſeres ſupra montem, & ad eum collem, in quo Caſtellum olim fuerat, comportari jubet, locumque ipſum obductâ foſsâ, diſpoſitiſque tormentis circummunit. Ex eo deinde loco ad geminos-Fratres retro ubi patere magis aditum ſupra diximus, maceriem latam pedes ternos, altam quinos, ſuppeditante ſaxoſo monte materiam, per paſſus quadringentos ſtatim ducit. Ibi ponè caſtra locat, excepturus hoſtem, ſi irruat, de quodam veluti vallo pugnaturus. Metuebatur tamen, & urbanis rebus periculum minabatur, ſi vitatis hujuſmodi munitionibus hoſtes in ſiniſtram ad alveum Feriorem ſe ſe demitterent, atque inde per mediam Vallem cum equitatu vadentes ad ipſam Urbem, & ad arcem minorem penetrarent. Cui rei à Roberto mirabili quoque ſolertiâ proviſum eſt. Nam totum alveum torrentis ex tranſverſo latiſſima macerie, atque prælta ſepit, additis pinnis ac propugnaculis, è quibus non ſecus quam de quodam oppidi muro pugnaret. Erant in caſtris noſtris quingenti pedites externi, quos Triremes ab Neapoli advexerant; trecentos ſecum *Auguſtinus Fregoſus* paulo ante magnâ famâ perduxerat; reliquæ turmæ omnes præter equites ſagittarios ad viginti, ceteramque Roberti familiam (centum ii pedites ferè erant) de plebe urbana, deque proximis Urbi vicis omnes fuerunt. Sed nulla Civitas tantam armatorum copiam de ſuo populo in aciem eduxerit, quamquam togæ omnes plurimùm, & minimùm militiæ intenti ſint. Ceterum prioribus motibus, & cum metus inerat Galeacii Ducis, ſi modò pecuniæ facultas affuiſſet, quibus arma domi non erant, omnes coëmta ſibi paraverant. *Johannes Ludovicus Fliſcus* anno ſuperiore pulſus apud Antipolim, circumque ea loca fuerat, qui ut inopiâ magis magiſque in dies premebatur, per agitatas tamdem multo tempore conditiones inter eum, atque Mediolani Principem, conventum eſt, ut acceptâ modicâ pecuniâ Carpum agri Regini Caſtellum proficiſceretur, ibique ſe ſiſteret: profecturus poſtridie nuntium de novitate Genuenſi acceperat. Quamobrem parvâ vectus naviculâ prope Urbem ad quartum lapidem venit. Miſſi ſunt ad eum aliquot ex Præſidibus, à quibus non magnopere rogandus fuit, ut cum ceteris civibus Patriæ liberandæ navaret operam. Nam & paulo ante *Matthæus Fliſcus* ingenti alacritate populi receptus quoque fuerat: quorum adventu ſuſceptum bellum adverſus Mediolanenſes pervehementiores multo vires ſumſit. Nam ii totâ orâ Orientali excitâ, montaniſque additis, magnum numerum armatorum circa ſe habebant; aderantque ipſi ad omne periculum parati animis, promtique. Itaque altioribus montibus ad locum, quem Recluſum vocant, ſtatio *Johanni Ludovico* delegata eſt, ut exinde adventantes hoſtes de ſuperiori loco terreret. Jam enim Buſalam cum peditatu equitatuque pervenerant, iterque habebant per montem, uti Robertus exiſtimaverat; juſſuque Roberti Johannes Ludovicus ad munitiones copias reducens, cum proxime jam cohortes hoſtium cornerentur, ab imperitis tumultuari cœptum eſt, & jam in veſperam inclinabat dies. Reque illa animadverſa Lombardi urgere incompoſitos, & effuſè abeuntes cepere: quod ubi præter ſpem accidit, nulla mora interpoſita eſt, quin omnes curſu citato ad ſuos refugerent. Aliquot autem obſtinatius adversùs impetum hoſtium fruſtra conatos vis eorum deſuper ingruens oppreſſit. Qua re in Urbe nuntiatâ, hominum mentes formido ingens & pavor invaſit, tamquam præſagium id futuri certaminis, ac præjudicium de rei ſumma reputantium. Præſides verò, qui res urbanas cum Proſpero curabant, cohortati omnes factionum principes, pecuniam ſingulis diſtribuerant. Horum plerique erant cum Roberto; cereri

verò

Digitized by Google

verò per Vallem Porciferæ locis opportunis occupatis ſtationes habebant; ſed itinere hoſtium cognito, omnes uno tempore ad Robertum, ubi certamen futurum erat, ſe contulerant. Ibi verò cura fuit Magiſtratuum, ut vinum, & aqua, utque panis copia affatim ſuppeteret, ne ciborum petendorum, ſitiſve cauſa digredi armatos oporteret, quorum initio non admodum magnus numerus convenerat; quippe plebis urbanæ præter eos, qui principes ſequebantur, pauci adhuc montes petierant. At ſive Roberti, ſive alterius cujuſpiam inventio fuerit, & ſeu veræ, ſeu confictæ fuerint, neutrum cur affirmem ſatis habeo; peropportunè tamen ad commovendam plebem recitatæ ſunt in area Palatii literæ circum miſſis ante præconibus, qui juberent omnes ad eam concionem convenire: epiſtola videbatur Ducis Mediolani ad Comenſem Epiſcopum data, qua certior fieret, copias ingentes ad liberandas ab obſidione arces, coërcendoſque Genuenſes à ſe miſſas eſſe: neque enim poſthac pati oportere, ut toties rebellis Populus impune toties ad arma ſumenda proruperit. Conſtitutum etenim eſſe, ut quemadmodum ceteræ Civitates Lombardiæ, Genuenſis quoque Civitas, & omnis ager ſub imperii ſui jugo redigerentur; quoque milites alacrius rem ipſam præſtarent, omnem Genuenſium cum mulieribus prædam illorum eſſe juſſiſſe. Id ipſum autem & militibus arcium ediceretur, ut ſcirent obſidionis mala ſine maximis præmiis ſe non perpeſſuros: tribus enim diebus liberam diripiendi facultatem habituros. Hæ autem literæ monſtrabantur, & qui recitabat è ſuggeſtu, manum ſe ſe Scribæ, qui ſubſcripſiſſet, ac ſignum Ducis probè noſſe conſtantiſſimè confirmabat; nec alioquin ad recitandum falſas literas adducendum ſe fuiſſe, cum ob profeſſionem (erat enim Prædicator) falſi quicquam enuntiare prohiberetur. Adjiciebat etiam, paucos dies ante literas illas interceptas hoc potiſſimum tempore recitari placuiſſe, ut ſcirent omnes, cujus diſcriminis fortunam poſterum diem cunctorum vitæ, uxoribus, liberis, allaturum fore, ſi (quod averteret Deus) victores in Urbem hoſtes introiſſent. Convenire cum literis voces, quæ crebro ab arcibus, ut fit, jactatæ exaudiebantur, voluntates etiam eorum manifeſtè cognoſci, quod noctu atque interdiu per hos dies à jactibus tormentorum non ceſſaſſent, quorum inſaniâ excuſſa in aëra ſublimem ſaxa plurimas domos ruinis opplebant. Proinde ad curanda abirent corpora, ut cum ſigna exeundi ſtrepitibus æris à templis accepiſſent, bene juvante divino Numine, quod hanc Urbem ſæpe ab ingentibus periculis liberaſſet, armati prodirent ad munitiones Roberti tanti Ducis, qui mirabilibus operibus præſtitiſſet, ut niſi cum pernicie quamvis magnus exercitus introire anguſtias locorum non poſſet.

Cum hoc ſtimulo dimiſſa concio per totam Urbem auditam rem diſſeminavit; ex eo tanta hominum commotio facta eſt, cum ad horam quintam noctis de templis æra intonuiſſent, ut repente omnes armati prodierint, alius alium cohortantes; atque ita ingens multitudo portis effuſa ad Robertum in caſtra ſupra montem continenti fere agmine ſeptem illa millia paſſuum rapto curſu pervenit. Oppletæ erant jam non collium ſolum ſummitates armatis cohortibus, ſed valles etiam, & quidquid circumquaque cerneretur; aciemque Robertus ita inſtruxerat, ut certi duces ſuam quiſque cohortem habentes ad accipienda juſſa locis opportunis collocati eſſent. Nec viſum eſt ſatis decore intra munitiones latere copias, ſed pro caſtris ad teli jactum proceſſum eſt; atque ibi ſuccifis arboribus repagula quædam conſtituta, unde ſagittarii, ceteraque juventus conatus hoſtium commodius reprimerent. Qui de ſuperiori loco preſſo gradu, & agmine quadrato deſcendentes, quamquam ſuperioris diei fuga noſtrorum plurimum confirmati erant, nihilominus ubi appropinquare prima luce munitionibus, ac tantam multitudinem armatorum conſpexere, non modico pavore perculſi ſunt. Dux erat Sfortia, quem ſecundum ex pellice Franciſco Duce ortum appellabant, qui præter militare celeberrimi Ducis avi ſui nomen, nihil earum rerum habebat, quibus tam magnum pondus ſuſtineretur. Huic dati fuerant Conſiliarii *Petrus Franciſcus Vicecomes*, *Petrus Vermis*, atque alii primores Mediolanenſium. qui tamen magnopere bellicas artes non callebant; & ob eam cauſam levioribus credentes auctoribus, exercitum in locum perquam iniquum perduxerant. At poſtquam eò perventum erat, ut ſine pernicie niſi partâ victoriâ redituri non eſſent: millenarias cohortes omnium copiarum fortiſſimas atque inſtructiſſimas in primam aciem ſubmittunt; atque ita magna vi in Genuenſes vehuntur. Præibant ſcutati albis clypeis unum omnes inſigne geſtantes. Ab iis protecti ſagittarii, majoribuſque lanceis armati ſequebantur; loricati autem omnes erant, & ex toto delecti exercitu viri militares; à lateribus aliquot habebant equites, quorum etſi minimi uſus eſſet ſaxoſis ac periniquis locis concurſatio, tamen non modicum terroris eorum præſentia faciebat. Erat intra teli jactum repagulis noſtrorum proximè locus modicè concavus; ex eo loco parvus aſcenſus hoſtium impetum de ſuperiori colle magno fremitu pervenientium tantiſper repreſſit. Nec ſubſtitere tamen, ſed magna pars totius cohortis uſque ad repagula ſcutis innixi pervaſerunt.

Ibi verò cominus, & collatis invicem ſcutis excipiuntur à noſtris, quos minime hoſtium ſtrepitus, nec tantæ acies in conſpectu omnes poſitæ perturbaverant, & Robertus ſubinde juventutis ſubſidia ſummittebat. Itaque à repagulis hoſtes ſtatim rejecti, nihilominus parvo illo ſpatio fortiſſimè pugnabant, ſed à ſagittariis opportunis locis collocatis crebris ictibus, quos nec ipſæ quoque loricarum laminæ ſubſtinerent, vulnerabantur, & ſauciorum magnus numerus ſubinde excedens acie ultimum ſtans agmen ſuorum non parva formidine replevit. Igitur aliâ cohorte immiſsâ, atque illâ, quæ pugnabat, revocatâ, renovatum prœlium paribus utrinque animis, & à Lombardis rurſum uſque ad primum vallum procurſum eſt; exceptique iterum ſine trepidatione ſunt, ac non multo poſt in locum inferiorem dejecti. Poſtquam horis jam fere ſeptem pugnatum erat, tertio quoque factum eſt, ac omni penitus conatu, viribuſque tentatum, ſi perrumpere vallum, & aciem Genuenſium conturbare poſſent. Id verò ut irritum videre (nam & laſſitudo non pugnantes modo, ſed ſtantes etiam in armis habebat) cum ad multum diem ſine cibo, ac ſiti loco arido confecti perſeverarent, retro abeundi conſilium ceperunt. Fortè evenerat, ut eo ipſo die, quo pugnabatur, onerariæ ſeptem, ac

ac Triremes Regiæ frumentum, ac militem, inſtrumentaque omnis generis bellica convehentes, ante Urbem anchoràs jecerint, unde ab utroque exercitu cernerentur. Hic verò plurimum Lombardos exterruit, qui tamen intrepidè primo, ac turmatim ſervatis abibant ordinibus. Nam cupientes inſequi noſtros Robertus continebat, vereri ſe dictitans, ne ſi rurſum hoſtes ſe converterent, incondita multitudo impetum eorum non ſuſtineret, atque ita jam victores in fugam dati rem totam in diſcrimen objicerent. Hæc an ex artis bellicæ diſciplina, vel quod minimè cuperet exercitum Mediolanenſium ex toto in fuga deletum iri, haud ſatis compertum habeo. At ubi nonnullis ante curſoribus ultimum agmen crebrò infeſtantibus animadverſum eſt, neminem hoſtium ad eos ſe convertere, ſed tantum ad ſuperiora loca contendere, tum demum ſublatis clamoribus, quibus cava vallium circumquaque reſonabant, nec jam amplius à Roberto retinebantur, omnes de vallo ſe ſe dejecerunt, aſſecutique leviori armatura jam effusè fugientem hoſtem tergis inſtabant. Cædes longe minor fuit, quia ſpes erat ex captivis in Regias Triremes ad uſum remorum perducendis nummorum aliquid eſſe redigendum. At fugientes à collibus ſuperioribus multitudo montanorum incolarum infeſtior excepit, quorum ira longe magis graſſata eſt (nam paulo ante in tranſitu ab ipſo exercitu direpti fuerant) quominus vel dedentibus ſe, vel arma retentantibus parceretur. Cæſi autem ab iis ad ſexcentos putabantur. Reliqua omnis multitudo partim capta, & in Triremes vendita, partim non armis tantùm, ſed veſtibus etiam interioribus ablatis dimiſſa eſt. Nec ex tanto numero manus hoſtium quiſquam effugit præter primores pleroſque, qui ab initio melioribus equis ſpatio fugiendi captato ad Buſallam pervenerant, atque ibi aſſumtis duobus peditum millibus, & quingentis equitibus, qui præſidio comeatibus relicti erant, per anguſtias vallis in Galliam citati pervaſerunt. Non tam miſerabile, quàm ridiculum ſpectaculum magna hujuſce exercitus multitudo præbuere, qui nudatis omnino corporibus, & tantùm ramis, aut fœno pudendæ circumvoluti eam ignominiam loco prædæ Genuenſis, quam ſperaverant, retro domum abſtulerunt. Captivi in Urbe, agrove ut cujuſque ingenium eorum fuit, quorum erant in poteſtate, varie habiti ſunt; omnes tamen, præterquam qui in Triremes dati erant, humanius multo tractati, quam ipſi ſperaverant, quorum vel nomen fuit, vel fortuna præſtantior, principes factionum conquiſitos in ſuam poteſtatem redegere: Fliſci potiſſimum, ut permutatione captivorum Ibletus jam tum Mediolani aſſervatus è longo carcere liberaretur. Quæſtor autem Lombardi exercitus, cum grave pondus auri ſecum traheret, ſuadente *Juliano Mignerro* fugæ comite, quà proximum perfugium viſum eſt, in arcem Montobii ſe ſe contulit, ubi mox à Johanne Ludovico circumſeſſus, deſperato ſubſidio poſt paucos dies arcem, atque aurum tradidit. Inde ad Savionem ductum eſt. Ibi *Johannes Advocatus*, quem ajebant pridie ejus diei, quo pugnatum eſt, magna cunctorum indignatione literas à Principibus attuliſſe, quibus omnes ei parere videbantur, eò etiam ex fuga delatus, incluſus erat; neque ipſe quoque deditionem diutius eſt moratus. Receptæ arces à Johanne Ludovico Fliſco; Savinio veteribus Dominis cum fide redditur; Montobium verò tamquam proprii juris ſibi retentum eſt.

Hujus victoriæ dies ad quintum Idus Auguſti fuit, vertente Anno ab ortu Chriſti Dei & Domini noſtri *Milleſimo Quadringenteſimo poſt Octavum & Septuageſimum*. Cumque biduo ſequenti dies ſolemnis eſſet Divo Martyri Laurentio, templum illud in Civitate à Magiſtratibus donis allatis veneratum eſt; ac decretum ut eodem die quotannis in memoriam ſervatæ Urbis idem fieret. Deinde habitæ ſunt ſupplicationes, ut non hominum magis virtuti, quàm divinæ providentiæ, ac bonitati illa felicitas accepta referretur.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS SECUNDUS

Anni MCCCCLXXVIII.

IN Etruria bellum acriter interea gerebatur. Equitatu non tam numero, quàm róbore ſuperior habebatur *Alphonſus Ferdinandi Regis* filiorum natu primus, quem Ducem Calabriæ appellabant. Huic junctus erat *Federicus Dux Urbinatium* Romanæ Vexillifer Eccleſiæ; communique conſilio ab agro Senenſium finitimo Florentinos urgebant; & jam Caſtellinam tormentis admotis expugnaturi per deditionem receperant, ac longe atque late finibus Florentinorum populatis, ad uſque ipſas portas Urbis belli terror pervadebat. Nec Florentini quoque in id bellum ſegniter incurrebant; nam miſſis in Galliam, & ad alias multas gentes legationibus, injurias ſuas, & indignitatem à Pontifice, ac Rege moti adverſum ſe belli graviter querebantur; immoderatæ ambitionis, ac libidinis dominandi Ferdinandum, veſanæ mèntis Pontificem accuſantes; ejus majeſtatem probroſis ſacrilegiſque ſcriptis etiam non dubitabant inceſſere. Etenim Ferdinandum fretum, quod Veneti Teucrorum bello, Mediolanenſes eſſent Genuenſium motibus implicati, in ſpem veniſſe totius Italiæ potiùndæ. Pontificem non ſuæ ſpontis eſſe, ſed unius *Hieronymi Riarii*, adoleſcentis facinoroſi atque nefarii, arbitrio ac voluntate in omnia nefanda præcipitem agi. Ut autem hæc verius cognoſcantur, literas ipſas, quas ad Pontificem dedere, inſerere his Commentariis non ab re fuerit, tametſi longiores ſunt, quarum exemplum ad verbum infraſcriptum eſt.

„ Mirati ſumus, Beatiſſime Pater, inveteratam ad nos ſcribendi Summorum Pontificum „ conſuetudinem repente immutatam his literis tuis, quas per præconem ad nos Calabrum afferri voluiſti; quamquam Libertatis, „ ac Juſtitiæ ſubtracta ex inſcriptione nomina „ ſatis quid ſibi velint ipſa aperiunt. Si enim „ quod ſuades, facturi ſumus, ut nos quoque „ nominum talium obliviſceremur penitus neceſſe fuit. Sed cur Populo inſcribitur novo „ more, & dum ad eum inſcribis Populum, „ quem ita te amare, & tantâ proſequi Caritate aſſeris, perverſo ſcribendi modo Dilectionis appellationem, à qua in hunc diem „ ſolitæ ſunt ordiri Pontificales veræ literæ „ prætermittis? An non diligis eum Populum, quem cenſuris caſtigas talibus? Nulla „ profecto, ſi dilectionem auferas, cauſa reſtabit, cur ita proſequare. Nunc ad literas „ venimus. Ejicere nos è Civitate vis Laurentium de Medicis. Hujus autem voluntatis „ tuæ duas in literis tuis potiſſimum cauſas „ collegimus, & quod Tyrannus noſter ſit, „ & publico Chriſtianæ Religionis bono adverſetur. Quo ergo pacto, ut diluamus primam cauſam, nos liberi erimus Laurentio „ ejecto, ſi tuo juſſu erit ejectus? Contraria „ tuæ literæ loquuntur, quæ dum libertatem „ pollicentur, imperando auferunt. Atque ut „ iſto te labore liberemus, & ejicere nos malos Cives Tyrannoſque didicimus, & ad „ miniſtrare Rempublicam noſtram ſine monitoribus: redi paulum ad te, oramus, Beatiſſime Pater, da locum affectibus, qui iſtam „ ſacroſanctam Sedem, iſtam gravitatem & Sanctitatem Pontificalem dedecorant. Laurentium de Medicis Tyrannum clamitas: at nos „ Populuſque noſter Defenſorem noſtræ Libertatis cum ceteris, quos tu arguis, Civibus „ experimur, & unâ omnium voce appellamus, parati in quemcumque rerum eventum „ omnia ponere pro Laurentii de Medicis ſalute, & Civium reliquorum, in qua quidem „ publicam ſalutem & libertatem contineri, „ nemo noſtrûm dubitat. Quod invehuntur in „ Laurentium illæ literæ liberius, nihil eſt „ quod contradicamus. In præſentia veritas „ ipſa ſatis contradicet, & ſua conſcientia. „ Hoc tamen fatebimur, Beatiſſime Pater, „ movent iſta riſum omnibus tam inaniter, „ ne dicamus malignè, conficta audientibus. „ Nam quod callidè Bartholomæi Collionis „ temporum mentionem facis, & inſimulas „ confœderatorum noſtrorum ſtudia, non eſt „ accuratiore nobis opus interprete: artes ſunt „ iſtæ tuæ Pontificiæ dignitatis dignæ, & Vicariatus Chriſti. Nos tamen ſociorum integram fidem experti ſumus, quorum auxiliis „ gloriosè adeo debellavimus. Nos melius, „ dictum ſit bonâ omnium veniâ, iſta novimus, & Laurentium de Medicis, qui ab „ omni familia ſua, qui ab avo Coſmo Patre „ Patriæ clariſſimo viro, & optimè de noſtra „ libertate merito, nihil degenerat. Huic Civi „ noſtro nos, quem Religione, & Dei cultu, „ ac pietate præponamus, habemus neminem, „ quem tu ejicere Civitate vis. Movet te fortaſſis, ac de ea re Laurentio ſuccenſes, „ quod de furentibus populi armis Raphaëlem „ Cardinalem tuum eripi curaverit, & ſalvum „ reddiderit. Movet, quod trucidato Juliano „ fratre ſaucius ipſe, divinâ potius, quàm humanâ aliquâ ope, ſceleratos gladios ſacrilegoſque paricidarum; & mortem evitarit. „ Si cædi ſe paſſus ſit ab immiſſis à vobis eſferatiſſimis Satellitibus, ſi arcem libertatis „ noſtræ publicum Palatium noſtrum dolis „ captum à proditoribus veſtris non recuperaviſſemus, ſed trucidandos noſmet, Magiſtratuſque noſtros tradidiſſemus vobis: nihil „ modò tecum contentionis haberemus. Sed „ ut ad alteram deſcendamus cauſam, quomodo talis aliquis optimus Civis publico „ eſt, ut ſcribis, bono adverſatus? Aliæ cauſæ ſunt, quæ Chriſtiana arma movent in „ Chriſtianos, & defenſionem Religionis, atque expeditionem in Turchas impediunt, „ ut aliàs quoque, Imperatore eam Ratiſponæ „ procurante, impedierunt. In qua tamen nos „ publicè longas naves tibi, & Ferdinando „ complures dono dedimus, & Coſmus Laurentii avus ſuis privatim ſumtibus unam perpulchre armatam eſt elargitus. Præterea „ magnam pecuniarum vim, ut pro viribus „ laboranti Religioni noſtræ ſuccurreremus, „ dum

„ dum Laurentius de Medicis in Urbe est, „ subministravimus; & juvimus viginti Flore„ norum millibus Ferdinandum Regem, quem „ modò fama est, & Legatis & muneribus „ conciliare sibi Religionis Christianæ publi„ cum hostem, & quicum tu modò conjunctus „ Christianis bellum infers, dum in limine „ Italiæ victoriosissimus ille superbissimusque „ insultat. Juvimus etiam hortatu tuo Ma„ thiam Ungariæ Regem non contemnendâ „ pecuniâ; & qui sunt nobis fœdere conjun„ ctissimi, Venetis non defuimus, nec defuturi „ sumus. Ad quem hæc multo magis perti„ nent, plura majoraque non fecit. Et tamen „ hanc causam asseris, cur nobis bellum infe„ ras, atque omnia divina humanaque con„ fundas. Sed profecto alia causa est, quæ „ armat te contra Christianos, & quidem istius „ Sanctæ Sedis, in qua Vicarium Christi se„ dere jam oportet, perpetuos præcipuosque „ cultores. Ex quo in ista Sede es, quid arma „ tua, quid signa Pontificalia, quid pedum „ istud Beati Petri, quid naviçula egerit, ni„ mis notum est. Quæ profectò, quis sit, qui „ publico adversetur bono, heu nimium de„ clarant. Nos quid egerimus pro quiete Ita„ liæ, dum tibi cum sociis nostris securitatem „ rerum tuarum, sic te rogante, promittimus; „ dum Hieronymo Comiti nepoti tuo digni„ tatem esse auctam immeritissimè procuramus „ (sed noti nondum erant mores illius per„ ditissimi, ac feralis execrandaque natura) „ dum Urbinatium Ducem ad stipendia fœde„ ris nostri traducere conamur, & eas offeri„ mus conditiones, quæ supra virtutem, & „ militandi, & ductandi consuetudinem vide„ rentur, ut omni ex parte stabilita pax Italiæ „ esset. Audent tamen tuæ literæ illæ turba„ torem Italicæ quietis appellare Laurentium. „ Indue, indue, Beatissime Pater, meliorem „ mentem; memineris pastoralis officii tui, „ & Vicariatus Christi; memineris Clavium, „ non in istos usus datarum; veremur enim, „ ne in nostra tempora illud incidat Evange„ licum: *Malos malè perdet, & vineam aliis* „ *locabit agricolis*. Nos certè cum Christo Re„ demtore nostro, qui justissimam causam no„ stram proteget, & non deseret cultores suos „ sperantes in se, juvantibus sociis, & causam „ nostram suam reputantibus, juvante & pro„ tegente nos Ludovico Christianissimo Fran„ corum Rege, perpetuo patrono & patre Ci„ vitatis nostræ, pro Religione, & Libertate „ nostra fortiter repugnabimus.

Et hæc quidem, horumque similia Florentini jactabant, nec ullo in Pontificem convitiorum genere temperabant. Sed quod magis operæ pretium erat, per se se omni studio conquisitis extortisque pecuniis, quam maximas potuerunt copias paraverant. Equitatum non magnum, sed peditatum frequentem ac validum habebant. Præposuerant bello *Herculem Estensem Ducem Mutinensium*, virum profectò virtutis egregiæ, atque in Italica militia apprime clarum, qui tamen ut Ferdinandi Regis gener, inopiâ potioris adscitus putabatur. Convenerant præterea sociorum auxilia, quibus pro Venetis *Johannes Franciscus Gonzaga Mantuanus Marchio*, pro Mediolanensibus *Johannes Pallavicinus* ex Scipione, & *Johannes Jacobus Trivulcius* præfecti erant. Jamque aut pares hostibus, aut non multo inferiores videbantur. Quod si, uti erat constitutum, quæ sunt in agro Genuensi delectæ copiæ, Mediolanensium rebus Genuæ compositis, Florentinorum partibus accessissent, nulli dubium esse poterat, quin in Pontificem, & Regem belli illius discrimen converteretur. Ea Mediolanensium clades peropportuna Pontifici, Regique tum fuit, adeoque ob eam Florentini animis concidere, Calaber, & Urbinas Duces erecti sunt, ut qui modò trepidaverant, ultro ad Oppidum, cui *Sancto Savino* appellatio est, exercitus, machinasque admoverint. Id Oppidum situ, mœnibus, Oppidanorum fide atque frequentia firmissimum, nisi longa & difficili oppugnatione capi non poterat; & aderat Hercules valido subcinctus peditatu, quem, si suo arbitratu, non Legatorum, qui erant in exercitu, & pugnare prohibebant, rem gerere licuisset, & sub ipsum ejus adventum, ut voluisset, hostes adoriri, habere in manu victoriam potuisse creditum est. At dum illi cunctando, ut solent, abstinendum à pugna censent, spatium dedere, quo ab Roma novum peditatus supplementum missum est. Itaque cum subsidium Oppidani desperarent, se se Pontificis arbitrio permisere. Et cum jam hyems appeteret, præsidiis in Oppida, quæ hostibus essent finitima, dispositis, exercitus in hyberna concessere.

Apud Genuenses partâ victoriâ, & periculis amotis, multum ex illa belli gerendi intentione jam remissum erat; & factionibus obnoxii non tam de capiendis arcibus, quàm diutius remorari deditionem, deficientibus comeatibus, non posse intelligebant: quare illud per se se quisque principum cogitare cœperunt, ut factio sua quamplurimum invaleseeret. Nec deerant occultæ Nobilitatis adhortationes, ut quæ initio excussa ab omni administratione rerum publicarum eam ignominiam in metum quoque perpetuo perdendæ dignitatis conversam iniquo animo maximè perferebat; nam Lombardis adventantibus jussi per præconem etiam fuerant Nobiles universi ex Urbe profugere. Unicam igitur retinendæ dignitatis spem ponebant, si plebeji Cives in factiones dividerentur, & inter se se mutuo decertarent. Persuasere autem Mediolanensibus, quorum partes tum maxime sequebantur, ut *Ibletum Fliscum*, quem in vinculis habebant, dimitterent, acceptâ ab eo fide, ut beneficii dimissionis non immemor, digno aliquo facto ad liberandas obsidione arces, & Urbem Genuam recuperandam, Principis gratiam demereri conaretur. Hæc enim, atque alia multa etiam majora, quam petebatur, ultro pollicitus, postquam vinculis exsolutus ac lætus in patriam redierat, minimè sibi observanda existimavit. Verum ut illius natura ferebat, & qui circumaderant, suadebant, sub ipsum sui adventum statim miscere ac turbare omnia suspicionibus cœpit. Nam & pecuniam nobiles quidam ostentabant, cujus ille non nisi ut prodigeret cupidior semper habitus est. Per factionis deinde opem & postulavit, & obtinuit, ut ex publico sibi daretur, unde militum non mediocrem manum alere, ac circa se tenere posset. Et multo post ex constituto Mediolanensium (id quod Genuensis Nobilitas in primis suadebat) *Baptista Campofregosus* Petri olim Ducis ab Novarum Oppido lectâ manu clientium, & evocatorum comitatus, ut ad arces penetraret, propinquare nuntiabatur. Cui arcendo stationes armatorum locis opportunis collocatæ sunt. Sed qui præpositi custodibus erant, ut ferebatur, arces

ipsas

Digitized by Google

ipſas poſtea * docuerunt, & non modo ab ingreſſu arcium Baptiſtam non prohibuerunt, ſed viam inſuper commonſtrantes duces dederunt, quibus tutò intromitteretur. Receptus itaque in arcem cum militibus ad centum, quos è fidiſſimis ſibi delegerat, in atrium Sancti Franciſci deſcendit, ibique ad ſe vocavit ex ſua factione complures ex his, qui in Urbe ferebant arma, & eorum etiam nonnulli fuere, qui cuſtodibus circa arcem diſpoſitis præpoſiti erant. His occultioribus colloquiis quid facto opus eſſet edoctis palam conari videbatur perſuadere, ut pulſo Proſpero ſe ſe tamquam pro Mediolani Duce Præſidem reciperent. Sed patefactum erat, jam deficientibus omnibus neceſſariis, nec poſſe diutius remorari deditionem, ſi modo nihil ex obſidione paucos dies remiſſum eſſet; nec aliam ſalutem ſibi arcium milites poſſe ſperare, cum multis obnoxii vaſtitatibus Urbis ſummum odium mererentur, niſi tradito Baptiſtæ ipſius arcis imperio ac poſſeſſione, per illum ſalvi inde emitterentur, cum Principatum adeptus ejus rei facultatem eſſet habiturus.

Re autem aliquot diebus protracta, poſtquam Lombardis nihil ex ſententia ſuccedebat, non jam exiſtimationi, ſed ſaluti proſpiciendum rati, primo minorem arcem Baptiſtæ, nec ita multo poſt Caſtelletum poteſtati permiſere. Quam adeptus facultatem, ſignum conſtituit ſuis, qui in Urbe erant, majoris Bombardæ, ad quod omnes armati uno momento procurrerent, & circum arcem conglobati factioni adverſariorum proturbandæ per Urbem ipſum comitarentur. Quæ cum Proſpero, ac Præſidibus renuntiata eſſent à multis, non tamen cujuſquam damnare fidem, neque id quoque tutum videbatur, ſuſtinuerunt; ſed arma armis oppoſitum iri opportunius rati, diem ſignumque iſtud intenti, paratique opperiebantur. In ædes, quas habent ad Portam Sancti Thomæ, Campofregoſi magnificentius olim ob meritum domitæ Cypricæ Inſulæ, victique Regis prædicti, publicitus in exſtructas Campofregoſæ Domus plerique ſe ſe receperant, ibique maximum numerum armatorum coëgerant. Ex adverſo Proſper apud ſe in Prætorio cohortes militum externorum retinebat; adverſariis verò *Auguſtinum Johannemque Adurnos* cum lecta manu ad Foſſatellum, ut vocamus, oppoſitos habebat; quibus pro ſubſidiis aderant *Robertus*, *ac Johannes Ludovicus Fliſcus*. Nam *Ibletus* in adverſa Urbis regione, tamquam ei parti ne tumultus inde oriretur, conſuleret, qui armati Domibus egrediebantur, detinens, per vias ſuburbiorum Sancti Stephani multitudinem ſecum trahens deambulabat. At *Ludovicus Campofregoſus* omnium ſolus ex ſuis, quæ gererentur ignarus, nam celatum quoque eum Auguſtinus filius hujuſmodi facinus tamquam adverſantem voluerat, Juſtinianorum ædibus, in quibus habitabat, contiterat.

Dato itaque ex arce ſigno, qui ad Sanctum Thomam inſtructi opperiebantur, impetu facto magnis clamoribus factionem invocantes proſiluerunt. Hos excepere Johannes Adurnus, & Johannes Ludovicus Fliſcus, pugnatumque eſt in via Regia, quæ inter Foſſatellum, & Portam Vaccarum interjacet. Ibi rejectis Campofregoſis, eorum aliquot obtruncati ſunt. Et cum ſub muris veteribus, ubi

A Vaſtatum appellamus, acriter quoque pugnaretur, in ea parte victores etiam Adurni adverſarios propulerunt, ac in fugam datos plurimos eorum vulneraverunt, captoſque nonnullos ad Prætorium vinctos perduxerunt, in quos ſubitâ irâ Proſper animadvertit. Quæ non ſatis tempeſtiva ſeveritas ſicut formidinem ceteris, ita in ipſum Proſperum multorum etiam odium excitavit. Ad clandeſtina deinde colloquia *Ibleti*, *Baptiſtæque* deventum eſt, inter quos *Johannes Aurius* medium ſe ſe effecerat; qui demum aureorum nummorum ſex millia Ibleto pollicitus, è quibus duo millia in præſens numeraverunt, hunc perpulit, ut traditâ ſibi minore arce, dimiſſo Proſpero
B ac ſuis, Ducem creari Baptiſtam non modo pateretur, ſed etiam procuraret. Et ita non multo poſt jam fere deſerto ab omnibus Proſpero, quia ut Urbs excluſo Mediolanenſium dominatu pacaretur, etiam Regius, qui aderat, Legatus his pactionibus conſenſerat: ad VI. Kal. Decembris jam per Urbem diſcurrentibus Campofregoſis, ceſſere Palatio Adurni, & cum ad Portam Sancti Thomæ Proſper ſecederet, in via impeditus eſt ab his, qui prædam, quique ultionem expetebant; & in fugam mox actus, vix in phaſelum triremis Regiæ apud minorem Portum ſe ſe recepit, ſicut erat calciatus & veſtitus, quo manus inſequentium effugeret, in mare deſiliens.

C At Baptiſta rebus cum Ibleto compoſitis non ſtatim ad Prætorium ex arce, ſed in domos Centurionum commigravit. Inde paucis poſt diebus pro more creatus in Palatio Dux, cum eò armatus perveniſſet, mox peractâ creatione ad eaſdem domos eſt regreſſus, Senatumque ibi veterem, Præſideſque convocavit, accito etiam ducentorum, & amplius Civium numero, queis proponeretur, an è Republica creari Magiſtratum, quem Baliæ vocamus, eſſe videretur. Dictæ ſunt ſententiæ, approbantibus cunctis Nobilibus & ceteris, qui factioni Ducis non adverſabantur, ut is Magiſtratus nervos ac vires Baptiſtæ ad continuandum Principatum allaturus omnino deli-
D geretur. Pauci minimè hujuſmodi poteſtate opus eſſe cenſebant, quando pacatis omnibus Rempublicam non extraordinariis, ſed ſolitis Magiſtratibus regi oporteret. Quæ ſententia ab his, qui jam audaciores facti erant, per riſum cachinnationemque excepta, cum videretur minimè valitura, *Bendinellus Sauli* vir prudentiæ, & moderationis, ac gravitatis eximiæ auctoritate, ex ordine populari primarius, ac plurimum exiſtimatus: *Poſtquam*, inquit, *video majoris partis ſententiam eo inclinare, ut ſic Magiſtratus, qui mihi alioquin neceſſarius eſſe non videbatur, conſtituendus ſit, & ego quoque in eamdem ſententiam concedo. Creetur ſane* officium iſtud Baliæ, *ſed ut eorum*,
E *quæ antehac facta geſtave ſunt, nullam omnino habeat facultatem*. Hoc autem eò tendebat, ne ſex millia aurei nummi exemplo peſſimo pacti malo publico, ei, qui hujuſmodi teterrimum facinus introduxiſſet, perſolverentur. Hanc tamen prudentiſſimi viri atque optimi ſententiam pauci admodum ſequuti ſunt; quinimmo Nobilium plerique eam ſtrepitu quaſi immodeſto exploſere: quod haud immerito poſtea in ipſofmet potiſſimum recidit. Creatus igitur Magiſtratus eſt, *Galeotus Centurio*, *Lazarus Aurius*, *Hieronymus Grimaldus Caba*, *Acelinus Silveſter*, *Baptiſta Ganonus*, *Thomas Preſenda*, *Bartholomæus Canicia*, & *Baptiſta*

Baſadonne. Pauloque poſt, nec etiam expectato legitimo creandis novis Antianis tempore, juſſis duodecim Præſidibus Magiſtratu ſe abdicare, immo nec abdicatis quidem, ſed per quamdam veluti ignominiam antiquatis, qui fuerant poſtremo Senatores acciti, ac ſedere compulſi ſunt uſque ad Kalendas Januarias, qua die novorum Senatorum novâ lege creatio facta, quam in Kalendas Februarias ex lege ac more dilatam eſſe oportuiſſet. Confirmatus hoc modo in Principatu Baptiſta nova A captare conſilia confidentius cœpit, Mediolanenſibus dare verba, à quibus non modò urbanarum arcium poteſtatem, ſed aliarum omnium totius agri Genuenſis conſequutus fuerat, multo magis ad Ferdinandum inclinare, quod is non mediocrem mercedem pollicebatur. Robertum enim ſtipendiis Pontificiis ac Regiis conductum jam novum exercitum à finibus Genuenſium in Florentinos cogere ac ductare conſtitutum erat. Nam Mediolanenſes ancipiti malo & ipſi vexabantur.

Digitized by Google

EJUSDEM
ANTONII GALLI
De navigatione Columbi per inacceſſum antea Oceanum
COMMENTARIOLUS.

CHriſtophorus, & Bartholomæus Columbi fratres, natione Ligures, ac Genuæ plebejis orti parentibus, & qui ex lanificii (nam textor pater, carminatores filii aliquando fuerant) mercedibus victitarent, hoc tempore per totam Europam, audaciſſimo auſu, & in rebus humanis memorabili novitate, in magnam claritudinem evaſere. Hi ſiquidem intra pueriles annos parvis literulis imbuti, & puberes deinde facti, de more gentis in navigationes exiverant. Sed Bartholomæus minor natu in Luſitania demum Uliſſipone conſtiterat, ubi intentus quæſtui tabellis pingendis operam dedit, queis ad uſum nauticum juſtis illineationibus, & proportionibus ſervatis, maria, portus, littora, ſinus, Inſulæ effigiantur. Proficiſcebantur ab Uliſſipone quotannis, ac redibant emiſſa navigia, quæ cœptam ante hos annos quadraginta navigationem per Oceanum ad Occidentales Æthiopes continuatas terras, genteſque omnibus retro ſeculis incognitas, aperuere. Bartholomæus autem ſermonibus eorum aſſuetus, qui ab alio quodammodo terrarum orbe redibant, ſtudio pingendi ductus, argumenta, & animi cogitatum cum fratre rerum nauticarum peritiore communicat, oſtendens omnino neceſſarium, ſi quis Æthiopum Meridionalibus littoribus relictis in pelagus ad manum dexteram Occidentem verſus curſum dirigeret, ut is procul dubio continentem terram aliquando obviam eſſet habiturus. Qua perſuaſione Chriſtophorus inductus, in aulam Regum Caſtellæ ſe ſe inſinuans, viros doctos alloquitur, ac docet, in animo ſibi eſſe, niſi adjumenta defecerint, multo præclarius, quam Luſitani feciſſent, novas terras, populoſque novos, unde minimè putetur, invenire. Hæc autem ad aures Regias per hos viros, quibus ea vana non viderentur, delata, ſtudio gloriæ, atque cum Luſitanis æmulationis incenſos, Reges perpulere, ut Columbo bina navigia exornari ad eam navigationem, quam meditatus erat, juſſerint. Quibus ille navigiis poſtquam ab Inſulis Fortunatis Meridiem verſus navigaverat, ac jam proximus ei Paralellolo videretur, qui ſub Cancro eſt, declinans ad manum dexteram, atque altum, inacceſſum, vaſtumque petens, omnium navigantium audaciſſimus complures dies ad Occidentem tenuit. Nec tamen uſquam aut Inſulæ, aut aliæ terræ apparebant, quamvis quadragies centena millia paſſuum à Gadibus Occidentem versùs remotum ſe ſe jam eſſe arbitraretur. Jamque in deſperationem verti audacia

A

cœperat; nam etiam ex comitibus plerique retro curſum, ne, ſi perſeverarent, alimenta deficerent, ſuadebant. Sed ipſe animi conſtans, & vultu intrepidus, tum demum dixit, certum ſibi eſſe, quod cognitis ac perſpectis ſignis animadverteret, in poſterum diem terras apparituras; dictoque mox fides non deficit: quæ illi maximam auctoritatem, ac dictorum factorumque omnium poſthac fiduciam apud ſuos addidit. Inſulæ erant, ut poſtmodum ipſe per epiſtolas ſcripſit, ad ſeptingentas à continenti (quam tamen Inſulam nondum circumactis navigiis arbitraretur) non multum diremtæ. Ex his feri quidam homines aliquot incolunt, quos Canibales appellant, humana

B

carne veſcentes, ac Inſularum aliarum Populos latrociniis infeſtantes. Nam cavatis magnarum arborum truncis navigantes ad proximos trajiciunt, atque homines quaſi feras incibos venantur. Ex his cavatis arboribus unum in mari nactus Columbus plenum hujuſmodi feris hominibus, non ſine prœlio, ac magna vi, cum ſe ſe accerrimè defenderent, cepit, captivoſque ex his nonnullos in Hiſpaniam uſque poſtea pervexit.

Primam, ad quam appulit, Inſulam, Hiſpaniolam nuncupavit, in qua multi mortales

C

pauperſate ac nuditate conſpicui cernebantur. Hos primo nutibus ad ſecuritatem congreſſus evocatos, poſtque donis & omni genere humanitatis alliciebat. Facile apparebant ſtupentes novi coloris, novique habitus alienigenas homines, non tamquam terrigenas, ſed tamquam è cœlo demiſſos admirati. Nulla ibi animalia quadrupedia, præter canes quoſdam puſillos haberi cognitum eſt. Alimenta hominum ſunt radices quædam, & glandes longe aliâ figurâ quàm noſtræ, pares tamen ſapore, niſi eſſent etiam jucundiores. Aurum modicum collo pendente laminâ annexum, & pectori hærente; ac ad uſque pudenda quaſi velamen

D

paucis deductum, virorum mulierumque commune. Sed Chriſtophorus quod maximè quæſiverat, conſequutum ſe exiſtimans, retro ad Hiſpaniam remeare quamprimum conſtituit, ut inſtructior deinde ad has eaſdem Inſulas terraſque rediret. Relictis igitur quadraginta ex ſuis in locum, quem ceperat, & communiverat, quaſi poſſeſſionem pro Regibus Caſtellæ adeptus, & ſe ſe mox rediturum pollicitus, linquens littora illa curſum retro ad Orientem, unde venerat, direxit, in Hiſpaniamque revertitur; nuntioſque præmiſit, quibus omnia à ſe geſta Reges pernoſcerent: quibus ea pluſquam dici poſſet gratiſſimè fuere. Nam Chriſtophorum delatis honoribus

extol-

Digitized by Google

extollentes, & Præfectum Regium totius rei maritimæ declarantes, obviam illi miſerunt clariſſimos ex omni Regno proceres, à quibus ad ſe honorificentiſſime deduceretur. Adduxerat ipſe ex Barbaris ſecum aliquot, per quos geſtæ rei fides magis confirmaretur. Ceterum ut Reges volebant, fama per omnes terras interea diffunditur, auro plurimo inventum orbem (quem Indiam vocitabant) & aromatibus, & pleriſque rebus pretioſiſſimis ad uſum vitæ mortalium abundare. Alia igitur navigia pluſcula, & minora parantur, & rebus his inſtructiora, quibus Barbarorum animi allici magis poſſe putabantur. In primis autem homines ex omni artificio, & animalia complura ex omni genere, etiam ſues, quorum incrementum mirabile poſtea fuit. Sed triticum à ſemente prima ſtatim ad altitudinem grandiuſculam enatum, antequam ſpiceſſeret, evaneſcens, deperierat. At Regum juſſu arma virique navibus numero duodecim imponuntur, ut vel etiam renitentes Barbari ad quodlibet officium cogerentur. Bartholomæum, ac tertium fratrem Jacobum in ea expeditione Chriſtophorus ſecum duxit, claſſemque hujuſmodi ad Hiſpaniolam per navigationem dierum non amplius viginti ſalvam perduxit; ſuoſque, quos reliquerat, ad unum omnes à Barbaris reperit ſtrangulatos, quod in eorum mulieres injurii fuiſſe dicerentur.

Sed Chriſtophorus acceptâ quidem Barbarorum ingratitudine atque ſævitiâ, cum his tamen per nova beneficia reconciliatus, dolorem diſſimulans, quo ad reliqua deſtinata animo expeditior progrederetur, de auro primò inquirit, & de ſpeciebus in noſtro orbe pretioſioribus. Aurum modicum, & ſemen quoddam Piperi perſimile & figurâ & ſapore, non multum colligit. Oppidum adductis ma-

A teriis ædificat, eique Eliſabet nomen indidit. Ipſe duabus ex omni numero navium aſſumtis Inſulam ipſam circuit; atque ulteriora pernoſceret, litus Johannæ, quam Inſulam quoque penetraverat, ita primo adventu nuncupatam, dies unum & ſeptuaginta pernavigit, Occidentem verſus perpetuò curſum tenens. Nullam umquam navigationem, neque longiorem, neque diuturniorem continuatione fuiſſe conſtat; quippe circiter ſexagies centena millia paſſuum vir nauticus, & curſus navigiorum æſtimator peritiſſimus confeciſſe ſe ex dierum noctiumque curſu computato, ipſemet in epiſtolis, quas vidimus manu propria ipſius ſubſcriptas, prodidit. Ultimum locum Evangeliſtam nuncupavit. Remeanſque, quantum licuit, ſinus, promontoria, portus, atque omne
B litus decurſum ſignavit in Tabula. Referebat autem hoc litus elevationem Arctici Poli decem & octo graduum habere, cum quatuor & viginti, Septentrionale litus Hiſpaniolæ Inſulæ Poli ipſius altitudinem oſtendat. Dicebat quando etiam ex obſervatione ſuorum, Anno Domini Quarto, & Nonageſimo & Quadringenteſimo ſupra Milleſimum Eclipſim apparuiſſe menſe Septembris quatuor horis naturalibus ante in Hiſpaniola quàm Hiſpali viſam fuiſſe: ex qua computatione colligi licet, eam Inſulam horis quatuor, & Evangeliſtam, ſi modo vera referuntur, decem à Gadibus &
C Hiſpania diſtare; quo modo non amplius duabus horis, hoc eſt duodecimâ parte totius circuli terrarum ab eo loco, quem Bartholomæus Catigara vocat, & ultimum habitabilem in Oriente conſtituit, abeſſe. Per quas duas horas ſi dabitur, non obviantibus terris, poſſe navigare, ultimus Oriens, omni decurſo inferiori noſtro Emiſpherio, curſu contrario conjunctus fuerit à tendentibus in Occidentem.

FINIS.



Digitized by Google

HISTORIA
MONTIS-FERRATI
AB ORIGINE MARCHIONUM ILLIUS TRACTUS
Usque ad Annum MCCCCXC.

AUCTORE

BENEVENUTO DE SANCTO GEORGIO,
COMITE BLANDRATÆ.

In omnium commodum nunc recusa.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN BENEVENUTI DE SANCTO GEORGIO HISTORIAM MONTIS-FERRATI *PRAEFATIO*

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

INter tot Hiſtorias, quas Collectio iſta complectitur, nullam hactenus ſpectavere Lectores, in qua ex profeſſo illuſtraretur *Montis-ferrati* Marcha. Et ea quidem nobilis regio perquam digna eſt, cui ſuus ſit locus in Italica Hiſtoria; digniores etiam illius Principes, utpote qui non in Italia tantum, ſed & in Oriente famam ſui nominis longe lateque olim propagarunt egregiis virtutibus, & rebus fortiter prudenterque geſtis. Nullum propterea non movi lapidem, ut veterem aliquam Montis-ferrati Hiſtoriam detegerem atque impetrarem. Sed aut nulla ſupereſt, aut ego heic parum ſecundam votis ac precibus meis fortunam ſum expertus. Itaque ſtatui, quando antiquiora non poſſum, huc inferre Hiſtoriam *Benevenuti de Sancto Georgio*, cui pretio ac merito non aeques aliam quamlibet de Montis-ferrati rebus agentem. Haec prima ratio, quae mihi ſuaſit, ut iſtâ ſaltem viâ conſulerem & Provinciae illius decori, & juſto Eruditae gentis deſiderio. Ipſam vero Hiſtoriam aeneis profectò typis Anno 1639. in Civitate Caſalis Sancti Evaſii impreſſam Literaria Reſpublica accepit. Verùm ſive quod paucis exemplaribus editio illa conſtiterit, ſive quod potentis alicujus manus pleraque ad ſe traxerit, aut prodire vetuerit, certum eſt, Hiſtoriae ipſius exemplaria rara adeo eſſe, ut mihi ad unum obtinendum plurimum laboris ac temporis inſumendum fuerit. Lazarus verò Cotta in Muſeo Novarienſi, quamquam Benevenuti, ejuſque Librorum mentionem fecerit, nullam tamen editionem Hiſtoriae hujus indicavit. Immo Auctores Diarii Italici Tomo X. pag. 239. ſuſpicari videntur, Hiſtoriam ipſam Benevenuti adhuc luce carentem in tenebris verſari. En ergo alteram rationem, cur lubenti animo ad novam illius editionem inſtruendam adductus fuerim, quae nempe abditam paene Hiſtoriam, & pleriſque ignotam, majori ac decentiori in lumine collocet. Sed quod in primis hoc Opus mihi commendavit, ceteriſque etiam commendaturum ſpero, diligentia eſt ac judicium, quo illud contexuit Auctor. Florebat ille temporibus iis, quibus Literarum quidem ſplendor in Italia, ſi non integer, magnâ certe ex parte fuerat reſtitutus; ſed rara adhuc erant Criticae melioris documenta ad extricandam e fabulis veritatem, ſternendaque ſolida Hiſtoriae fundamenta. Attamen Benevenuto mentem adeo bonam Superi contulerant, ut is probe noverit, qua ratione, dum ſibi Hiſtoriam contexendam ſumeret, conſulendum foret veritati rerum, proprioque decori. Scilicet Tabularia, quaecumque potuit, excuſſit, & veteres Chartas in ſuum Opus complures inferens, haſce vades plerumque dedit geſtorum, quibus illius Hiſtoria completur. Haec omnium tutiſſima via ad aſſequendum in ejuſmodi ſtudiis verum. Et ſane Benevenuti Liber is eſt, qui & noſtris temporibus, quod eſt ad nucleum Hiſtoriae, plurimam laudem ſperare vel ab ipſis delicatis Lectoribus poſſit. Nam ad ſtilum quod attinet, nemo in eo Charites & amoenitatem quaerat; quippe Scriptori in res intento exigua illius cura fuiſſe videtur. *Tractatum familiarem* is propterea ſuum Opus inſcripſit.

Ceterum etiamſi multa in hujus Scriptoris commendationem adferre liceat, non deſunt tamen in ejus Hiſtoria, quae felicius pertractari poſſint ab aliis, aut etiam emendari. Quod quum ajo, non id vitio vertas velim Benevenuto, cui, quum ſcripſit, praeſto non erant tot Literarum, & Hiſtoriae potiſſimum & Chro-

Digitized by Google

nologiae praesidia, quibus aetas nostra abundat. Is etiam egregie munere suo functus fuit; nam quamvis tot subsidiis destitutus, tantum nihilominus potuit, tantamque lucem ad istud argumentum attulit, ut, nisi haec Historia prodiisset, par opus nemo fortasse nunc texeret ad Montis-ferrati, ejusque celeberrimorum Principum res probe dignoscendas. Ad haec immeritò exigat quisquam a Benevenuto majora lumina de illorum Marchionum origine. Illi nimirum contigit, quod & aliis, quoties abjectis fabulis, constitutum est germanam conscribere Genealogiam; necesse enim est, ut post felicem cursum aliquot Seculorum in tenebras tandem incurratur, a quibus veritatis amator, quamquam ingenio plurimùm valeat, expedire se neutiquam possit. Seculum praecipue a Christo nato Decimum illud est, quod, quando etiam posses eo usque perducere seriem nobilis alicujus Familiae, nebulas immanes objicit ob Historiarum ac monumentorum penuriam. Quod & ego experientiâ didici in adornanda splendidissimae Familiae Atestinae Genealogia. Neque sane felicius processit Benevenutus noster in investiganda origine Marchionum Montis-ferrati. In syrtes Seculi Decimi ipse quoque dilapsus, fabulas quidem Fratris Jacobi Aquensis judiciose disjecit, non alium tamen nobis antiquiorem *Alderamo* ostendere potuit, qui ab Anno Christi DCCCCXXXVIII. usque ad DCCCCXCV. floruisse dicitur. Neque difficultatibus carent, immo ne fabularum quidem immunia sunt ea ipsa, quae de Alderamo traduntur, ac de illius filiis. Inter cetera expungendum est, quidquid de Bonifacio I. Marchione ibi scriptum offendes: quem uti Alderami filium primogenitum, & in regimine Marchiae successorem, Benevenutus opinatus est. Errori, utique condonando, caussam praebuit vitiosus Arnulphi Mediolanensis Historici textus, qui Lib. 3. Cap. 3. scribit, *Marchionem Montis-ferrati Bonifacium, dum nemus transiret opacum, insidiis ex obliquo latentibus venenato confixum fuisse jaculo*. Ab hoc ipso textu seductus & ego in Antiquitatum Estensium Cap. XXVI. pag. 261. intrepide statui, floruisse Seculo Undecimo *Bonifacium Montis-ferrati Marchionem*; & subinde miratus, quei Scriptores alii tradiderint, *Bonifacium Marchionem Tusciae*, Comitissae Mathildis patrem, iisdem diebus viventem, Anno ipso MLII. consimili morte periisse, nodum intuebar, neque rationem solvendi inveniebam. At nunc repetendum mihi est, quod antea animadverti in Praefatione ad ipsius Arnulphi Historiam, a me editam Tomo IV. Collectionis hujus. Scilicet, *Marchionem Montis-ferrati Bonifacium*, decurrente Seculo Undecimo, numquam in rerum natura fuisse, eoque minus venenato jaculo transfixum Anno MLII. vivendi finem fecisse. In MSto Codice Arnulphi, quem Estensis Bibliotheca adservat, ejus vetustatis, ut reliquos ejusdem Historiae Codices post se relinquat, de *Marchione Bonifacio* eadem habentur; sed *Montis-ferrati* mentio nulla ibi occurrit: quam vocem quisquam male feriatus sciolus in Mediolanenses Codices intrusit. Quare certissimum deinceps futurum est, unum *Bonifacium Marchionem Tusciae* Seculo Undecimo celebrem in Burgundica expeditione Conrado I. Augusto suppetias tulisse (quod & Donizo in Vita Comitissae Mathildis disertis verbis nos docuit), ipsumque, & non alium, venenato ferro confossum Anno MLII. in Mantuano agro e vivis fuisse sublatum: quod ejus Urbis monumenta, & Bertholdus Constantiensis memoriae prodiderunt. Quae vero de subsequentibus Montis-ferrati Marchionibus Benevenutus tradit, aut supplenda aut corrigenda sunt ex iis, quae a Bernardo Thesaurario, Sichardo Cremonensi, aliisque Historicis in Collectione ista comprehensis nobis suppeditantur.

Quis autem fuerit *Benevenutus de Sancto Georgio*, hujus Historiae Auctor, paucis accipiat Lector. Prodiit ille ex illustri & celebratissima Familia Comitum Blandratae, cujus honorificam mentionem habemus in Historia Friderici I. apud Ottonem Frisingensem, Gualvaneum de la Flamma, Azarium Novariensem, aliosque veteris aevi Historicos; & quae adhuc Augustae Taurinorum, aliisque in locis splendorem antiquae Nobilitatis servat & auget. Dominabatur olim praestantissima prosapia haec Oppido Blandratae, Castello Sancti Georgii, Valli Sessiti, & Oscelae. In tres postea lineas divisa est. A Foliso alii cognomentum sumsere, alii a Rocha, alii a Balangero. Folisia *Benevenutum* nostrum peperit, *de Sancto Georgio* appellatum, quod in sua ditione Castellum illud haberet, ad Comitatus honorem postea evectum a Carolo V. Augusto Anno MDXXIII. Propterea Vassallus Marchionum Montis-ferrati Benevenutus fuit, eisque summe carus. *Comitis Blandratae* agnomen quoque ex antiquo Majorum suorum jure retinuit. Patrem habuit Johannem de Sancto Georgio, splendidum in Canapicio procerem; atque inter Equites Sancti Johannis Hierosolymitani cooptatus, simulque nobili Commendâ, ut ajunt, auctus,

Digitized by Google

ductus, arma quidem tractavit, Literarum tamen ſtudia militiae praepoſuit. Erat in illo ſingularis prudentia, atque ſagacitas cum naturali eloquentia conjuncta, rara quoque publicarum rerum ac Juris peritia. Quare nil mirum, ſi a Marchionibus Montis-ferrati plurimi facti, Praeſes tamdem Senatus Caſalis Sancti Evaſii conſtitutus fuerit: qua in Urbe erat ipſorum Marchionum ſedes. Quum vero Bonifacius Marchio e vivis decedens filios impuberes reliquiſſet, delectus fuit Benevenutus noſter ad eorum Principum curam atque tutelam, ſimulque ad provinciae illius regimen: quo in munere non mediocrem laudem conſequutus fuit. Complures etiam legationes obivit ad Alexandrum VI. Papam, ad Maximilianum Auguſtum, atque ad alios Principes, quibus prudentiam ſuam in pertractandis graviſſimis negotiis mirum in modum probavit. Verum publica haec munera, & tanta negotiorùm moles minime obſtitit, quin Benevenutus pergeret Literas excolere, & nobile relinqueret eruditionis ſuae ſpecimen. Scilicet Hiſtoriam geminam Marchionum Montis ferrati compoſuit, ad primam Latino, ad alteram Italico ſermone uſus. Priori hunc titulum fecit: *Montis-ferrati Marchionum & Principum regiae propaginis, ſucceſſionumque ſeries nuper elucidata*, eamque Anno MDXVI. publici juris fecit in Civitate Aſtenſi. Deinde vero cum acceſſionibus rurſus haec evulgata fuit Trini (non vero Taurini) vulgo *Trino*, Oppido Ducatus Montis-ferrati, Anno MDXXI. Eamdem Hiſtoriam fulius idem Benevenutus Italicis literis conſignavit, quae pluribus poſt ejus mortem annis, ut ſupra indicavi, deducta in lucem, ea ipſa eſt, quae idem nunc, & fortaſſe majus, beneficium a me eſt acceptura. Multiplicem quippe errorum ſegetem illapſorum in priorem editionem ſuſtuli; & curavi, ut comtior quam antea e manibus meis exeat Benevenuti fœtus. Denique moneo de Scriptore illo multa haberi in Hiſtoria Montis-ferratenſi Fulgentii Alghiſii ex Ordine Sancti Auguſtini Part. II. Lib. III., eumque inter Scriptores Novarienſes adnumeratum fuiſſe a Lazaro Auguſtino Cotta Auctore Muſei Novarienſis; ſimulque inter Scriptores Pedemontanos a Roſſotto, & ab Eccleſia referri. Poſtremi etiam addunt, exiſtere Benevenuti Opuſculum numquam editum *de Origine ſuae*, videlicet Blandratenſis, *Familiae*.

Digitized by Google

Digitized by Google



RAGIONAMENTO
FAMILIARE
DELL' ORIGINE, TEMPI, E POSTUMI DE GL' ILLUSTRISSIMI PRINCIPI, E MARCHESI DI MONFERRATO,

RACCOLTO

PER BENVENUTO DI S. GIORGIO,

Conte di Blandrate, Cavaliere Geroſolimitano, Preſidente del Senato dell' Illuſtriſſimo Principe Signor Guglielmo Ottavo Marcheſe di Monferrato, ec.

In onore di Sua Eccellenza, e certificazione de i diſcendenti ſuoi.



Volendo parlare de' tuoi magnanimi, e degniſſimi antenati, Illuſtriſſimo Principe: *Quia remoto Deo, cœleſtique doctrinâ, erroribus plena ſunt omnia*, nel primo ingreſſo mi ſi offeriſcono alquanti erronei paſſi, tanto confermati nell' opinione, non ſolo de' volgari, ma ancora d'uomini illuſtri ed eccellenti, che quantunque fiaſi loro dimoſtrato, quanto hanno ſcritto Frate Giacomo d'Acqui, Fra Giacomo Filippo Bergomenſe Eremitano nel ſupplemento ſuo delle Croniche, Marco Antonio Sabellico, il Biondo, Raffaello Volaterrano, A & Giorgio Merula Aleſſandrino, della Peregrinazione del Padre di Aleramo, della natività, educazione, inſtituzione, e fortune del figliuolo, tutto eſſer favoloſo, e finto; e parimente ſia loro comprobato, che il Marcheſe Guglielmo padre di Bonifacio II. non fu il primogenito di eſſo Aleramo, a fatica vorranno ſottometterſi alla verità. Nondimeno non tralaſcierò di manifeſtarla collo ſcudo, & autorità d'un' autentico Privilegio di Ugone, e Lottario Regi d'Italia, e dell' inſtrumento della donazione fatta per Aleramo, e Gilberga ſua prima moglie all' Abbazia di B Grazano, regnante in Italia Berengario padre, & Alberto fratello di eſſa Gilberga, e della confirmazione ad Aleramo conceduta da Ottone primo Imperatore dell' eredità paterna; la quale tutta conſiſteva in Monferrato, & in diverſi luoghi dell' Italico Regno, con aggiunta, e ſcorta dell' Iſtoria di Henrico Primo, con la quale ci condurremo per

Digitized by Google

inſino al II. Ottone ſuocero ſecondo di Aleramo. E ſucceſſivamente ſeguendo gl' Iſtorici inſegnamenti, e l'ordine de' tempi, ci faremo domeſtici de' procedenti da loro, per fin che di grado in grado pervegniamo alla luce tua; la quale il Sommo Fattore ſi degni illuſtrare e ſublimare, tanto quanto è il deſiderio mio, e di qualunque tuo affezionato ſervitore. e preſtarti grazia, che tu vedi con felice ſtato i figliuoli de' figliuoli tuoi, e la pace ſopra il calamitoſo Ciſmontano Iſraele.

Dicono gli Autori di ſopra nominati, che per alquanti anni, avanti che Ottone I. Imperatore foſſe domandato da' principali d'Italia per abbaſſare la ſuperbia di Berengario IV. e d'Alberto ſuo figliuolo, i quali attribuendoſi il nome d'Imperatore tiranneggiavano eſſa Provincia, un nobiliſſimo Todeſco per nome Aleramo, violando Alaſia figliuola dell' Imperatore, la conduſſe in Albenga, ed ebbe con lei, l'uno dice quattro figliuoli, e non afferma del quinto; l'altro ſcrive tre: i quali nominò Ottone, Bonifacio, e Guglielmo; E giunto l'Imperatore in Italia, Aleramo, e la moglie col mezzo del Veſcovo d'Albenga furono reſtituiti nella grazia Imperatoria; onde fu coſtituito Marcheſe di Monferrato così nominato, perchè anticamente nella ſommità d'un certo Monte vicino a Creta, contigua al fiume Pò vi abitava un Ferrajo, che diſſegnò a quello Stato per confine dal fiume della Valle d'Orba per inſino al Pò. Dalla banda di quà fin' all' Alpi andando per terra inſino alla Provenza, eccetto gli altri Contadi, e pel lito maritimo, che s'eſtende al Caſtello di Vulturno; Ed ingegnandoſi di dare maggior' ornamento, grazia, e credito alle narrazioni loro, v'hanno applicate le ſtomacoſe ſciocchezze, che leggendo ſi vedranno. Et in primis, Frate Giacomo d'Acqui teſſendo l'invenzione ſua comincia come ſegue.

„ De Henrico Primo de Saxonia legitur in „ diverſis Chronicis, quod fuit Imperator; „ tamen, ut patet veritas, non fuit Imperator Romanorum coronatus per Eccleſiam, „ ſed ſolum fuit Rex Alamanniæ, & Lombardiam cum parte Italiæ tenuit de facto, „ & non de jure, & ideo non ponitur in numero Imperatorum quantum ad Coronam, „ licet ſcribatur Henricus Primus, qui dicitur Imperator Rom. &c. Iſte Henricus regnavit in Alamannia, & tenuit Italiam annis XVI. & poſtea

„ Anno Jeſu Chriſti DCCCCX. ab Urbe „ condita MDCXLIII. imperat in Roma Otto „ Primus filius Henrici Primi quondam Regis Alamanniæ de Saxonia annis XII. & „ iſte Otto dicitur Primus Otto Imperator „ verus.

„ Berengarius Rex IV. cognominatus Otto „ regnavit ſuper Italiam annis XI. cum filio „ ſuo Alberto, & ſicut tyrannus Lombardiam „ tenuit ſubjugatam, & tempore Ottonis Imperatoris, & antequam Otto prædictus haberet Imperium; & prædictus Berengarius „ aliquando fuit in gratia Ottonis, & aliquando non. Tamen Imperator Otto non vult, „ quod Berengarius ſit Rex in Marchia Triviſana, nec in Verona, nec in Aquilegia; „ alibi autem ſit per totam Lombardiam. „ Tamen iſte Berengarius fuit multum gravis & odioſus apud Lombardos, & illum „ nolunt habere in Dominum. Et ideo Papa, „ qui eumdem Ottonem coronavit, unà cum „ Lombardis rogant Imperatorem, quod prædictum Berengarium de Regno Italiæ deponat; & ſic precibus Papæ Imperator Berengarium Regem de Regno depoſuit, & ſic „ finitur Regnum Berengariorum.

„ Anno Jeſu Chriſti DCCCCXXII. ab Urbe „ condita MDCLV. imperat in Roma Lotharius annis II. cognomento Otto, cujus uxor „ fuit nobilis Donna Dalvida pulcherrima, „ ſapientiſſima, & ditiſſima, quam multum „ afflixit prædictus Rex Berengarius Italicorum IV. cognomine Otto.

„ Anno Jeſu Chriſti DCCCCXXIV. ab Urbe „ condita MDCLVII. imperat in Roma Otto „ III. annis XVII. ſecundum aliquos, ponendo Ottonem tyrannum, qui fuit tempore „ Veſpaſiani, pro Primo. Et iſte Imperator „ Otto fuit multum plenus pecunia, antequam eſſet Imperator, dum eſſet in Alemannia; Et ideo propter malum ſtatum „ Eccleſiæ tempore Joannis Papæ XIII. à Cardinalibus clam vocatus, ut neceſſitati Eccleſiæ Romanæ ſubveniret, ſibi Imperium „ promittunt, & dant. Et ipſe iter faciens „ per Lombardiam, & Tuſciam venit Romam, ubi à Papa, à Cardinalibus, & à Populo Romano honorificè ſuſceptus eſt, & „ ibi diadema Imperii ſuſcepit, & multa „ dona, & maxima Eccleſiæ donavit, & in „ Imperio laudabiliter, & honorabiliter multo tempore vixit, & vacavit Imperium annis multis.

„ Anno Jeſu Chriſti DCCCCXL. ab Urbe „ condita MDCLXXIII imperat in Roma Otto „ IV. de Ottonibus Imperatoribus XXX. Hic „ Romam veniens à Papa Gregorio V. coronatus eſt. Mox ordinata Italia per Galliam „ in Saxoniam vadit; Creſcentius verò Conſul de Roma turpiter expulit Gregorium „ Papam, qui Imperatorem prædictum coronaverat, & quemdam Joannem Græcum „ Epiſcopum Placentinum pecunioſum in Papam ordinavit. Quod ut audivit Imperator „ IV. prædictus de Saxonia in furore reverſus „ eſt Romam; Creſcentius verò Conſul prædictus ſe recollegit cum multis in Caſtro „ S. Angeli in Roma propter Imperatorem. „ Imperator verò obſidionem ponit circa Caſtrum, donec illud accepit, & Creſcentium „ Conſulem decapitavit; Epiſcopum autem, „ qui Papatum acceperat, exoculavit, & prædictum Papam Gregorium ad Papatum reduxit maximo cum honore. Uxor autem „ Imperatoris prædicti vocata eſt Lombarda, „ de qua genuit filium, quem Ottonem V. „ vocavit, ſibi in Imperio ſucceſſorem, & „ filiam pulcherrimam nomine Alax, quam „ fugavit Aleramus Teutonicus ſanguine, & „ Lombardus natione. De quibus duobus, „ ſcilicet Aleramo, & Alax, nati ſunt primi „ Marchiones Montis-ferrati, ſicut dicetur infra. Filius autem Imperatoris Otto V. accepit uxorem filiam Imperatoris Conſtantinopolitani, & tempore ſuo eſt tota Italia „ in pace, & principium Marchionatus Montis-ferrati in Lombardia incœpit de filia ſua „ nomine Alax.

Fatto adunque quanto ſopra eſſo Frate Giacomo, ſeguendo la narrazione ſua ſcrive nel ſeguente modo,

„ Anno Jeſu Chriſti DCCCCXXIV. imperante in Imperio Romano Ottone IV. iſtius „ nominis Imperatore, quidam nobilis de „ Alamannia, cujus nomen apud modernos „ igno-

„ ignoratur, unà cum uxore ſua peregrinando
„ venit in Lombardia, volentes Romam ire
„ devotionis cauſsâ, & eques cum comitiva
„ decenti perveniunt Sezadium Lombardiæ
„ Aquenſis Diœceſis: Tunc enim in Villa
„ prædicta Sezadii habitabant, qui habebant
„ ejus dominium, & etiam in Spigno, & in
„ magna parte illius contratæ. Uxor autem
„ nobilis prædicti peregrini Teutonici exiſtens
„ gravida in Sezadio, appropinquavit partui,
„ & peperit filium maſculum pulcherrimum,
„ quem multi nobiles tenentes, & illum ba-
„ ptizantes, Aleramum denominaverunt, di-
„ centes, Deus in tua peregrinatione gaudium
„ tibi dedit. Et poſt modicum, quia ipſi pa-
„ rentes pueri Alerami inde tranſire volebant,
„ & facere peregrinationem ſuam, filium ſuum
„ Aleramum cum nutrice de lingua ſua di-
„ mittunt, donec revertantur de Roma. Va-
„ dunt pater, & mater Alerami Romam;
„ puer autem cum nutrice remanet in Seza-
„ dio; ambo in Roma infirmati moriuntur.
„ In Sezadio puer Aleramus creſcit, & dum
„ eſt annorum trium, nutrix ipſius Teutonica
„ moritur; Et quia puer erat pulcher, & no-
„ bilis, expenſis Communitatis alteri nutrici
„ traditur nutriendus. Factus eſt Aleramus
„ puer pulcher, & magnus quindecim anno-
„ rum, & factus eſt ſcutifer cujuſdam nobilis
„ Dominorum de Sezadio, & quia erat juve-
„ nis gratioſus, fecit eum quaſi filium ſuum,
„ & factus eſt Aleramus licet juvenis bonus
„ miles.

„ Civitas Brixienſis Lombardiæ, quæ ſæpe
„ fuit moleſta Imperatoribus, Ottoni Imperatori IV. rebellat; facit Imperator contra
„ Brixiam magnum exercitum. Mittitur Ale-
„ ramus pulcher miles ad exercitum Imperatoris pro Communitate Sezadii, quia ſic petiit Impetator à Dominis illius loci, quod
„ pro parte ſua provideant de uno milite.
„ Vadit Aleramus eques ad exercitum Imperatoris in omnibus benè ornatus, & ſe repræſentat coram Imperatore in exercitu ſuper Brixiam, repræſentando honorem Dominorum Caſtri, & Villæ Sezadii, quem
„ ut vidit Imperator, multum miratur de facundia, & phiſonomia Alerami, & interrogat Aleramum, unde ſit. Qui audacter reſpondit Imperatori, dicens: ſanguine ſum
„ Teutonicus, ſed natione, & nutritione
„ Lombardus, quia de patre, & matre Teutonicis genitus, natus autem, & nutritus
„ in Sezadio Lombardiæ Epiſcopatus Civitatis Aquenſis. Imperator autem, qui erat de
„ ſanguine Teutonico, motus corde cœpit
„ Aleramum diligere, & eum ſtatim jubet eſſe
„ de familia ſua, & illum militem faciens vult
„ Imperator, quod ſibi de ſcypho in menſa
„ ſerviat; & factus eſt Aleramus miles, &
„ pincerna Imperatoris Ottonis IV. iſtius no-
„ mine videlicet Romanorum. Tamdem Ale-
„ ramus ab Alax filia Imperatoris diligitur,
„ & etiam Aleramus filiam Imperatoris amore
„ maximo dilexit. Et convenientes ſimul
„ ambo de Curia Imperatoris fugiunt, & cum
„ duobus equis, uno albo, & uno rubeo fu-
„ gientes perveniunt ad Alpes Comitatus Al-
„ binganenſis. Alias enim Aleramus cum
„ Domino ſuo, cujus erat ſcutifer in Sezadio,
„ fuerat cauſa venationis in illis nemoribus;
„ & dubitans, ne perquireretur, elegit locum
„ illum habere magis occultum, ut cum præ-
„ da ſua melius poſſit latere. Eſt enim in il-

A „ lis nemoribus quidam locus altiſſimus, &
„ deſertus, qui vocatur Petra Ardena. Et per-
„ venientes ambo illuc, vix puellam poſuit
„ in cacumine illius Montis, & de lignis, &
„ aliis arbuſculis fecit habitaculum, ut melius
„ potuit; & ſic ſtantibus ambobus in illo Mon-
„ te de Petra Ardena, duxit Aleramus unum
„ de equis Albinganam, & illum vendidit, &
„ alium ſibi retinuit. Et Alax ſibi deſponſa-
„ vit in uxorem, quæ de Aleramo concepit,
„ & filium unum peperit, quem ex nomine
„ Imperatoris ſoceri ſui Ottonem denomina-
„ vit. Conſumtis omnibus, quæ ſecum porta-
„ verant, Aleramus cœpit facere carbonem
„ in illo nemore, & portare ſuper equum,
B „ quem ſibi retinuit, Albinganam ad venden-
„ dum; & caſu carbonem vendidit coquo Epi-
„ ſcopi Albinganenſis, & hodie, cras, &
„ ſemper, & factus eſt coqui Epiſcopi Alera-
„ mus familiaris, & hoc per multos annos.
„ Poſt modicum natus eſt Aleramo filius ſe-
„ cundus in nemore, quem vocavit Bonifa-
„ cium. Tertium genuit Aleramus, quem
„ denominavit Gulielmum, & iſte habuit bo-
„ num corpus inter alios. Præterea generavit
„ Aleramus filium quartum, quem vocavit
„ Theten. Dicitur etiam, quod generavit
„ filium quintum, qui non crevit, ſed mor-
„ tuus eſt puer. Dum Otto filius Alerami pri-
„ mogenitus eſſet annorum duodecim, duxit
C „ eum ad Curiam prædicti Epiſcopi, & quia
„ adoleſcens videbatur eſſe, & erat juvenis
„ gratioſus, fecit eum Epiſcopus ſcutiferum
„ ſuum. Erat ipſe adoleſcens pulcherrimo
„ aſpectu, totus enim erat ſimilis Imperatori
„ Ottoni. Aleramus autem, & cum carbone,
„ & ſine, modò propter filium venit frequen-
„ ter Albinganam ad Curiam prædicti Epiſcopi.
„ Dum autem prædicta agerentur, iterum
„ Brixienſes rebellant Ottoni Imperatori IV.
„ prædicto, & parat Imperator facere exerci-
„ tum contra eos, & mittit pro omnibus Vaſ-
„ ſallis, & maximè pro Prælatis Eccleſiarum,
„ & Epiſcopis, qui terram tenent in fidelitate
„ ab Imperio Romano; & inter ceteros parat
D „ ſe Epiſcopus Albinganenſis ire Brixiam ad
„ Imperatorem. Vocat coquus Epiſcopi Ale-
„ ramum carbonerium, & dicit, quod ſi vult
„ ire ſecum ad exercitum, & eris ibi mecum
„ in coquina, & me juvabis; & vadit Alera-
„ mus cum coquinario, ipſe, & Otto filius
„ ejus, qui erat factus ſcutifer prædicti Epi-
„ ſcopi, & perveniunt ad exercitum contra
„ Brixiam. Fecerat enim coquinarius ſibi
„ arma ſingularia, & vexillum exornatum cum
„ ſignis coquinæ intus, ſcilicet cum lebetis,
„ patellis, & catenis ad ignem, omnia nigra
„ in campo albo, & etiam habebat unum bo-
„ num equum, & fortem. Et dum ſic eſſent
„ in exercitum ſuper Brixiam, milites Bri-
E „ xienſes cum maxima virtute aggrediuntur
„ exercitum Imperatoris, & in tantum hodie,
„ & cras moleſtant exercitum, quòd unâ die
„ facti ſunt tantæ virtutis, & audaciæ, quod
„ vadunt uſque ad papilionem Imperatoris,
„ & coactus eſt Imperator fugere cum ſuis
„ Baronibus ferè per quinque miliaria. Tunc
„ Aleramus videns, quæ fiebant, & dolens de
„ verecundia Imperatoris, ſtatim currens ac-
„ cepit arma coquinarii, & equum, & ve-
„ xillum cum ſignis coquinaribus, & ſeipſum
„ cum filio ſuo Ottone ſcutifero Epiſcopi, qui
„ tunc erat annorum ſexdecim, & jam ſatis
„ bene equitabat, ſe omnibus militibus Bri-

xien-

Digitized by Google

„ xienſibus oppoſuit, & viriliter cum eis præ-
„ liatur. Quod videntes multi alii milites,
„ adduntur Aleramo, & ſic Aleramus cum
„ filio ſuo Ottone ſcutifero, qui vexillum por-
„ tabat, & aliis multis, totam Brixienſium
„ militiam ponunt in fugam, perſequuntur uſ-
„ que ad portam Civitatis; & hæc victoria
„ attribuitur militi, qui habebat vexillum
„ cum inſignibus coquinaribus. Nullus autem
„ novit adhuc, quis ſit miles iſte, qui facit
„ hanc victoriam, & qui habet tale vexillum,
„ & alia arma.

„ Alterâ autem die exeunt Brixienſes de
„ Civitate, & occurrunt uſque ad papilionem
„ Imperatoris. Aleramus verò cum filio ſuo
„ Ottone, qui portat vexillum, ſe oppoſuit
„ Brixienſibus, & illos inſequitur uſque ad
„ portam Civitatis, & modò currit fama ge-
„ neralis per exercitum de iſto milite. Petit
„ Imperator, quis ſit iſte miles, qui tanta fe-
„ cit, & non cognoſcitur, niſi quod Epiſco-
„ pus Albinganenſis audit illum eſſe famulum
„ coqui ſui. Vocatur coquus, ducitur Alera-
„ mus famulus, & Otto filius ad eum. Tunc
„ ſecreto Epiſcopus loquitur Aleramo, qui
„ vocabatur carbonerius, & vult ab eo ſcire,
„ quis eſt. Aleramus autem manifeſtat ſe
„ Epiſcopo, quod ſum ille Aleramus, qui tali
„ tempore fui furatus Alax filiam Imperatoris
„ Ottonis, de qua habeo tres filios in nemore
„ Petræ Ardenæ cum matre eorum. Quod
„ cum audiſſet Epiſcopus, vadit ad Imperato-
„ rem, & petiit ab eo ſecretum; qui promit-
„ tit, & ei totum per ordinem ſub fiducia
„ ſecreti dicit de Aleramo, qui prædicta fecit
„ Imperatori; dicens quod habet quatuor ma-
„ ſculos, quorum unus eſt hic, & ipſe miles
„ probabiliter contra Brixienſes fecit tres ta-
„ les victorias. Placatur Imperator, & parcit
„ Aleramo; vocantur omnes. Epiſcopus ſta-
„ tim Aleramum, Alax uxorem Imperatoris
„ filiam, cum quatuor filiis omnibus optimè
„ veſtibus ornatis, ſcilicet Ottone, Bonifa-
„ cio, Gulielmo, & Thete cum comitiva du-
„ cit ad Imperatorem. Quos omnes Imperator videns, & flens recepit. Imperatrix autem, ut vidit filiam, ſtatim cecidit ſemianimis, quam Imperator confortans ad ſe reverſa eſt. Imperator autem filios Alerami militis omnes quatuor accinxit in milites, & factum eſt maximum gaudium per multos dies in Curia Imperatoris, & in toto exercitu Civitatis Brixiæ. Et ſtatim ut Imperator accinxit filios Alerami in milites, dedit eis vexillum militiæ, & inſignia bauzani coloris rubei, & albi, quæ eſſe debent in probitate, maximè omnium exeuntium de ſemine Alerami.

„ Poſt paucos autem dies Otto filius Alerami cum aliquibus ſociis vadit, ignorante patre, ex alia parte Civitatis Brixiæ, ſicut probiſſimus juvenis, ut poſſit damnum inferre Brixienſibus. Aleramus autem cum militia ſibi commiſſa etiam exiit de exercitu verſus murum, ſi poſſet invenire aliquos Brixienſes extra Civitatem, & ſic ſæpe exibant. Et dum vadit fortiter cum ſociis armatus, vidit Ottonem filium ſuum cum ſociis ſuis, & non cognoſcens eum, cum impetu cucurrit ad illum; Et Otto probiſſimus verſus patrem, & quilibet credebat contra Brixienſes pugnare. Tamdem Aleramus fortior filio de equo lancea deponens filium proprium ignoranter occidit.

„ Quo mortuo alii juvenes, qui erant ſocii
„ Ottonis, verſus exercitum fugam accipiunt,
„ omnes currunt. Quæritur, quis mortuus
„ eſt, invenitur Otto filius Alerami lanceâ
„ patris transfixus; dolor maximus, & plan-
„ ctus incredibilis fit in toto exercitu, & Cu-
„ ria Imperatoris; ſtat Imperator triſtis, &
„ non poterat conſolari.

„ Poſt aliquot dies ab Imperatore devinci-
„ tur Civitas Brixiæ, & omnia ibi ſunt or-
„ dinata. Imperator Otto cum tota Curia
„ ivit Ravennam, fecit Aleramum Marchio-
„ nem cum tota poſteritate ſua, & eidem
„ dedit totam terram, quæ eſt à flumine
„ Vallis Urbæ, per ripam Padi fluminis ul-
„ tra Tanarum per tranſverſum ex confini-
„ bus Provinciæ, exceptis aliis Communita-
„ tibus, & per littus maris, uſque dum per-
„ veniatur Vulturum; & dicitur quod Ale-
„ ramus in tribus diebus naturalibus totam
„ terram illam equitando pertranſivit, ita
„ quod ſecunda die equus ſuus mortuus eſt
„ in Monte, ubi dictum eſt *Equus mortuus*.
„ Aleramus, antequàm eſſet gener Ottonis
„ Imperatoris IV. habebat arma Dominorum
„ de Sezadio, ſcilicet campum album cum
„ ſtella rubea, ſed factus Marchio arma
„ mutavit.

Queſta è tutta la diſtinta narrazione di Frate Giacomo d'Acqui, circa la quale qualunque deſideroſo d'intendere la verità dell' origine della glorioſa Caſa di Monferrato, deve notare, ed avere avvertenza, che ad Arnolfo Settimo Re di Germania, il quale fu l'ultimo Imperatore della proſapia di Carlo, ſuccedette Lodovico Ottavo ſuo figliuolo. A Lodovico, Conrado Primo Duca d'Auſtria l'anno DCCCCXIH. A Conrado Primo, Enrico Primo Saſſone l'anno DCCCCXX. Ad Enrico Primo, Ottone primo ſuo figliuolo l'anno DCCCCXXXVIII. al tempo di Giovanni XI. e di Leone VII. Pontefici, regnante in Italia Ugone, e Lotario ſuo figliuolo. A Ottone Primo, Ottone Secondo ſuo figliuolo l'anno DCCCCLXVIII. & a Ottone Secondo Ottone Terzo ſuo figliuolo l'anno DCCCCLXXXV. E perche della Caſa di Saſſonia furono ſucceſſivamente tre Imperatori di queſto nome Ottone, dice il verſo trito appreſſo de' Germani: *Otto, poſt Otto, regnavit Tertius Otto*; perilche conferendoſi i predetti tempi, col conto di Fra Giacomo, ſeguiterebbe, che Alaſia moglie di Aleramo foſſe ſtata figliuola di Ottone Terzo Imperatore commutato per lui in Ottone Quarto, e che eſſo Ottone Terzo aveſſe creato Aleramo con la poſterità ſua Marcheſe di Monferrato: il che è riprenſibile, e falſo, come manifeſterà la lettura del privilegio d'Ottone Primo, che leggendo ſi troverà.

E queſto baſti quanto alla riprovazione di Fra Giacomo d'Acqui.

Abbiamo adeſſo ad eſaminare, quanto ha ſcritto Fra Giacomo Filippo Bergomenſe Eremitano, poco e male inſtrutto dell' origine dell' Illuſtriſſima Caſa di Monferrato nel ſupplemento ſuo delle Croniche, in Ottone Secondo, le cui parole ſon queſte.

„ Aleramus itaque primus prædictæ origi-
„ nis Marchio fuit; qui ut multorum rela-
„ tio fert, Saxoniæ Ducis filius extitit, qui-
„ que & hoc modo hac tempeſtate ſui Prin-
„ cipatus fundamenta jecit, atque in eo no-
„ vem annis regnavit. Nam ipſe Aleramus

„ Saxo-

Digitized by Google

„ xoniæ Ducis unicus gnatus fuit : cujus pa-
„ ter Chriſtianiſſimus exiſtens etiam , tam
„ morum, quàm Principatus dignitate præcel-
„ lebat. Qui cum prole careret unà cum con-
„ juge ſua , quæ ſibi Divinâ providentiâ tam
„ morum , quàm nobilitatis ſublimitate fue-
„ rat ſociata , Divum Jacobum Apoſtolum
„ ſibi in præcipuum & ſpecialem advocatum
„ delegerunt. Voveruntque eidem , ſi filium,
„ aut filiam impetrare dignaretur, quod San-
„ ctas ipſius reliquias in Hiſpania viſitarent.
„ Voto quoque emiſſo , Divina clementia
„ precibus eorum non defuit . Nam piiſſimi
„ Apoſtoli aures à juſtorum petitione non
„ defuere; ſed eorum vota Deus ex alto pro-
„ ſpiciens , ipſorum petitiones effectui man-
„ davit; & ſtatim uxor concepit. Cumque
„ Dux ipſe uxorem gravidam præſenſiſſet, di-
„ ſpoſitis Regni ſui rebus , unà cum ipſa
„ uxore prægnante ad perficiendum , quod
„ voverant, iter arripuit. Dum autem in Ita-
„ liam perveniſſent, non procul ubi nunc eſt
„ Alexandria Civitas , uxor filium peperit
„ maſculum , quem Aleramum in Baptiſmo
„ nominavit. Exactoque menſe ibidem filium
„ cum nutrice , & aliis complurimis ſuis pro-
„ ceribus, qui infantuli curam gererent, di-
„ miſerunt , atque ita cœptum iter arripue-
„ runt . Dumque omnes limina Sanctiſſimi
„ Apoſtoli inviſiſſent, tam pater , quàm ma-
„ ter in reverſione defecerunt, orbuſque par-
„ vulus factus , etiam cum parentibus Re-
„ gnum pariter amiſit. Educatus nihilominus
„ Aleramus ipſe procerum, & pædagogorum
„ ſuorum monitis , & exemplis in omnibus
„ virtutibus egregius tamdem effulſit . Erat
„ quippe in primis pulcher aſpectu , facie læ-
„ tus , ſocietate , & moribus delectabilis , col-
„ loquioque ſuavis , & omnibus virtutibus
„ ornatus . Ipſum igitur nondum pubeſcentem
„ ob innumeras ejus in omni genere virtutes
„ Ottoni II. nondum Auguſto pædagogi ſui
„ obtulerunt . Quem ſtatim Imperator ipſe
„ Alaſiæ ejus filiæ inſtitutorem, & magiſtrum
„ dedit. Erat autem Alaſia ipſa, ut ita dixe-
„ rim, adhuc infantula, quæ cum pubertatis
„ annos attigiſſet, capta magiſtri ſui amore ,
„ illum precibus, & lacrymis ſolicitare cœ-
„ pit, ut illam furtim ſibi duceret uxorem .
„ Metuebat autem ipſa Alaſia, ne pater ipſam
„ alteri in conjugium traderet. Ipſius autem
„ precibus Aleramus tamdem permotus , Deo,
„ ac Beato Jacobo ſic volentibus , mutatis
„ veſtibus adoleſcentulam clanculum è Regia
„ abduxit, atque ita ipſam uxorem accepit .
„ In Alpibus verò maritimis agri Albinganen
„ ſis confugientes , tamdiu ibidem in deſpe-
„ cto habitu delituerunt, donec tres genuere
„ filios. Poſtremò ab Epiſcopo Albinganenſi
„ cognitus, ejus interceſſione, ac meritis Bea-
„ tiſſimi Jacobi Apoſtoli in paternam gratiam
„ ipſa Alaſia cum viro ſuo Aleramo recepta
„ eſt, quibus Imperator ipſe tunc Auguſtus
„ factus in Italiam optimam regionem poſſi
„ dendam conceſſit , cui Montis-ferrati no
„ men impoſuit , cujus , ut præmiſſum eſt,
„ fines ſtatuerat Imperator ipſe, ut ex una
„ parte Padus, inde Appeninus, & mare Li-
„ guſticum, & ſuperiori in parte Mons Ve-
„ ſulus; & ſic idem Aleramus ab Ottone Au-
„ guſto II. hujuſce regionis Montis-ferrati ,
„ ac totius pænè Pedemontis hoc modo do-
„ minatum accepit, &c.

Ma ſe per Divina permiſſione le anime de

A gli Autori di eſſa narrazione poteſſero venire al colloquio de gli uomini , poſponendo le contrarietà, e diſcrepanze loro l'uno dall' altro, volentieri domanderei col Satirico Poeta: *Dic tamen , unde hæc emis ; haud pudeat dominum monſtrare tabernæ* . Cioè con qual' autentica ſcrittura ſi ſono indotti ad affirmare, e dire, che Aleramo foſſe unico figliuolo del Duca di Saſſonia, e che Alaſia foſſe figliuola del Quarto Ottone, il quale ſecondo la vera computazione ſi ritrova eſſere il Secondo, e fare in lui l'eſordio de i diſcendenti di Aleramo, e d'Alaſia Marcheſi di Monferrato. Che la madre d'Alaſia aveſſe nome Lombarda, e che Aleramo commetteſſe il ratto del-
B la predetta Alaſia, e che da Ottone Secondo otteneſſe il Marcheſato di Monferrato . Con ciò ſia coſa che per la corroborazione, e confirmazione del Privilegio conceſſo ad Aleramo per Ottone Primo, ſi arguiſca tutto l'oppoſito nella ſentenza delle ſuſſequenti parole, le quali formalmente dicono così. *Inſuper confirmamus, & corroboramus ſupradicto Aleramo Marchioni omnes res, & proprietates ſuas, quæ illi advenerunt tam ex hereditate parentum , quam de ſuo aquiſtu* . Et poſtea: *Quod ſi aliquis contradictionem de ſupraſcriptis omnibus , cum eodem, ſuiſque heredibus habuerit , volens objicere, quod inveſtituram inde præterito tempore non habuerit, liceat eidem Aleramo, ſuiſ-*
C *que heredibus per noſtram datam licentiam, & hujus noſtri præcepti conſtitutionem, aut per ſacramenta, aut per pugnam declarare*. Se adunque il padre di Aleramo pel paſſato tempo era ſtato inveſtito da gli antecedenti Imperatori , & aveva poſſeduto nel Regno Italico la regione chiamata Monferrato, e gli altri Dominj ad Aleramo confermati e corroborati per la morte del padre da Ottone Primo Imperatore; dal quale gli era ſtata conceſſa licenza di difenderſi, o per ſacramento, o per pugna contra qualunque perſona, che aveſſe voluto opponere pel contrario : come può ſtare, che ſi partiſſe di Germania per andar' a viſitare per divozione San Pietro di Roma,
D ovvero San Giacomo in Compoſtella per adempire il voto ſuo ; e caſualmente perveniſſe in Italia? Et ancora ſoggiungono della educazione del figliuolo Aleramo , il quale non ſi può meritamente macchiare, che foſſe nodrito in una ſelva, perchè le autorità, ſcritture, e privilegj, i quali nel progreſſo ſi vederanno, non lo conſentono; e manco, che commetteſſe il ratto, & violazione della figliuola dell' Imperatore , del quale memorabil fatto non parlano nè Frate Martino nella ſua Cronica Martiniana, nè il Platina in Agapito Secondo, nè in Giovanni Terzodecimo Pontefici, nè il Biondo nella ſeconda Decade del ſecondo libro, nè nella ſeconda del terzo, nè
„ num, nunc Romanorum, nunc Saracenorum, nunc Græcorum, nunc Latinorum.
„ Et sic semper casibus subalternis Civium
„ suorum peccata deplorat. Nam illud mira-
„ bile est, quod Deus peccatores in terra illa
„ diu non tolerat, puniens in præsenti eos,
„ ne in futurum damnentur. Qualiter autem
„ terra illa ad Latinos pervenerit, & qualiter perdiderint, & qualiter se Mundus totus ad ejus ultionem armaverit, breviter
„ perstringendum est.
„ Cum olim Hierosolymitanam Provinciam
„ Græci, sub quorum ditione fuerat, perdidissent, & longo tempore in potestate Saracenorum exstitissent. Latini de perditione
„ Terræ commoti, collecto exercitu venerunt
„ in terram Hierosolymitanam, & per partes
„ Antiochenas intrantes, volente Domino,
„ Terram recuperaverunt. Horum Principes
„ exstiterunt Gottifredus de Bulion, qui fuit
„ postmodum Dominus Terræ Hierosolymitanæ, & Bayamont, qui Princeps exstitit Antiochiæ, & quidam alii. Cumque postmodum semen Gottifredi in terra illa defecisset, personæ Terræ Hierosolymitanæ, &
„ Barones ad Principes ultramarinos miserunt
„ rogantes, ut ipsis Principem destinarent,
„ qui eos regeret, & furentibus resisteret Saracenis. Qui habitâ deliberatione elegerunt
„ quemdam Fulconem Andegavensem virum
„ strenuum, & Regi Angliæ proximâ lineâ
„ consanguineum, & miserunt illum ad Terram Hierosolymitanam. Hic Rex coronatus strenuè terram rexit, duosque filios dereliquit, Balduinum, & Almericum, quorum primogenitus Balduinus pater succesSit
„ in Regnum, vir strenuus, & sapiens; quo
„ fine liberis decedente, ad fratrem suum
„ Almericum Regni potestas devoluta est;
„ qui ex uxore sua plurimum consanguinea,
„ duos filios habuit, scilicet Balduinum, &
„ Sybillam. A qua uxore cum fuisset judicio
„ Ecclesiæ separatus, accepit neptem Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani; ex
„ qua habuit filiam nomine Isabellam. Mortuo Almerico, Balduinus ejus filius regnat
„ pro eo MCLXVIII. vir strenuus, ac sapiens,
„ & justus; sed occulto Dei judicio leprosus
„ fuit. Hic sororem suam Sybillam Gulielmo
„ de Longaspata cognomine, Marchioni Montis-ferrati tradidit in uxorem, & ipsum Comitem Jopen constituit, qui videlicet Gulielmus ex ea genuit filium nomine Balduinum, Gulielmum. Et mortuus est pater
„ ejus Gulielmus, cognomine Longaspata,
„ vir probus in armis, & placidissimus. Rex
„ verò Balduinus cum esset leprâ infectus, &
„ nollet uxorem accipere, nepotem suum
„ septennem filium Sybillæ, & Marchionis coronavit in Regem, relinquens illum in tutelam Raymundi Comitis Tripolitani; &
„ mortuus est Balduinus, ac appositus ad patres suos. Sybilla vero soror ipsius, & Comitissa Jopes jam nupserat cuidam militi
„ Guidoni de Lusignano viro satis armis strenuo, sed fortunâ & scientiâ satis inferiori.
„ Non post multos verò dies mortuus est Balduinus Gulielmus; Sybilla verò mater pueri, & Comitissa Jopes cum Patriarcha Heraclio, & aliis Terræ personis procuravit,
„ quod sibi, & viro suo Guidoni Regnum
„ daretur; qui coronati sunt, ignorante & irrequisito Comite Tripolitano, qui fuerat à
„ Rege Balduino Regni Procurator, & Ba-
„ julivus constitutus; ob quam causam Co-
„ mes Tripolitanus cœpit ea machinari, quæ
„ possent in Regis dedecus redundare. Et tam
„ ipso, ut dicitur, procurante, quàm etiam
„ nostris peccatis exigentibus, culpâ quoque
„ Raynaldi Principis de Monreal, qui tre-
„ guas,

„ guas, quas Regnum Hieroſolymitanum cum
„ Saracenis habebat, maximâ prædâ captâ con-
„ fregit : irruerunt Saraceni in Regnum Hie-
„ roſolymitanum , & capto Rege , Baroni-
„ bus , & populo univerſo , lignoque Domi-
„ nicæ Crucis, & Hieruſalem hæreditate Dei,
„ Civitatibus, & Caſtellis univerſis Anno ab
„ Incarnatione Domini MCLXXXVII. totum
„ Regnum uſque ad interitionem conſtrave-
„ runt . In quo Regno ſola Tyrus Urbs in
„ corde maris poſita, & fere ab ipſo undique
„ circumdata , excidio perpetrato remanſit ;
„ quam poſtea Conradus de Monteferrato fra-
„ ter Gulielmi , quem ſupra nominavimus ,
„ laudabili ſtrenuitate defendit ; & tam in
„ aqua, quàm in terris Saracenis reſtitit glo-
„ riosè. Prædicti namque excidii dato rumo-
„ re, per Urbem fremuerunt gentes, & con-
„ turbata ſunt regna; venerunt à finibus ter-
„ ræ Tribus Domini liberare ſacrificium ejus
„ de manibus impiorum portantium iniquita-
„ tes in cubilibus ſuis , & de ſua virtute de-
„ ceptoriè præſumentes . Primi ergo injuriæ
„ Chriſti accurrerunt Italici homines bellicoſi,
„ diſcreti, & regulâ ſobrietatis modeſti, pro-
„ digalitatis expertes, parcentes expenſis, cum
„ neceſſitas non incumbit. Et quod inter om-
„ nes gentes ſcriptâ legum ſanctione regun-
„ tur, ii Ducem proprium non habentes, ſed
„ ſuis obedientes, quos elegerunt, Tribunis,
„ ad obſidionem Urbis Accon, cum ipſo Rege
„ Guidone , qui fuerat à vinculis liberatus ,
„ perrexerunt . Eſt autem Urbs Accon, quæ
„ antiquitus Ptolemayda vocabatur, in litore
„ maris ſita , & ab ipſo mari à Meridie , &
„ Occidente præcluſa. Ab Oriente verò terra
„ patet , ex qua parte Urbem rebellantibus
„ Turcis refertam Italici obſederunt , quos
„ poſtmodum Saladinus veniens cum multitu-
„ dine infinita obſedit, crediditque illos pro-
„ pter paucitatem deglutire; ſed miſericordia
„ favente Divina in contrarium ceſſit. Nam
„ paucis diebus evolutis venerunt Dacii, Nor-
„ manni , & Gotti , & ceteri populi Inſula-
„ rum, quæ intus Occidentem, & Septentrio-
„ nem ſitæ ſunt , gentes bellicoſæ , proceræ
„ corpore, mortis intrepidæ , bipennibus ar-
„ matæ, navibus rotundis, quæ Iſaehit dicun-
„ tur, advectæ. Niſi iſti ſuperveniſſent, Chri-
„ ſtiani penitus fuiſſent demoliti. Hi cum ipſis
„ Italicis Urbem obſederunt. Dum hæc apud
„ Accon geruntur, Federicus Imperator Ro-
„ manorum cum exercitu perſpicuo de Theo-
„ tonia egrediens per Ungariam , & Bulga-
„ riam, & deinde per Serviam, & per Mace-
„ doniam, ac Græciam tranſiens in manu for-
„ ti, & brachio extento, in Lichaoniam tranſ-
„ vectus eſt, ibique de Philomena, & Iconia,
„ & aliis Civitatibus gloriosè triumphans .
„ Soldanis , & Turcis rebellantibus domitis
„ devenit in Armeniam , ubi peccatis noſtris
„ exigentibus & promerentibus, dum in æſtu
„ maximo in flumen quoddam, & dicunt qui-
„ dam, quod Ferlim eſt nomen fluminis, la-
„ vandi cauſa deſcendiſſet , mortuus eſt ; &
„ acceſſit damnum inæſtimabile Chriſtianis .
„ Fuit autem Federicus Imperator vir Chri-
„ ſtianiſſimus, bellorum omnium triumphator
„ animoſus in infinitum , familiaris quibusli-
„ bet, victis clementiſſimus, injuriæ oblivio-
„ ſus, ſtaturâ mediocris, corpore ruffus, æta-
„ te longævus, & quod corporis ſtrenuitate
„ non erat inferior, quàm Ducatu regiminis.
„ Huic in regendo exercitu ſucceſſit filius ejus

„ nomine patris ſui , Federicus Dux Sueviæ
„ armis ſtrenuiſſimus . Quo per Armeniam
„ ducente populum ſive exercitum in confinio
„ ipſius Armeniæ, & Syriæ non longe à nobili
„ Civitate Antiochiæ ingens plaga deſævit in
„ Alamannorum exercitu , & vel propter in-
„ temperiem aëris, vel ciborum abundantiam,
„ à quibus ſe temperare neſciverunt, fere om-
„ nes mortui ſunt , ac ſi nollent membra ca-
„ piti ſuo ſupervivere. Ipſe autem Dux Sueviæ
„ cum paucis ad obſidionem devenit , ibique
„ paucis diebus evolutis mortuus eſt. Fuerunt
„ autem in exercitu Imperatoris iſti Princi-
„ pes, & Barones , Dux Sueviæ , Dux Ber-
„ toldus Maraviæ, Epiſcopus Herbipolenſis ,
„ Archiepiſcopus Tarantaſianus , Epiſcopus
„ Moniſterienſis, Epiſcopus Patavienſis , Epi-
„ ſcopus Oſſiburgenſis, Epiſcopus Maſſinienſis,
„ Epiſcopus Buellenſis, Epiſcopus Baſilienſis,
„ Epiſcopus Leodicenſis , Hermannus Mar-
„ chio de Badin, Fredericus Bergilenſis, Con-
„ radus de Dornare, & Fredericus frater ejus,
„ Gobertus de Pepo, Comites, & alii multi.
„ Interea venerant ad obſidionem Civitatis
„ Accon Philippus Comes Flandriæ , Theo-
„ baldus , & Stephanus Comites Campaniæ ,
„ & Henricus nepos eorum , qui poſtea Do-
„ minus Terræ Hieroſolymitanæ remanſit, &
„ Dux Burgundiæ , & alii plures Barones .
„ Cœperunt autem omnes potius loquacitati-
„ bus operam dare, quam expugnare Civita-
„ tem . In diebus illis fuerat fames facta va-
„ lida in terra illa, ita quod veſtes & arma
„ milites ob victum diſtrahere, & equos ma-
„ ctare , coacti erant ; Unica enim gallina
„ marſupium magnum evacuabat; imò, quod
„ deterius eſt, aurum cibaria non poterat in-
„ venire . Eodem tempore Conradus Marchio,
„ quem ſupra memoravimus , homo ſagaciſſi-
„ mus, habens Civitatis Tyri dominium, cœ-
„ pit ad Regni Hieroſolymitani gubernacu-
„ lum aſpirare, & in tantum ſuâ aſtutiâ pro-
„ ceſſit , quod Iſabel filiam Regis Almerici à
„ viro ſuo Onfredo, qui regionis ultra fluvium
„ Dominus erat, fecit Eccleſiaſtico judicio ſe-
„ parari, ipſamque in uxorem accepit. Eiſdem
„ diebus Philippus Rex Francorum pervenit
„ ad obſidionem Accon, poſt cujus adventum
„ aliquantis diebus tractis Ricardus Rex An-
„ gliæ devictâ Inſulâ Cypri , & bonis omni-
„ bus exſpoliatâ, ad eamdem obſidionem per-
„ venit . Venit autem cum eiſdem Regibus
„ omnium incentiva malorum filia diaboli po-
„ tentiſſima Regina, Diſcordia Inferni, & ſe-
„ dit in medio eorum cum ſorore ſua maci-
„ lenta, & livida , ſcilicet Invidia , & tam
„ ipſos Reges , quàm totum exercitum Chri-
„ ſtianorum in diverſas voluntates diſtraxit .
„ Cum enim Francorum Regi pugna contra
„ Civitatem placebat, Anglico diſplicebat; &
„ quod placebat Anglico, Franco diſplicebat.
„ Et in tantum hujuſmodi aucta eſt diſcordia,
„ quod fere inter ſe inteſtinum bellum move-
„ runt, & inter alios omnes Principes & Ba-
„ rones duorum Regum effuſa eſt diſcordia .
„ Cum Rege Franciæ iſti fautores exſtiterant,
„ Dux Burgundiæ, Comes Clarimontis, Mar-
„ chio Conradus , cujus potentia magna erat
„ in exercitu , Templarii , & Januenſes , &
„ quidam Epiſcopi, & Barones. In parte Re-
„ gis Angliæ , fuerunt Comes Flandrenſis ,
„ Comes Campaniæ , Rex Guido , & plures
„ alii . His diebus Sybilla, uxor Regis Gui-
„ donis, cum quatuor filiis ſuis mortua eſt ,

„ &

Digitized by Google

„ & Marchio magis ac magis ad Regnum
„ aſpiravit. His etiam diebus ſunt mortui Co-
„ mites Stephanus, & Thebaldus frater ejus
„ milites ſtrenui, & ſapientes, & mortuus eſt
„ Comes Flandrenſis, & Langravius de Du-
„ ringia, vir ſtrenuiſſimus per omnia, & ce-
„ lebri famâ in perpetuum nominandus. Ere-
„ ctis igitur machinis, & Caſtellis contra
„ mœnia Civitatis, Accon fortiter expugnare
„ cœperunt. Et Saraceni non minus fortiter
„ reſiſtere, comburentes ædificia. quæ erexe-
„ rant. Tamdem volente Domino mura Civi-
„ tatis cœpere frangi proper utriuſque Regis
„ ædificia, & Turris maledicta jactis lapidibus
„ conquaſſari: unde Chriſtianorum animi eri-
„ guntur, Saracenorum opprimuntur: jam
„ enim poterant Chriſtiani muris fractis in-
„ gredi Civitatem: cum Saraceni pacta quæ-
„ runt, reddere Civitatem promittunt, & Cru-
„ cem Dominicam, & captivos Chriſtianos,
„ ſi ipſis ſolummodo ſervaretur vita. Placent
„ pacta, per manus Marchionis in poteſtatem
„ Regum traduntur; Civitas liberatur, & in-
„ ter ipſos Reges dividitur; & Saraceni, qui
„ fuerant intus inventi, quia poſtea pacta
„ ſervare nequiſſent, quia Crux Dominica
„ nullo modo potuit inveniri, omnes decol
„ lati ſunt. Rex Franciæ nactâ occaſione re-
„ ceſſit, vices ſuas & milites Duci Burgundiæ
„ commiſit; Anglorum verò Rex in Terra
„ Hieroſolymitana remanſit, & reædificavit
„ Jopem, & Aſcalonam. Saladinum, & exer-
„ citum ejus bello confregit, mercationes Sa-
„ ladini ad Damaſchum euntes cepit. Jopen
„ poſtea à Saracenorum inſultibus ſtrenuiſſimè
„ liberavit. His diebus Conradus Marchio fa-
„ ctus eſt Rex Hieruſalem, & poſt paucos
„ dies ab Aſſaſſinis interfectus eſt. Quæ fue-
„ rit cauſa interfectionis ſuæ, plus in opinio-
„ ne, quam in veritate reperitur. Quidam
„ dicunt, quod Rex Angliæ procuravit mor-
„ tem ejus, propter hoc, quia ſororem ſuam
„ in uxorem accipere noluit: alii dicunt,
„ quod Onfredus Dominus de Monreal fecit
„ eum occidi propter hoc, quod ſibi uxorem
„ ſuam Iſabel filiam Regis Almerici abſtule-
„ rat; alii dicunt, quod propria voluntate
„ motus eſt Aſſaſſinus ad ipſum interficien-
„ dum, propter hoc, quod quoſdam mercato-
„ res terræ ſuæ apud Tyrum, clam interfici
„ fecit, ut eorum pecunias haberet, quia di-
„ tiſſimi erant. Fuit autem Conradus armis
„ ſtrenuus, ingenio & ſcientia ſagaciſſimus,
„ animo & facto amabilis, cunctis mundanis
„ virtutibus præditus, in omni conſilio ſupre-
„ mus, ſpes blanda, & hoſtium fulmen igno-
„ tum, ſimulator, & diſſimulator in omni re,
„ omnibus ſignis inſtructus, reſpectu cujus
„ facundiſſimi reputabantur elingues; quem
„ in hoc ſeculo fuiſſe culpabilem dicunt, quod
„ alterius uxorem marito vivente ſeduxit, &
„ fecit à viro ſuo ſeparari, ipſamque uxorem
„ accepit: ſed invidiæ ſpiritus plurima con-
„ tra eum confluxit. Item Rex Hieruſalem,
„ ſub cujus infortunio Sanctum Regnum de-
„ ceſſit, factus fuit Rex Cypri à Rege An-
„ glico. Mortuo verò Conrado Marchione,
„ Henricus Comes Campaniæ accepit Iſabel
„ filiam Regis Almerici in uxorem, quæ fue-
„ rat uxor Marchionis, & dominium Terræ
„ Hieroſolymitanæ ſuſcepit. Rex verò An-
„ gliæ inter Chriſtianos, & Saracenos quin-
„ quennalibus treguis compoſitis receſſit, qui
„ captus in Theotonia Auſtriæ traditus eſt Im-
„ peratori Henrico, & ducentum millia mar-
„ charum argenti in ſua redemptione perſol-
„ vit. Liberatus verò in patriam propriam
„ devenit, ibique poſtmodum fuit à quodam
„ milite occiſus. Fuit autem Ricardus Rex
„ Angliæ homo ferociſſimus, armis ultra
„ modum ſtrenuiſſimus, favorabilis, gloriæ
„ cupidus, pecuniæ liberalis, quòcunque
„ ipſum trahebat impetus ſequens, & quem
„ Saraceni plus aliis Chriſtianis timuerunt.
„ Treugis igitur ſic diſpoſitis, & ab utraque
„ parte conſervatis Anno Milleſimo centeſimo
„ nonageſimo ſeptimo, Henrico Imperatore
„ procurante, Alamanni in Terram Promiſſio-
„ nis, homines bellicoſi, ingenio crudi, expen-
„ ſarum prodigi, rationis expertes, voluntа-
„ tem pro jure habentes, enſibus invictis in
„ nullis niſi in gentibus ſuis fideliſſimi, &
„ quibus vitam potius quam fidem poſſes au-
„ ferre. Hi cum veniſſent in Terram Promiſ-
„ ſionis, treguas fregerunt, Urbem Berithi
„ recuperaverunt, Jopen perdiderunt. His
„ diebus Rex Henricus, qui Dominus Terræ
„ Hieroſolymitanæ exſtiterat, de quadam fe-
„ neſtra palatii ſui recidit, & mortuus eſt.
„ Hujus uxorem nomine Iſabel, quæ Re-
„ gnum hereditabat, accepit Almericus Cy-
„ pri Rex, & coronatus eſt in Regnum Hie-
„ roſolymitanum. Alamanni verò ad obſidio-
„ nem Caſtelli Turonis acceſſerunt, ibique
„ menſibus aliquot commorati auditâ morte
„ Imperatoris Henrici receſſerunt. Quorum
„ Principes fuerunt, Conradus Maguntinus
„ Archiepiſcopus, Conradus Cancellarius Im-
„ peratoris, Henricus Saxoniæ Dux, Leopol-
„ dus Dux Auſtriæ, Dux Bragniannæ, Her-
„ manus Lanthgravius Thuringiæ, Henricus
„ de Calidin Mareſcalcus, & plures alii, quos
„ plurimos conſtat fuiſſe, & nullos.

Finita l'Iſtoria Geroſolimitana, l'ordine richiede, che ſi parli de' figliuoli di Bonifacio Terzo, e prima di Guglielmo Seſto ſuo primogenito, a cui eſſendo arrivata la nuova della morte del padre, a Sataleja, l'Anno Milleſimo ducenteſimo ſettimo, alli quindeci del meſe d'Agoſto, impegnò a Girardo Farra ſtipulante in nome della Comunità di Pavia, tutto il Borgo di Valenza, col Caſtello, porto, & ogni giuriſdizione a ſe pertinente, per prezzo di libre quattro mila di moneta. Et avendo deliberato di aſſicurare il fratello Demetrio nel Regno di Teſſalia, & ritrovarſi alla coronazione ſua con molti ſtipendiati navigò in Teſſalia, dove ſtette, per fin tanto che Enrico Imperatore ebbe coronato Demetrio di eſſo Regno; e poichè le coſe furono ridotte in buon termine, ſe ne ritornò in Monferrato, & Demetrio rimaſe in Grecia.

L'Anno Milleſimo ducenteſimo undecimo Guglielmo ſi maritò in una figliuola di Bonifacio Marcheſe di Craveſana, nominata Berta, per antichi documenti titolata Conteſſa di Monferrato, & ebbe per dote il luogo di Montebarcherio, e la parte di Cortemiglia, la qual'era del detto Bonifacio ſuo padre; e con lei ebbe un figliuolo nominato Bonifacio, & una figliuola nominata Beatrice, che fu moglie di Andrea Delfino Conte di Vienna.

„ Anno Domini Milleſimo ducenteſimo
„ quinto decimo, Thomaſinus Sabaudiæ Co-
„ mes, inito cum Mediolanenſibus fœdere,
„ cum militibus mille in eorum auxilium
„ venit; tunc Caſale Sancti Evaſii obſeſſum;
„ primâ deinde pugnâ, cum ſupra quadrin-
„ gen-

„ gentos paſſus muri dejecti eſſent, veſperi
„ Caſalenſes ſupplices ſe Mediolanenſibus de-
„ diderunt, ac nihilominus toto populo in-
„ carceres conjecto, oppidum everſum eſt.
„ Hoc etiam Anno, vigeſimo Auguſti, Me-
„ diolanenſes ad Vercellenſium preces, atque
„ ad Thomaſi ſubſidium in Montis ferrati fi-
„ nes populantur, Oppida, Villas, Caſtella-
„ diruunt. Marchio cum Mediolanenſibus,
„ ut poteſt, paciſcitur. *Matthæus Boſſius.*

L'Anno Milleſimo ducenteſimo ſeſto decimo, nella quarta Indizione, il Mercordì, alli ſei d'Aprile; i Paveſi richiedettero il Marcheſe Guglielmo, che per oſſervanza delle promeſſe fatte per lui, nel tempo che gli diedero impegno il Borgo e Caſtello di Valenza, lo doveſſe rimettere in mani loro: il che ſi contentò di fare, con le riſerve però, convenzioni, e patti, che ſi contengono in uno iſtromento rogato da Alberto Notajo Palatino, alla preſenza di M. Aſſalito di Santo Nazario, Rainero di Corte, Guglielmo de' Negri, Ruffino Arduino, & Ferrario di Valenza.

Occorre adeſſo l'eſpulſione di Demetrio fratello del memorato Guglielmo, dal Regno di Teſſalia, della quale non ſi può accomodatamente parlare, ſenza un breve epilogo de i ſucceſſi, e mutazione dell' Imperio Coſtantinopolitano, cominciando da Emanuele Secondo Greco, per fino all' Imperio di Pietro Autiſiodorenſe della nazione Franceſe. Il progreſſo del qual tempo contiene, che il ſecondo Emanuele Imperatore de' Greci, come ne' luoghi ſuoi ſi è detto, dopo che ebbe ſpoſata Chera Maria ſua figliuola a Rainero di Monferrato, e datogli il Regno di Teſſalia per dote, e ſpoſato Aleſſio ſuo figliuolo, nella figliuola di Filippo Re di Francia: venendo a morte, laſciò Aleſſio ſotto la tutela di Andronico Comneno, fidandoſi, che eſſendo egli della medeſima famiglia, e che avendo ricevuti molti onori, e beneficj da lui, la tutela del figliuolo non poteſſe eſſere meglio collocata. Benchè dopo la morte di eſſo Emanuele tutto l'oppoſito ne ſeguitaſſe, per l'iniquo animo di Andronico. Al quale non fu aſſai avere empiamente fatto ſommergere Aleſſio pupillo, ma ancora fece crudelmente morire molti primarj patricj Coſtantinopolitani; e molti altri oneſti uomini, così Greci, come Latini, mandò in eſilio, non per altra cagione, ſe non perchè dubitava d'avergli vendicatori de' ſuoi maligni portamenti. Onde la Città, e popolo talmente contro di ſe concitò, che lo cacciarono dall' Imperio, & v'introduſſero Iſachio Comneno uomo giuſtiſſimo, che in quei tempi abitava nel Peloponeſo. Perlochè pugnando poi l'uno contra l'altro, Andronico talmente ſtringeva Iſachio, che ſe a caſo non foſſe capitato in Coſtantinopoli Conrado di Monferrato, agitato da contrarj venti, da cui eſſo Iſachio fu virilmente difeſo, Andronico l'averia ſuperato, e cacciato dall' Imperio. Nel quale però il prefato Iſachio non fu molto fortunato, perchè dopo la partita di Conrado, il quale navigò in Siria, fu dal fratello Aleſſio aſtutamente imprigionato, privato de gli occhi, e dell' Imperio inſieme. La quale ingiuria & empietà deliberando di vendicare Aleſſio, figliuolo d'Iſachio, garzone di acutiſſimo ſpirito, navigò verſo l'armata de' Pellegrini, la quale in que' tempi ſi ritrovava nel mare Adriatico, con l'ajuto del quale il cieco padre, & egli, ſotto alcune condizioni furono reſtituiti all'Imperio. Ma perchè morto Iſachio, il figliuolo Aleſſio ancora egli fra un meſe fu velenato da Murziphlo, ovvero Mortillo, ſuo tutore: i Principi di eſſa armata, a i quali tal coſa fu moleſtiſſima, cacciarono il Murziphlo, e Teodoro Laſcari genero di Aleſſio, il quale contendeva di volere ritenere l'Imperio; e per comune decreto fecero coronare Balduino Conte di Fiandra, per cui Bonifacio Terzo, Marcheſe di Monferrato fu confirmato Re di Teſſalia. Teodoro Laſcari non avendo potuto difendere & ottenere la Città di Coſtantinopoli contro tanta armata, ſi era ridotto nella Città di Adrianopoli, e ſi faceva addimandare Imperatore: per la qual coſa Balduino mandò il ſopranominato Bonifacio, & Enrico fratello di eſſo Imperatore, coll' eſercito terreſtre all' aſſedio di eſſa Città, & eſpugnazione di Teodoro Laſcari. Ma avvenne, che nel tempo di eſſo aſſedio mancò di vita l'Imperatore Balduino, e dopo lui fu aſſunto Enrico ſuo fratello all' Imperio. Et in ſoccorſo di Teodoro Laſcari e de' Greci venne gran numero di Valacchi, e Bulgari in Adrianopoli; perlochè Bonifacio, & Enrico furono neceſſitati a partirſi dall' aſſedio predetto, e ridurſi a Coſtantinopoli. D'onde partendoſi Bonifacio andò al ſoccorſo di Sataleja Città Greca, la quale era ſtata occupata da gl' Infedeli, dove eſſendo giunto fu ſpento di vita. Et Enrico, dopo che ebbe pigliato lo ſcettro Imperiale, in capo di nove anni paſsò all' altro ſecolo. Teodoro Laſcari, il quale comandava in Adrianopoli, dopo la morte di Enrico commoſſe tutta la Grecia; e perchè Bonifacio Re di Teſſalia ſeguitando la parte di Balduino Franceſe, gli aveva fatto gran guerra, fece ribellare i Greci del Regno di Teſſalia contra il Re Demetrio, figliuolo di eſſo Bonifacio; & diſcendendo in Teſſalonica, occupò eſſo Regno, e non ceſsò di continuare la guerra, contro Pietro Autiſiodorenſe ſucceſſore di Enrico Imperatore, il quale a Roma, inſieme con Jola ſua moglie, ſi era fatto coronare da Onorio Terzo Sommo Pontefice, l'Anno della ſalute Criſtiana Milleſimo ducenteſimo ſeſto decimo. Et al fine ſimulando Teodoro di voler fare pace con lui, lo invitò ad andare in Teſſalia ad un ſuo convito; dove il credulo Imperatore andò, e fu nel convito proditoriamente ucciſo. E Demetrio, avendo perduto il Regno di Teſſalia, venne in Monferrato.

L'Anno MCCXIX. Federico Secondo Imperatore conceſſe a Guglielmo Marcheſe di Monferrato, e ſuoi eredi il Caſtello di Paciliano, il Caſtello di Torcella, e due altri Caſtelli, i quali erano nella ripa di Pò, che ſi domandavano Cunioli, co i molini; e particolarmente il ponte di Cuniolio, con l'acque, & alvei del fiume Pò, dall' una all' altra ripa, così come ſi eſtendevano le Corti de' Caſtelli ſudetti, come appare per un ſuo privilegio del ſudetto anno, Nono Kalend. Martii, Indizione ſettima, Dato a Spira: del quale furono teſtimonj gli Arciveſcovi di Magonza, e di Magdeburga, & i Veſcovi di Wormazia, di Torino, d'Invrea, e di Novara, l'Abate di S. Gallo, il Duca di Baivera, Alberto Duca di Saſſonia, il Duca di Brabanzia, Filippo, e Guarnero de Bullando fratelli, & Anſelmo di Giuſtino Mareſcalco della Corte Imperiale, e Ricardo Peratto Cameriere del predetto Re; riconoſciuto per Conrado Metenſe

tenſe Veſcovo di Spira, Cancelliere dell' Imperial Corte; & originalmente dice, e ſi legge così:

„ In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Federicus Secundus Divina favente clementiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ. Dilecto conſanguineo, & fideli ſuo Gulielmo Marchioni Montisferrati, & ejus heredibus in perpetuum. Decet Regalem Majeſtatem juſtas fidelium ſuorum poſtulationes clementer admittere, & eas congruis honoribus, & beneficiis benigniſſimè decorare, ac ſuis muneribus ampliare. Propterea Regiâ liberalitate concedimus, largimur, inveſtimus, & donamus, de conſenſu, & voluntate Principum noſtrorum, tibi dilecto conſanguineo noſtro Gulielmo Marchioni Montis-ferrati, & tuis heredibus, ob tuum inſigne obſequium, & anteceſſorum tuorum, Caſtrum Paciliani, & Caſtrum Torcelli, & duo Caſtra, quæ ſunt in ripa Padi, quæ vocantur Cuniolia, cum Burgo Paciliani, & Villis, & Curtibus, & territoriis dictorum Caſtrorum, cum omnibus juribus, juriſdictionalibus, cortilibus, & deſtrictibus, conferentes inte, & heredes tuos quicquid Imperium habet, vel viſum eſt habere in dictis Caſtris, & pertinentiis dictorum Caſtrorum in fidelitatibus, exercitibus, angariis, aquis, paſcuis, & piſcationibus, venationibus, placitis, bannis, ſucceſſionibus, pratis, paludibus, cultis & incultis, molendinis, pontibus, & pontium munitionibus, & ſpecialiter pontis Cuniolii, cum aquis Padi, & alveo, & utrâque ripa, ſicut prætenduntur Curtes prædictorum Caſtrorum; & generaliter in omnibus aliis, ut tantum valeat hæc clauſula generalis, ac ſi omnia eſſent ſpecialiter nominata. Prædictorum autem omnium tibi, & heredibus tuis liceat poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem, de mandato, & auctoritate noſtra, propria auctoritate, apprehendere per te, vel proprium Nuntium: concedentes tibi, & heredibus tuis dominium, vel quaſi, omnium prædictorum, etiam ſi poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem non apprehenderis, ac ſi eſſent per te apprehenſa. Nulli igitur perſonæ, parvæ, vel magnæ, Eccleſiaſticæ, vel Seculari, vel Communi Civitatum, ſeu Locorum, liceat hanc paginam violare, vel modo aliquo contraire. Si quis autem contra hæc venire tentaverit, decem millia marcarum auri pœnam incurrat, quarum medietas noſtræ Cameræ inferatur, reliqua verò paſſo injuriam perſolvatur. Hujus rei teſtes fuerunt Archiepiſcopus Maguntinus, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Epiſcopus Vormacienſis, Jacobus Epiſcopus Taurinenſis, & Imperialis Aulæ Vicarius, Ipporegienſis Epiſcopus, Novarienſis Epiſcopus, Abbas Sancti Galli, Dux Bavariæ, Albertus Dux Saxoniæ, Dux Barbantiæ, Philippus, & Varnerius de Bullanda fratres, & Anſelmus de Juſtino Imperialis Aulæ Mareſcalcus, Ricardus Puratus Domini Regis Camerarius. Ego Conradus Metenſis, & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius vidi, & recognovi. Dat. apud Spiram Anno MCCXIX. nono Kalend. Martii, Indictione ſeptima feliciter.

L'Anno Milleſimo ducenteſimo decimo nono, Indizione ottava, alli quindeci del meſe di Novembre, nel Caſtello di Brianzone, Andrea Delfino Conte di Vienna, di Graciano oli, & di Albonio figliuolo del Duca di Borgogna, e di Beatrice unica figliuola di Guigo Delfino di Vienna, il qual' Andrea per cagion della madre ebbe il Delfinato: Giurò in preſenza di Gottofredo Conte di Blandrate, Enrico della Torre di Canepicio, Giacomo de Baſſis, & altri teſtimonj, di ſpoſare Beatrice figliuola di Guglielmo Marcheſe di Monferrato, coſtituendoſi di tenere il Caſtello, e Borgo di Brianzone, che ſi occupava per lui, in nome di dote della predetta Beatrice: del che ne fu rogato inſtrumento da Guglielmo Bellino Notajo di Vercelli.

Il memorato Guglielmo, vedendoſi eſſere in un tempo liberato da due moleſtie; l'una di avere maritata Beatrice ſua figliuola, l'altra di avere ſodata la controverſia, che egli aveva col Conte Delfino, pel Caſtello, e Borgo di Brianzone, il qual luogo, e Caſtello eſſo Guglielmo diceva eſſere del dominio ſuo; Volendo ancora liberarſi dall' affanno, e travaglio, ch'egli aveva dell' eſpulſione del fratello Demetrio dal Regno di Teſſalia, il che vedeva non poter fare ſenza ſpeſa di notabil ſomma di danari; andò in Sicilia, dove nella Città di Catania ſi ritrovava Federico Secondo Imperatore, e da lui pigliò in preſtito nove mila marche d'argento, al peſo di Colonia: e per reſtituzione della ſomma predetta, gli obligò le Terre, luoghi, e giuriſdizione del dominio ſuo, ſerioſamente deſcritti nel ſeguente inſtrumento.

„ In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, „ Amen. Anno ſalutiferæ Incarnationis ejuſdem Milleſimo ducenteſimo vigeſimo quarto, menſis Martii, duodecimæ Indictionis, „ imperante Domino noſtro Federico Dei gratia invictiſſimo Romanorum Imperatore „ ſemper Auguſto, & Rege Siciliæ glorioſiſſimo, Romani Imperii ejus anno Quarto, „ Regni verò Siciliæ Vigeſimo ſexto feliciter, „ Amen. Nos Simon de Tocho magnæ Imperialis Curiæ, & Capuæ Magiſter Judex, „ & nos Henricus de Tocho, & Rofridus de „ Sancto Germano ejuſdem magnæ Curiæ Judices, præſentis ſcripti ſerie declaramus, „ quod in præſentiam noſtram, & Illuſtris „ Viri Domini Raynaldi Ducis Spoleti, Comitis Henrici de Malta, Domini Lamberti „ de Monialino, Bartholomæi de Arrichito „ Juſtitiæ Cattaniæ Magiſtri, Raynaldi Ottoboni Campſoris Domini Imperatoris, Gulielmi de Rodulpho Januenſis, Fuſci Miſeraile, Leonis de Pando, & aliorum teſtium „ ſubſcriptorum. Illuſtris Vir Dominus Gulielmus Marchio Montisferrati confeſſus eſt, „ ſe recepiſſe mutuo à Domino noſtro Federico Dei gratia Sereniſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, & Rege Siciliæ, „ novem millia marcarum argenti mercatal. „ ad pondus Coloniæ, quarum quælibet marcha tenebat mediam unciam, quas promiſit „ ſe ſoluturum ipſi Domino Imperatori, vel „ ejus certo Nuntio ſtipulatione ſolemni, ſine „ omni quæſtione, & controverſia facti, vel „ Juris. Pro quibus omnibus adimplendis, „ obligavit ſibi omnia bona ſua immobilia, „ quæ habet in Civitatibus, Caſtris, & Villis, ſive in allodio, ſive in homagio, ſive „ in ſervitio, ſive in pedagio, ſive in fodro, „ ſive in redditibus aliquibus, ſeu juribus, „ ſive angariis, ſive perangariis, ſeu aliquibus

„ exa-

„ exactionibus . Specialiter illa , quæ habet
„ pro allodio ſuo, ſcilicet iſta : Sanctus Sal-
„ vator, Nove, Villa, Vignale, Moncalvus,
„ Grazanum, Cereſetum , Ponſturiæ, Cami-
„ num , Monsbellus , Gabianum , Sancta
„ Maria de Creta, Tonchum , Odalengum ,
„ Clavaxium, Berzanum, Verolengum, Ley-
„ nicum, Caſellæ, medietas Felizani, medietas
„ Caſtelleti (aliam medietatem tenent Alexan-
„ drini,qui de jure eam debent amittere) media-
„ tas Sezadii(& aliam medietatem tenent ſimili-
„ ter Alexandrini) medietas Retorti (aliam me-
„ dietatem eodem modo tenent Alexandrini)
„ medietas duorum Caſtrorum de Carpaneto
„ (aliam medietatem prædicti tenent eodem
„ modo) medietas Caſtri novi (& aliam te-
„ nent prædicti eodem modo) Ricaldonum ,
„ medietas pedagii, & reddituum Alexandri-
„ norum. Obligavit etiam ſibi ea, quæ pigno-
„ ri ab ipſo Marchione obligata ſunt, videli-
„ cet iſta: Valentia eſt in pignore à Papienſi-
„ bus pro libris quatuor millibus ; Pomaria
„ eſt in pignore à Papienſibus pro libris tri-
„ bus millibus ; Lù eſt in pignore Roberto
„ Cattaneo , minus quam libris Papienſibus
„ mille; Caſurtium eſt in pignore Alberto de
„ Cortiſellis , minus quam libris Papienſibus
„ mille ; Villa eſt in pignore à Vicecomiti-
„ bus Valentiæ pro libris Papienſibus ſexcen-
„ tis; Monsbaruz eſt in pignore à Petro de
„ Ponzono pro libris Januenſibus quadrin-
„ gentis ; Sanctus Stephanus eſt in pignore
„ Oberto , & Martino de Rivello pro libris
„ Januenſibus mille & quingentis ; Monsber-
„ ſarius eſt in pignore Pancratio de Aſta pro
„ libris Januenſibus ſeptingentis; Sanctus Ra-
„ phaël, & Buzulinus ſunt in pignore Caczio-
„ lis de Aſta pro libris Januenſibus mille &
„ quingentis ; Roccha Vallis Urbæ eſt in pi-
„ gnore Marchionibus de Gofrz pro libris Pa-
„ pienſibus mille. Generaliter etiam obligavit
„ ei omnia, quæ habet in juribus , ſervitiis ,
„ pedagiis, homagiis , redditibus, angariis ,
„ perangariis , præſtationibus , penſionibus ,
„ obventionibus, & ubicunque poſitis . Hæc
„ ſunt loca , quæ tenent milites à præfato
„ Marchione Montis-ferrati. Marchio Salutii
„ tenet Dolianum , Caral. Vineol. Rocham
„ Guidonis , Rochani ſpar. Vinai , & totam
„ Vallem Storanæ; Otto de Carretto, & filii
„ ejus tenent quartam partem Curtis-milii, &
„ totum Prunei, & Sanctam Juliam; Henri-
„ cus de Carretto tenet partem illam , quam
„ idem Marchio habet in Nuvell. Domini
„ Mons fortis tenent Caſtrum Montis-fortis ;
„ Dominus Raynaldus Buſca tenet Coſſanum,
„ Rochetam, Fraven, Venei, & totum, quod
„ habet in pedagio Sancti Stephani ; Domini
„ de Ceſſulis tenent ab eo id , quod tenet
„ Marchio de Ceſſulis; Nicolaus de Bubio te-
„ net ab eo id, quod Marchio tenet in Bubio;
„ Domini de Montebon tenent ab eo de Mon-
„ tebon , & ipſe Marchio habet in eo præter
„ hoc medietatem fodri, & unum albergum,
„ & pacem, & guerram . Nicolaus Burſa te-
„ net ab eo, quicquid habet in Caſtello Alis;
„ Domini de Lintenibal. tenent, quicquid ha-
„ bet ipſe Marchio in Lintenibal. Marchiones
„ de Inciſa tenent ab eodem Inciſam, Caſtel-
„ lum novum , Bergamaſchum , & Carenti-
„ num ; Paſtores tenent Brion , & Rietort;
„ Zuchi tenent Silvanum, & Rocham de Zu-
„ chis, & Fontanei , & illud , quod habent
„ in Elma ; Domini de Urſaria tenent ab eo

A

B

C

D

E

„ Urſariam. Marchio de Boſcho tenet ab eo
„ pedagium de Roſiliono, & quartam de Uva;
„ Nepotes ejuſdem Marchionis de Boſcho te-
„ nent ab eo medietatem Pulzani; Domini de
„ Curticellis tenent ab eo Curticellam ; Do-
„ mini de Agliano tenent ab eo Veraniam ,
„ Alianum , & decimam Plebis pontis ; filii
„ Sibillatoris tenent ab eo Turrim de Lang:
„ & quicquid habent in Caſtro ; Domini de
„ Linteriam tenent ab eo Linterianum ; Do-
„ mini de Quinzano tenent ab eo Quinzanum;
„ Domini de Calmandrana tenent ab eo fo-
„ drum in plano Calmandranæ; Albertus de
„ Alis eſt homo ſuus ligius de feudo , quod
„ tenet in Sichario, & in Caſtro-novo; Ruffi-
„ nus de Broëza tenet ab eo feudum , quod
„ habet in Caſtro-novo ; Domini de Viliano
„ tenent ab eo, quod habent in Viliano , &
„ omnia regalia, quæ habent in Valle Thyo-
„ nis . Hoc eſt feudum , quod Comites de
„ Blandrate tenent ab eo, Comes Albertus de
„ Blandrate , & filii tenent ab eo Porcil , &
„ medietatem Ripæ, & Merenſol. & medieta-
„ tem Caſtri-novi, vel totum , & Mazai , &
„ quartam partem de Montebello de Fraſchi,
„ & quod habet in Monzelono ; Comes Gu-
„ lielmus de Playa tenet ab eo , quod habet
„ in Caſtro-novo: Comes Gottifredus de Blan-
„ drate tenet ab eo Ciſolam , & homines de
„ Antiſe, & de Curia, & Caſtrum Pavarolo,
„ & pertinentia , & quicquid habet in Sulz ,
„ & Sanctum Georgium , & tenimenta , &
„ Balangorii ; Domini de Puzaſcho tenent ab
„ eo Veraniam de Puzaſcho; Domini de Bur-
„ garo tenent Burgarum, & unum Albergum
„ habent in eo; Comites de Valperch tenent
„ ab eo Mazai, & quicquid habent in Rocha,
„ & Rivaria; Domini de Septimo tenent Ca-
„ ſtellum Calugine , & duos ſolidos in peda-
„ gio de Mollis ; Domini de Sancto Martino
„ tenent medietatem Lyni , & duos denarios
„ in pedagio de Verulenco ; Comites de Ca-
„ ſtro-monte tenent medietatem de Caſtro
„ Bellangerii; Domini de Lancis tenent ab eo
„ Rocham, & Acchoram; Comes Manfredus
„ de Calcalay , & Ubertinus de Valentia te-
„ nent ab eo Caſtrum Guizonum; Domini de
„ Caruent tenent decimam Carinam; Bernar-
„ dus Arpinus homo ſuus ligius, & frater ejus
„ Vaſſallus , Gulielmus Bevu de Taurino te-
„ nent duodecim denarios in pedagio Fran-
„ corum; Jacobus de Roy, & frater ejus Vaſ-
„ ſalli ſui, tenent ab eo quicquid habent in
„ pedagio Taurini , & quicquid habent in
„ Caſtro Gaxi, & in Valle Marchæ ; Arnal-
„ dus Guaſcus de Taurino tenet quicquid in
„ Bulgaro habet ; Domini de Caſtiliono te-
„ nent Caſtilionem ; Gulielmus de Septimis
„ tenet ab eo Septimi; Domini de Cordua te-
„ nent ab eo Corduam , & aliud feudum ;
„ Domini de Hoſtria tenent ab eo Hoſtriam;
„ Comes Gulielmus de Sancto Sebaſtiano , &
„ nepotes ejus tenent ab eo, quicquid habent
„ in Brezan , & in Monte-acuto , & aliud
„ feudum, & in Curia ; Joannes Cont tenet
„ quicquid habet in Monte-acuto , & in Cu-
„ ria, & Araimingh, & aliud feudum, quod
„ tenet in alia parte ; Domini de Ramigno
„ tenent , quicquid habent in Monte-acuto ;
„ & in alia parte, & in Curia Montis-acuti;
„ Domini de Tonengh ſunt Vaſſalli, & tenent
„ ab eo Alluſtriam , & Applaciam , & quic-
„ quid habent in alia parte ; Domini de Ca-
„ vaniol tenent Cavaniolium ; Domini Lau-
„ riani

Digitized by Google

„ riani tenent Laurianum; Domini Bruſaſchi
„ tenent, quicquid habent in Bruſaſcho; Gui-
„ do de Tribia, & Traverſa conſobrinus ejus
„ tenent, quicquid habent in Tribia, & in
„ Curia; Comites de Coquinai tenent media-
„ tatem Caſtri in Tribia, & partem pedagii,
„ & unum albergum; Domini de Broxulo te-
„ nent ab eo id, quod habent in Broxulo;
„ Domini de Caſtello Veteri tenent Caſtellum
„ Vetus, & in aliis locis; Gulielmus de Gra-
„ ſania tenet Cunich; Domini de Curcavan
„ tenent ab eo Curchavan, & habent in eo
„ fodrum, albergum, & pacem, & guerram;
„ Domini de Caſtelletto tenent unum de Ca-
„ ſtris de Rengh; Domini de Suanech tenent
„ aliud Caſtrum de Rengh; Domini de Mon-
„ tilio tenent unam de Turribus Montilii à
„ Marchione, & in reſiduis duabus habet idem
„ Marchio portionem ſuam; Domini de Mo-
„ liſengh ſunt Vaſſalli ſui, & in eodem Ca-
„ ſtello habent partem; Domini de Ponzano
„ tenent ab eo Ponzanum apud Sanctam Ma-
„ riam in Creta, & in aliis locis; Domini de
„ Mirolio tenent ab eo feudum de Ruſcis,
„ & alia; Domini de Montemagno tenent ab
„ eo Montemagnum, & tenetur ei dare alber-
„ gariam in anno, & fodrum regale, & pa-
„ cem, & guerram; Jacobus de Fibin quic-
„ quid tenet in Burgaria. & in Caſtello Mon-
„ tis-Capralis; Domini de Valle, & Columbi
„ tenent Burgarum, & Montem-Capralem, &
„ in aliis locis; Albertus de Cellis tenet de-
„ cimam, quam habet in Fibinis; Obertus de
„ Cellis tenet feudum in Monte-bello, & Vi-
„ berono, illi de Sancto Anazario, ſcilicet
„ Bergonejus, & fratres, tenent Ozanum, &
„ in aliis locis, & habet idem Marchio in eo-
„ dem Caſtro fodrum, & albergum; Domi-
„ nus Norandus de Sancto Nazario, & nepo-
„ tes tenenet Caſtrum Camaneæ, & habet in
„ eo idem Marchio fodrum, & albergum;
„ Vicecomites, & Cattanei Valentiæ ſui Vaſ-
„ ſalli; Gulielmus de Comite quicquid tenet
„ in Conzano; Dominus Manfredus de Con-
„ zano ſuus Vaſſallus; Gulielmus Pelucha
„ tertiam partem de Cuccaro; Otto Gamba-
„ rol, & frater ejus habent duos denarios in
„ pedagio Verolengi; Domini de Saleta, &
„ Plancheta tenent Saletam, & Planchetam
„ ab eodem; Briſſanus, & nepotes Advocati
„ ſunt Vaſſalli; Jacobinus Argenti de Berſire
„ ſuus Vaſſallus; Domini de Baſſiniana ſunt
„ Vaſſalli, & tenent feudum ab eo in Pon-
„ zano; Obertus Buccafoll, Burgonionus de
„ Cellanova, Gulielmus de Valla, & Ugo de
„ Valla tenent feudum; Raynerius de Monte
„ alto tenet caſtrum Roccæ de Valle Scri-
„ viæ; Marchiones de Gavio ſunt homines
„ ſui, & tenent feudum in Rocca; & alii
„ Domini Roccæ ſunt Vaſſalli ſui; Domini
„ de Mirabell ſunt Vaſſalli ſui; Jacobus Pa-
„ ganellus, & fratres tenent ab eo Fellога-
„ rolum. Idem autem Marchio renuntiavit in
„ hoc facto omni legum auxilio, & ſpeciali-
„ ter exceptioni non numeratæ pecuniæ, doli,
„ & in factum, obligans ſe, ſuoſque heredes
„ Domino Imperatori, ſuiſque hæredibus ad
„ pœnam viginti millium marcharum argenti,
„ ſi ipſe, vel heredes ſui, vel aliquis pro par-
„ te eorum, contra prædictam obligationem
„ venire præſumpſerit, prædicta conventione
„ in ſuo robore duratura. Omnium autem
„ rerum, & ſingularum corporalem poſſeſſio-
„ nem Domino Imperatori tradidit; conce-

A

„ dens ſibi omnes fructus, & utilitates, &
„ obventiones prædictarum rerum & jurium,
„ ex cauſa donationis inter vivos. Item ſpe-
„ cialiter convenitur inter eos, quod ſi dictus
„ Dominus Imperator prædicta bona in to-
„ tum, vel in partem recollegerit, quæ di-
„ ctus Marchio aliis obligavit, eâdem condi-
„ tione teneantur pro primo debito pro ſorte,
„ & quod eodem modo poſſit fructus perci-
„ pere, ſicut ſuperius dictum eſt, quam etiam
„ pro debito, pro quo à creditoribus Domi-
„ nus Imperator obligata bona ab ipſo Mar-
„ chione duxerit redimenda. Dum tamen Do-
„ minus Imperator prædictis bonis redimen-
„ dis non ſolvat ultra ſeptem mille, & du-

B

„ centas marcas argenti prædicti ponderis, &
„ qualitatis. Ad cujus rei memoriam, & in-
„ violabilem firmitatem, ego Nicodemus de
„ Monte Caveoſo Notarius de mandato D. N.
„ Sereniſſimi Imperatoris, & rogatu præfati
„ Marchionis, ſcripſi duo conſimilia Inſtru-
„ menta, unum habendum penes Dominum
„ Imperatorem, aliud penes eumdem Domi-
„ num Marchionem. Acta ſunt hæc apud
„ Cattaniam, Anno, Menſe, & Indictione
„ prætitulatis.
„ † Signum Crucis propriæ manus Domini
„ Raynaldi egregii Ducis Spoleti.
„ † Signum Crucis propriæ manus Comitis
„ Henrici de Malta.

C

„ Ego Simon magnæ Imperialis Curiæ, &c.
„ Ego Henricus de Tocho magnæ Impe-
„ rialis Curiæ Judex.
„ Ego Rofredus de Sancto Germano ma-
„ gnæ Imperialis Curiæ Judex.
„ Ego Bartholomæus de Arrichito Juſtitia-
„ rius Cattaniæ interfui.
„ Ego Oddoborus Imperialis Curiæ pon-
„ derator interfui, Fuſco Conſtantini Muſci
„ filius.
„ Ego Magiſter Renaldus de Cachas inter-
„ fui.

D

L'Anno Milleſimo ducenteſimo vigeſimo terzo, Indizione undecima, del meſe d'Aprile, Federico Secondo Imperatore Auguſto, Re di Sicilia. l'Anno terzo del Regno ſuo, e dell'Imperio vigeſimo, per autentico privilegio conceſſe a Guglielmo Marcheſe di Monferrato a lui congiunto di ſtretta linea di ſangue, eredi, e ſucceſſori ſuoi in perpetuo, & intieramente tutto quello, che a Sua Maeſtà ſpettava, e perteneva, così nel Caſtello di Pecetto, ovvero Ponzano appreſſo la Petra, & in Monte Caſtello, come ancora in Caſtelletto della Valle di Urba, & nella Villa detta Aleſſandria. Confirmandogli ſimilmente tutte quelle ragioni, che gli anteceſſori del predetto Guglielmo, & egli aveano ne' predetti luoghi, e qualunque privilegj. E indulto a lui, & eredi ſuoi conceſſo per gli anteceſ-

E

ſori, e *quondam* padre di eſſo Imperatore Federico. Del quale privilegio ſpedito con aurea bolla nell'aſſedio di Cerano, per mano di Filippo di Salerno Imperiale Notajo, furono teſtimonj l'Arciveſcovo di Palermo, l'Arciveſcovo di Taranto, Rainaldo Duca di Spoleto, il Marcheſe di Faveburgh, Enrico Conte di Malta, & Matteo di Romania Segretario famigliare del predetto Imperatore.

Il medeſimo Anno alli quattordeci di Ottobre Manfredo Marcheſe di Saluzzo, figliuolo del *quondam* Marcheſe Bonifacio, nel Caſtello di Dogliano preſtò il giuramento di fedeltà al memorato Marcheſe Guglielmo de i Caſtelli,

Terre,

Digitized by Google

Terre, e Ville, che nel ſeguente inſtrumento ſi contengono; de i quali Bonifacio padre di eſſo Manfredo era ſtato inſtituito dal *quondam* Marcheſe Bonifacio padre di eſſo Guglielmo, come ſi è detto nell' Anno MCLXXXXVII.

„ Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo „ ducenteſimo vigeſimo tertio, Indictione undecima, die decimaquarta menſis Octobris, „ in Caſtro Doliani, præſentibus infraſcriptis „ teſtibus. Dominus Gulielmus Marchio Montis-ferrati fecit inveſtituram in manibus D. „ Manfredi Marchionis Salutiarum, in recto, „ & gentili, & honorabili feudo in utroque „ ſexu, de omnibus infraſcriptis Caſtris, Terris, Villis, Montibus, & planiciebus ad „ prædicta Caſtra pertinentibus, & de ſuo „ juramine ſpecialiter, & de omnibus ſuis juſtitiis, & præcipuè de infraſcriptis Caſtris, „ & pro utroque feudo ipſe D. Manfredus fecit fidelitatem & homagium jam dicto Domino Gulielmo Montis-ferrati Marchioni, „ nomine ſuo, & fratris ſui Demetrii, ut nobilis Vaſſallus facit Domino ſuo; in qua „ fidelitate jam dictus Manfredus Marchio „ promiſit jam dicto Marchioni Domino Gulielmo Montis-ferrati, nomine ſuo, & fratris ſui Demetrii, dicta Caſtra non vetare, „ neque loca Varinta, Vaſcharita, quin ex „ eis poſſit facere pacem, & guerram, quibuſcumque voluerit, pro ſuis juſtitiis defendendis & recuperandis. Nomina loco- C „ rum ſunt hæc: Dolianum, Caldarium, Vinolium, Rocca Sparvera, Rocca Guidonis, „ tota Vallis Sturana, Demons, Vinai, Pelaporcus. Duæ cartulæ factæ ſunt in uno „ tenore. Nomina teſtium ſunt hæc: Dominus Gulielmus Marchio de Buſcha, Dominus Raymundus ejus frater, Dominus Lanfranchus de Sancto Januario, Dominus Jordanus de Albano, Dominus Gulielmus Siccardus Aſtenſis, Gratapalea Pomacius Aſtenſis, Dominus Gulielmus de Valperga, Dominus Gulielmus de Vineis de Romaniſio.

„ Et ego Thomas Sacri Palatii Notarius „ interfui rogatus, & ſcripſi.

Nel tempo che il Re Demetrio cacciato da D Teodoro Laſcari, e da' Greci del Regno di Teſſalia, come ſi è detto, ſtette in Monferrato, Guglielmo Seſto ſuo fratello atteſe ad accumulare danari, e far gli altri preparamenti neceſſarj per navigare in Grecia, con proponimento di voler ricuperare eſſo Regno di Teſſalia, e reſtituire il fratello Demetrio. Dopo queſto agli Offiziali mandati per Federico Secondo Imperatore conſegnò i Caſtelli, Terre, e luoghi impegnati per lui, come ſi contiene nell' inſtrumento preſcritto delle nove milla marche d'argento, le quali ebbe in preſtito dal predetto Imperatore; & al deſtinato giorno, inſieme col fratello Demetrio, e col figliuolo Bonifacio ſi poſe in camino. Benchè E il viaggio foſſe mal fortunato, perchè oltre la difficultà, ch' eſſi ebbero circa la recuperazione del Regno predetto, avendo trovato, che i popoli per la ribellione commeſſa ſtavano in grande diffidenza di eſſere ſottomeſſi al reggimento di Demetrio: il predetto Guglielmo l'Anno Milleſimo ducenteſimo vigeſimoquinto nella Città di Salonich ſoprapreſo da veleno laſciò la vita. Onde Bonifacio perduto il padre, e la maggior parte delli ſtipendiati ſuoi, per eſiziale fluſſo di ventre, cagionato (come ſi tiene) dalle acque delle fontane e pozzi, i quali furono attoſſicati da' Greci, col reſto delle genti ſue ritornò al paeſe; & giunto in Monferrato fu benignamente raccolto da i nobili, e popoli, i quali in abſenza del padre, e ſua, ſi erano governati ſotto il governo degli Offiziali di Federico Imperatore. E non dopo molto tempo Demetrio, il quale era rimaſto a Salonich, di nuovo fu cacciato dal Regno di Teſſalia: e giunto in Monferrato ebbe ricorſo a Federico Secondo Imperatore, che in quei tempi ſi trovava a Pavia; e mentre che vi ſtette a ſollecitare d'avere da lui ajuto per potere ritornare in Grecia a riacquiſtare il Regno ſuo, l'Anno Milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſettimo gli ſopravenne una grave infermità, che gli cagionò la morte, fatto prima il ſuo teſtamento, pel quale laſciò erede il memorato Imperatore Federico.

L'Anno MCCXXXIII. Indizione ſeſta, in giorno di Mercordì, alli dieci di Kalend. Aprile, Berta Conteſſa di Monferrato, fu madre del Marcheſe Bonifazio, fece donazione alla Chieſa di Santa Maria di Monte Ceniſio dell' Oſpitale di San Giacomo di Ponteſtura, e di tutte le proprietà culte & inculte, degl' infermi di detto Oſpitale, poſte nel territorio di eſſo luogo di Ponteſtura, come appare per un' inſtrumento ſopra di ciò rogato nel Palazzo di Montebello, da Vercellino Notajo del Sacro Palazzo, alla preſenza di Giovanni Pore di San Giorgio di Montebello, Pietro Canonico di eſſa Chieſa, & Ulmerio Ferrari. La quale donazione l'Anno medeſimo, il Giovedì, alli quattro del meſe di Maggio, fu confermata pel predetto Marcheſe Bonifacio, come appare per un' altro inſtrumento rogato nella Città di Vercelli, in caſa de' Ticioni, da Ugone Notajo del Sacro Palazzo, in preſenza di Bentivoglio cittadino di Vercelli, Martino di Reyns, Nicolao Vorio, Pietro, & Vaſio cittadini di Torino, & Federico Ticiono cittadino di Vercelli.

L'Anno della ſalute Criſtiana Milleſimo ducenteſimo trigeſimo ottavo, Federico Secondo Imperatore partendoſi da Lodi andò a Pavia, dove del meſe di Maggio confermò a Guido Conte di Blandrate tutti i privilegj a i predeceſſori ſuoi conceſſi, maſſime per Otto Quarto invittiſſimo Re de' Romani, ſotto l'Anno MCCIX. del contratto di Blandrate, Guilengo, Camere, Cavaliano, Beſenzago, Olegio, Invrea di ſopra, & Invrea di ſotto, Rocca di Valle Sicida, e Contado di Valle Oſſula, San Giorgio, Valdemaſio, con tutto il Contado, Maſino, Monte-acuto, il quale godeva per ragione di una ſua figliuola nominata Berta, moglie di Oddone; e molte altre Terre, le quali per brevità ſi laſciano, in preſenza di Volfgero Patriarca di Aquilegia, Alberto Arciveſcovo Magdeburgenſe, Otto Veſcovo Erbipolenſe, Maligoldo Veſcovo Patavino, Erruico Veſcovo Ciſtedenſe, Conrado Eletto di Conſtanza, Lodovico Duca di Baveria, Bernardo Duca di Narintia, Otto Duca di Mania, il Conte Ermardo di Goricia, Azzo Eſtenſe Marcheſe di Ferrara, il Conte Gontero di Suarpen, Arcimano Conte di Wirtimbergh, Ezelino di Tarviſio, Salinguerra di Ferrara, il Mareſcalco di Ercalin da Waltero pincerna di Schinph, Corvo di Mirambergh, Enrico Camariere di Ravinſpurgh, Paſſaguerra, & Monaco di Villa Giudici della Corte di eſſo Imperatore Otto. Et a queſta confirmazione v'intervenne il Veſcovo di Pavia

con

con quello di Piacenza, il Marcheſe di Monferrato, e Manfredo di Salucia, Belingerio Marcheſe di Romagnano, Enrico Guido, & Bartolomeo Conti di Valperga, e Maſtro Pietro Vigna gran Giudice della Imperial Corte.

L'Anno Milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, Indizione undecima, il primo dì del meſe di Marzo, Tomaſo Marcheſe di Saluzzo, Luogotenente e Capitano generale del Marcheſe Bonifacio abſente, ricevè il ſacramento di fede da Agoſtino degli Oppicioni, e da Aledramo delli Scotti, & Giacomo Nano Sindici della Città e diſtretto di Monte-regale, ovvero Montevico, in nome di eſſo Marcheſe Bonifacio, nella Chieſa di Santo Donato di eſſa Città: del che ne furono rogati due inſtrumenti da Bernardo Tranniſio, abitatore di Montevico, Notajo publico, in preſenza di M. Batiſta Podio, & M. Giovanni Minerio Cavalieri, & M. Pietro Crepelicio perito nelle Leggi.

L'Anno MCCCXXIII. Manfredo figliuolo legitimo e naturale di Tomaſo Marcheſe di Saluzzo, & erede inſtituito nel teſtamento paterno, fatto nel MCCXLIV. del dominio e Marcheſato predetto, inſtituì ſuo erede teſtamentario Federico ſuo figliuolo de' Luoghi e Terre infraſcritte; cioè Carmagnola, Raconiſio, Mogliabruna, Polunghera, Ternavaſio, Caramagna, & Cavalier Lione. E Manfredo ſuo primogenito della parte ſua di Rivello, Henoria, Martignano, Saluzzo, con villa di Cardeto, Dragonerio con tutta la villa di Santo Damiano, di Pagano, di valle Grana, Monteroſio, Prato, di Levico, col Caſtello di Montemaro, Quadralio, Brenetro, Manta, Verſolo, Melo, Fraſſino, le ragioni de' Vaſſalli di Baldeſſerio, di Valfenaria, di Roffia, di Monaſterolio, di Scarnefiſo, di Cervignaſco, di Barge, di Santo Fronte, di Paiſana, con tutta la valle del fiume Pò, Caſtellario, Pagni, Brodello, Roſſana, Venaſca, Coſtigliole, villa di Votignaſco, Solere, villa Mairana, Salinatore, Rocca bruna, e Pagliaro. Item inſtituì particolari eredi Teodoro, e Bonifacio ſuoi figliuoli legitimi e naturali, cioè Teodoro de' Caſtelli di Farigliano, Montebarcario, Santo Benedetto, Cortemiglia, Burgomale, Perletta, terre d'Uzono, Cairo, Rocchetta di Cairo; della parte ſua delle Carcare, e dell'Altare, con tutte le altre Terre, e giuriſdizioni, Vaſſalli, e ragione de' Vaſſalli, i quali aveva, e doveva avere dal fiume di Tanaro per fino al fiume di Burmida, per fino al mare; e Bonifacio parimente ſuo figliuolo di Brozaſco, Alpiaſco, Villanovetta, Mulazano, e Cameirana. E il detto teſtamento e diviſione furono poi confermate nell'inveſtitura fatta del Marcheſato di Saluzzo al prefato Manfredo Secondo, per Carlo Quarto Imperatore l'Anno MCCCLV.

l'Anno della coſtituzione del Mondo ſecondo la computazione, e conſuetudine Greca, ſei mila ottocento, e trentacinque del meſe di Novembre, nella decima Iudizione; E ſecondo la conſuetudine Latina, l'Anno dell' Incarnazione del noſtro Signor Gesù Criſto Milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſeſto, Indizione nona. Il predetto Marcheſe eſſendo un' altra volta ritornato in Grecia, compoſe un' opera della diſciplina militare in lingua Greca, nella Città di Coſtantinopoli, la quale dopo la ritornata ſua in Lombardia traduſſe di Greco in Latino nella Città di Vercelli, l'Anno del Signore MCCCXXX. Indizione decimaterza, nel Kalen. di Marzo, nella quale parlando di sè, ſcrive nella ſeguente forma.

„ Natus itaque ſum ego Actor infraſcriptus
„ ex talibus nationibus, & legitimè, maximè
„ ex Dominis naturalibus tam paternis, quàm
„ maternis, quos ab antiquo tempore Deus
„ honoravit, & gratiam eis attribuit, & con-
„ ceſſit inter alios de Mundo. Semen namque
„ proprium, & linguagium mei patris Impe-
„ rii, & Græcorum regimen habere dignoſci-
„ tur; & ob hoc, quod tam notorium & ma-
„ nifeſtum in Græcia conſiſtit, ad aliam de-
„ clarationem nobilitatis prædictorum ad præ-
„ ſens in præſentibus non extendo. Ex parte
„ verò matris meæ attingor ad partes Latino-
„ rum, & ſpecialiter regimen Hiſpaniæ, &
„ Aragonis, & ad partes Italiæ. Et eſt cre-
„ dendum, quod dicti Domini mei, & Ante-
„ ceſſores à Deo habuerunt gratiam ſpecialem,
„ & à natura propria compoſitionem artis Ar-
„ morum, & omnia neceſſaria, circa factum
„ guerræ efficaciter exercendæ. Et per expe-
„ rientiam eorum exercitii, quod circa hoc
„ habebant, obtinuerunt ut plurimum, quia
„ ſemper cum magnis Dominis, & tyrannis
„ eorum confinalibus, & vicinis, quæſtiones
„ ad invicem habentes, facere habebant, ta-
„ liter quod ex dictis quæſtionibus vertenti-
„ bus, guerram ſimul conabantur exercere,
„ ita quod oportebat, quod ſe extenderent
„ cum ſuis gentibus ad eorum defenſiones &
„ tutelam, aciebus ſuis ordinatis, & ad of-
„ fenſiones & mortem eorum inimicorum in-
„ terponere totas ſuas vires, & ingenia, con-
„ tinuè ipſimet proprii eorum videntes inimi-
„ cos in campis. Unde rationibus ſupraſcriptis
„ mihi ſatis videtur, ad ratificationem proba-
„ tionis meæ nationis, ut ſupra, me gratiam
„ habere, & compoſitionem ad prædicta fa-
„ cienda. Natus ego, ut ſupra, & in eo patri-
„ monio compoſitus, & nutritus ſecundum
„ conſuetudinem aliorum filiorum dicti Græ-
„ corum Imperii, & dum ætatis annorum qua-
„ tuordecim conſiſterem, caſus fortuitus in-
„ tervenit morte naturali multum juveni fra-
„ tri cariſſimo Dominæ matris meæ Impera-
„ tricis Græcorum, videlicet Domino Joanni
„ Illuſtri Marchioni Montis-ferrati, qui legi-
„ timus dicti Marchionatus Dominus erat, &
„ ſucceſſor. Pro qua morte Marchionatus præ-
„ dictus ſine Domino naturali remanſit, &
„ rectore. Et videntes Subditi, Vaſſalli, &
„ homines dicti Marchionatus carere eorum
„ Domino naturali; & quod ſicut oves ſine
„ paſtore remanſerant, & eorum vicinos cir-
„ cumquaque noſcentes cupidos, eſſe compo-
„ ſitos ad dicti Marchionatus deſtructionem:
„ adeò, quod temporibus retroactis, ſuis ma-
„ lis & inopinatis operibus prædicta facere
„ oſtenderunt, & ſimul & ad invicem congre-
„ gaverunt de eorum vita, & Marchionatus,
„ ſanctione, proviſionem habentes quid ge-
„ ſturi. Et deliberato conſilio inter ipſos,
„ ſolemnem ambaſciatam de melioribus, &
„ fa-

Digitized by Google

„ ſapientioribus ipſorum ſagaciter ordinarunt,
„ qui indilatè ad prædictam matrem meam
„ venerunt, & cum coram ea applicuiſſent,
„ ſtatim flexis genibus condolentes, & lacry-
„ mantes ex parte omnium & ſingulorum dicti
„ Marchionatus, ſolemnia precamina protule-
„ runt, eidem afferentes, quod ſibi debitè com-
„ placeret, & vellet, pietatis intuitu, & mi-
„ ſericordiæ commotæ, compaſſionem habere
„ de ipſius matrimoniali terra, & naturali,
„ & remedium apponere de tantis infirmita-
„ tibus Terræ prædictæ, incurſibus, & vul-
„ neribus, cauſas aſſignantes, & decernentes
„ hanc ſolam medicinam, & remedium, &
„ inſtanter petentes, quia alia explicanda non
„ decernunt; pro quibus eorum legalitatem
„ ſalvare, & dictam dominationem manutene-
„ re poſſent, videlicet, quod eorum Dominus,
„ & pius, & ipſius Dominæ Imperatricis pa-
„ ter in ſua ultima voluntate, & fine voluit,
„ & ordinavit ex publico teſtamento, Joannem
„ prædictum ejus filium Marchionem eſſe,
„ tamquam legitimum adhærentem ſucceſſioni
„ Marchionatus prædicti, & Dominum natu-
„ ralem. Et ſi caſus acciderit, ipſum ſine he-
„ redibus legitimis à ſe deſcendentibus de-
„ præſenti ſeculo tranſmigrare, prout multo-
„ ties ſecundùm curſum naturæ intervenit,
„ prædictæ Dominæ Imperatrici matri meæ
„ filiæ ſuæ, & ejuſdem Domini Marchionis
„ ſorori hereditatem & ſucceſſionem, heredi-
„ tario nomine plenariè inſtituendo, ideo quod
„ primogenita erat, & præcedebat aliis Do-
„ minabus, & filiis dicti D. Marchionis, &
„ nobiliori matrimonio copulata, orta mulie-
„ ris ſecundæ, & uxoris ſecundæ dicti D. Gu-
„ lielmi, & filiæ D. Alphonſi Regis Hiſpaniæ.
„ Dimittendo ſucceſſionem prædictam ipſi Do-
„ minæ, & ejus filiis integrè, & cum effectu:
„ quod quidem prædictus D. Marchio de jure
„ facere poterat, & debuit juſtè, & ſecundum
„ privilegia antiqua, & gratias veteres con-
„ ceſſa antiquitus, & conceſſas ab Imperato-
„ ribus retroactis. Et illud idem in caſu mor-
„ tis, & ultima voluntate teſtamentum ſimili-
„ ter conſtituendo voluit & juſſit prædictus
„ D. Marchio Joannes frater Dominæ jam di-
„ cti mei Auctoris matris teſtamentum patris
„ ſui, ſimiliter ratificando, & in omnibus ap
„ probando. Unde narratis & expoſitis omni-
„ bus per Ambaſciatores prædictos gravibus
„ lacrymis multum compulſos, & cum veſti-
„ bus nigris ſupplicaverunt ipſi Dominæ Im-
„ peratrici, ut dignaretur ipſorum ambaſcia-
„ tæ, & petitioni integraliter ſatisfacere, &
„ aſſentire cum effectu; videlicet ut ipſa unà
„ cum filiis ſuis ſuos dirigeret greſſus ad ſuc-
„ ceſſionem dictæ Terræ, & dominationis,
„ quæ ob mortem dictorum Dominorum Mar-
„ chionum exſtitit ad ipſam, & filios ſuos de-
„ voluta. Et ſaltem, ſi hoc non poteſt, ipſam
„ cum dictis filiis ſuis accedere, unum ex filiis
„ ſuis tantùm dare dignaretur, & conſentire
„ ad dictam dominationem & ſucceſſionem
„ omninò & liberaliter apprehendendam. Ergo
„ conſideret omnis homo ſpecialiter ignarus,
„ & qui noverit, qualiter prædicta Domina
„ Imperatrix, & immenſis doloribus & an-
„ guſtiis nova hæc acceptavit, non in aliquo
„ dubitans, vel ſuſpectans, ſic ſubito talia
„ debere nova ad ſuas aures pervenire, cum
„ in multis magnalibus, & decentiis Deus
„ omnipotens ipſam doctaverit, & virtutibus
„ decoraverit, ſupremis tantis & gratiis, de

A „ quibus ad præſens duabus de cauſis tacere
„ decrevi. Primò cauſa non tœdium inferendi
„ auditoribus, qui propter multitudinem ver-
„ borum multoties aggravantur. Secundò,
„ quod me ſufficientem non reputo, neque
„ tantæ virtutis receptorem; & licet aliqui
„ dicere, vel cogitare poſſent me propriam
„ habere naturam, adeò quod à dicta Impe-
„ ratrice mea matre & Domina ſuſcepi nutri-
„ mentum: attamen hoc non inſpecto ad mei
„ dicti firmationem in præſentibus aliquid de-
„ clarabo ſuper hoc. Nam verò inter alias
„ virtutes, quibus à Deo omnipotente præ-
„ dicta Domina exſtitit decorata, fuit demum
„ valde pia, & compaſſibilis, & ſemper in-
B „ tuitu mota pietatis, non ſolum hominibus,
„ ſed etiam animalibus univerſis. Quod qui-
„ dem rectè dignoſcitur, & manifeſtè, cum
„ major pars hominum conatur, & ſtudet fe-
„ ras deſtruere, ipſa verò mota pietate com-
„ patiebatur animalibus antedictis, non liben-
„ ter conſentiens morti alicujus, imò condo-
„ lebat, & in hoc ſtudebat providere. Sic
„ tanto fortius eſt credendum ſe condolere,
„ & pietati de morte ſuæ parentelæ, & debiti
„ naturalis. Verè mors non inſpicit tantùm
„ aliquem, nec expectat, quod parcat ſeni-
„ bus, nec juvenibus quibuſcumque. Et ſic
„ Marchio Joannes frater ipſius Dominæ mor-
„ tuus exſtitit dictâ morte naturali, de quo
C „ ipſa Domina fortiùs condoluit, quàm ſi in-
„ ætate ſecundùm naturalem curſum foret ad-
„ ductus, & ſpecialiter de tali unico fratre
„ legitimo, & dilecto, maximè non expectan-
„ do alium fratrem, quia jam carebat Ante-
„ ceſſoribus ſuis, nec ab ipſo Marchione Joan-
„ ne alicujus conditionis filius eſt exortus,
„ de quo ſi hoc fuiſſet, ſolamen aliquod ha-
„ buiſſet, & potuiſſet reminiſci. Et quod
„ etiam deterius eſt, dictæ ſuæ Terræ deſtru-
„ ctione inſpectâ, in qua nata & nutrita erat,
„ quam nimia dilectione amplexabatur, &
„ ſimiliter præfatis Ambaſciatoribus inſpectis,
„ & talibus veſtibus indutis, & actibus com-
„ poſitis & formatis, ſicut ego met Actor, qui
D „ præſens fui, de prædictis rectum poſſum te-
„ ſtimonium perhibere, quia ſenſus & ſpiritus
„ quaſi in ea non remanſit; & verè veritatem
„ loquendo, non eſt cor hominis hoc viden-
„ tis, quod compaſſione & pietate non foret
„ imbutum. Poſtquam autem omnipotens Deus
„ ipſæ de tam immenſo & gravi dolore auxi-
„ liatus fuit, cum homo de Mundo ad ali-
„ quam conſolationem præſtandam circa do-
„ lorem prædictum ſufficiens non fuiſſet, &
„ ſpecialiter quia in illo ſuperventu prædicta
„ D. Imperatrix longè ſe invenit à prædicto
„ D. Imperatore, & non benè ſociatam, ut
„ decebat tantæ nobilitatis perſonam, & tanti
„ expoſiti negotii. Et poſt multa dicta Do-
E „ mina tamquam in Deo diſpoſita, ad ſuam
„ propriam conditionem, & ſuum eſſe remea-
„ vit, quia ſenſus perfectus, & magnanimitas
„ eam reducebat, taliter quod rectè ſapuit
„ ipſum dolorem, prout decebat, extinguere,
„ & comportare, & cauſam remedii opportu-
„ ni diſpoſuit invenire. Ergo remedium op-
„ portunum, & conſilium invenit hoc modo,
„ videlicet: Primò volendo Dei præcepto af-
„ fectuosè famulari, & doctrinam Divinæ Scri-
„ pturæ, cui continuè ſtudebat, aſſequi toto
„ poſſe, ideſt obediens perſiſtere in omnibus
„ marito ſuo, ob hoc ipſa nova prædicta, &
„ ambaſciatam, quam habuit, prædicto D.

„ Imperatori mei Actoris patri intonavit, ut
„ eidem de prædictis ſuum conſilium exhibe-
„ ret. Quæ, habito ipſius conſilio, reſponſio-
„ ne, & mandatis, & qui mandavit, quod
„ ire non deberet, nullatenus ab ejuſdem præ-
„ ceptis deſiſtendo, ſed ipſius D. Imperatoris
„ velle & mandata ſequi in omnibus decer-
„ nendo, juxta legem Divinam, non vanitate
„ aliqua mundana, licet ante diſpoſuiſſet vel-
„ le ſuum ſuos dirigere greſſus cum filio per-
„ ſonaliter in prædicta Terra, ſeu Marchiona-
„ tu, & omnia pro poſſe diſponere ad defen-
„ ſionem ſuæ Terræ prædictæ, reliquit ſe per-
„ ſonaliter non ituram, pro eo quod Deus
„ omnipotens matrimonium copulavit & con-
„ junxit, ſed utrique parti ſatisfacere diſpoſi-
„ ta cum dicto D. Imperatore marito ſuo re-
„ manſit. Habebat autem tres filios maſculos,
„ videlicet Dominum Joannem Palæologum
„ Deſpotum, primogenitum, & meliorem,
„ qui tranſmigravit ad Dominum valde juve-
„ nis, me graviter condolendo. Secundum
„ me Theodorum Palæologum Auctorem, & ad
„ ſignificationem omnium prædictorum, &
„ operis hujus declarationem, ſcriptorem, &
„ compoſitorem. Tertium & ultimum D. De-
„ metrium Palæologum Deſpotum, qui vivit.
„ Et quamvis judicabam, prædictum quondam
„ bonæ memoriæ D. Joannem fratrem meum
„ meliorem, ſapientiorem, & utiliorem eſſe
„ ad omnia facienda & exercenda, & ſpecia-
„ liter circa dominationes Orbis Terrarum,
„ me Theodoro: attamen, pro eo quod jam
„ matrimonio aderat copulatus, & aliis negó-
„ tiis occupatus, voluit prædicta mea mater
„ penes ſe ipſum retinere, & ſimiliter cum eo
„ dictum D. Demetrium minorem & junio-
„ rem, quia tunc tam juvenis aderat, ut nul-
„ latenus poſſet, nec potuiſſet equitare. Et ſic
„ Domina mea mater pro meliori decrevit me
„ ſecundumgenitum cum præfatis D. Amba-
„ ſciatoribus in Lombardiam ad dominationem
„ prædictam ire debere ad defenſionem & ſub-
„ ſtentaculum dictæ ſuæ Terræ naturalis. Sit
„ autem omnibus notum, quod ipſa D. Impe-
„ ratrix relatione prædictorum Ambaſciato-
„ rum primordiè auditâ, cum ipſo D. Impe-
„ ratore tunc in Conſtantinopoli non conſiſte-
„ bat, ſed aderat tunc in certis actibus, &
„ tractatibus me in matrimonium collocandi
„ ad partes Ducatus de Athenis, & Valachiæ,
„ cum quadam ſorore dicti D. Ducis Athenæ,
„ cum magno meo honore, ac utilitate pro-
„ pria valitura, quapropter in paterna mea
„ natione perſiſtebat, & per illud matrimo-
„ nium ſecundùm conventiones factas dicta
„ dominia mihi perveniebant, quia poſt mo-
„ dicum tempus fratres dictæ Dominæ, & Do-
„ mini dictarum Terrarum, & dominationum,
„ ab hoc ſeculo deceſſerunt, qua de causâ
„ conditio & ſtatus meus augumentabatur in
„ partibus illis propter conditiones, quæ po-
„ ſtea apparuerunt. Et ideo univerſi & ſinguli
„ ſcire poſſunt & videre immenſum dilectio-
„ nis zelum, & animum affectuoſum, quem
„ dicta Domina mater mea in dicta ſua Terra,
„ ſuorumque paternæ dominationis & natio-
„ nis habere videbatur, quia omnia diſponere
„ voluit, & ad nihilum detrahi, in eo quod
„ me ſuum filium ſic locavit, ponendo ad pun-
„ ctum numquam videndi, & de omnibus pe-
„ riculis aliis & univerſis in aliquo non cura-
„ vit, volendo ſolùm ſuam Terram, & domi-
„ nationem prædictam manutenere & ſubſti-

A „ nere, & omnibus pro poſſe eidem ſuccurre-
„ re, ad hoc quod dicta Terra nullatenus per-
„ deretur, inſpectis tantis bonis gentibus,
„ quæ videbantur de ipſa liberè confidere, &
„ ne ab ipſis poſſet improperari & inculpari,
„ nec quod daret cauſam dictæ ſuæ Terræ,
„ vel perditionem amittendi. Et quamvis me
„ inſufficientem reputem ad tanta, & tantum
„ negocium perficiendum, nihilominus volui
„ mandato dictæ meæ matris totaliter famu-
„ lari, non extendens me in aliquo alio, quam
„ ei placebat; & prout ſupradictum eſt, re-
„ ceſſi, & ivi juvenis, non informatus, nec
„ doctus ad hoc inſidiis, atque vulpinis mate-
„ riæ hujus Mundi, & maximè ubi inveni tantas
B „ mutationes, & diverſas tam moribus, quàm
„ linguâ. Et indè fortius, quod abſque pecu-
„ nia & conſilio ſufficientibus tanto & tali ne-
„ gotio applicui, inveniendo in ipſa Terra Mar-
„ chionatus zizaniam maximam, & errorem,
„ quia Vaſſalli, & homines Marchionatus ejuſ-
„ dem continuè guerriabant ad invicem debel-
„ lantes, recuſantes me recipere in eorum Do-
„ minum naturalem, ſicut de jure tenebán-
„ tur, & ſicut promiſerant & mandaverant.
„ Et hoc ob nimiam moram mei tranſitus in-
„ tervenit, quia galeæ, & alia neceſſaria tam
„ breviter, ut expediebat, non potuerunt
„ præparari. Et videntes aliqui Marchiona-
„ tus prædicti Magnates, quod poſſent dictam
C „ Terram ſub ſuo dominio appropriare,
„ ipſam interponere & infringere conabantur,
„ & indirectè ipſam Terram occupabant, &
„ jam partes quamplures de Terris dicti Mar-
„ chionatus quampluribus, & de melioribus
„ per dictos Magnates aderant expulſæ, ad
„ hoc ut fortius & ſecurius contra me poſ-
„ ſent dictam Terram defendere per ipſos jam
„ captam, & tueri. Et præfati, qui dictam
„ meam Terram occupabant, tam fortes ade-
„ rant, & promptuoſi, quod me cognoſcere
„ negligebant, nolentes in aliquo parere juri,
„ abſque armorum virtute, & ingenii guerræ,
„ quod quidem faciebant videntes me juve-
„ nem, & forenſem, longinquum. Conſide-
D „ randum igitur eſt univerſis & ſingulis, ſpe-
„ cialiter doctis & ſapientibus guerræ, quo-
„ modo jus humanum, & naturalis curſus
„ guerræ poterant me defendere à prædictis,
„ & quomodo obtinere poſſem reædificare
„ me ad dominium prædictum de tantis gra-
„ vibus & inopinatis conditionibus, abſque
„ Omnipotentis gratia & virtute, qui ſemper
„ eſt juris auxiliator, ut dictum eſt à voce
„ ſuprema verſus Beatum Paulum, videlicet:
„ *ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infir-*
„ *mitate perficitur*. Et ſic credo, quod acci-
„ dit in me, quia virtus Domini operata fuit
„ pro me, licet puſillo, & modicæ ætatis,
„ contra Magnates injuriantes mihi, ſicut de-
E „ monſtravit de David verſus Goliam. Et
„ tantum geſſi prædicta ſubſtinendo, quod ſa-
„ tis ſufficienter auxilio Divino imminente,
„ ad meæ Terræ antedictæ dominium recon-
„ ciliando detraxi, & cum pluribus ex dictis
„ Magnatibus rebellibus meis honorificè &
„ bono modo ad conventionem perveni, ita
„ & taliter, quod quamplures Terræ, quæ
„ per meos Anteceſſores non poſſidebantur,
„ meæ dominationi cum dictis Terris juſto
„ titulo mediante applicui, conjecturam ſem-
„ per infra talia exercenda, multa & immen-
„ ſa pericula, & caſus accidentales habendo
„ & ſubſtinendo. Et quamvis juxta animi mei
„ de-

Digitized by Google

„ desiderium omnia non potui adaptare, tamen Dei auxilio mediante à morte, & à „ carceribus exstiti totaliter liberatus, & cum „ majori parte dictorum rebellium meorum „ ad bonum finem perveni. Et perventus ad „ ætatem vigintiquinque annorum, vel circa, „ sciens & intelligens, quod ad partes Imperii Romaniæ, ubi natus fui, & in mea infantia nutritus, ut jam scripsi, guerra imminebat, sic quod oportebat primo, & principaliter Divino auxilio lucidari, & postmodum bonorum succursum, & juvamen „ implorare ad defendendum prædictos Dominos meos Imperatores, & eorum Terram, contra quamplures inimicos & rebelles ipsorum, tam Christianos inopinatæ conditionis, quàm Tartares, Turcas, & alios „ Barbaros. De versus namque partes matris „ meæ, secundùm fortunam graviorum accidentium temporis mihi occursorum, satis „ sufficienter juxta mandatum per dictam Dominam matrem meam mihi factum, meum „ debitum adimplevi. Volui enim servire ei, „ & suum opus bonum adimplere, ideſt quod „ ipsa voluit satisfacere utrique parti, videlicet nationi Terræ suæ, Marchionatus Montisferrati, & suæ copulationis matrimonii „ conjuncturæ. Sic quod ego mandatum prædictum adimplevi in illis partibus persistendo; & ibidem iterum unicam filiam legitimam ex meo matrimonio habui, sic quod „ mihi apparuit posse relinquere bono modo „ dictam Terram, speramine dictæ meæ filiæ „ ad firmationem Marchionatus prædicti, cupiens videre, & servire dictis Dominis meis „ Imperatoribus, & debitè famulari, ac etiam „ causa visitandi omnes alios parentes & amicos ibidem consistentes, & sentiens super „ hoc voluntatem & affectum dictorum Dominorum meorum Imperatorum, & specialiter mei patris, quod tamquam eorum præcepto venire deberem ad ipsos immensè avidos me videndi, & operandi meo exercitio „ ad eorum servitia facienda. Et causa maxima videndi fuit specialiter prima, vitæ „ transmigratio ab hoc seculo Dominæ Imperatricis matris meæ; & tamquam compositus, ut supra pertransivi, tam causâ mortis „ dictæ Dominæ matris meæ, quàm causâ dictæ meæ nationi serviendi, ut pro posse, & „ cum debito naturali possem utrique debitum adimplere naturale tam patris, quàm „ matris, ut non solùm à Deo, sed à gentibus debitè possem collaudari. Veni autem „ juxta præceptum & voluntatem prædictorum Dominorum meorum, non ob hoc „ quamplura pericula imminentia inspiciendo, quæ aderant tam furore Maris, & fortunæ, quam inimicorum, & cursorum, & „ fortius juxta prædictam meam Terram Montisferrati malos vicinos, & inimicos dimittendo; & Imperio prædicto circa duos annos, vel immediatè commoravi, absque eo „ quod mihi per dictos Dominos meos Imperatores injunctum fuerit, vel præceptum, „ opus aliquod exercendi, quod meo honori „ applicaretur ut supra, & ut proposueram. „ Et propter etiam meam absentiam, jam homines Terræ meæ Montis-ferrati ad invicem incœperant conturbari & devastari. Et „ talia nova sentiens, & dictis Dominis meis „ Imperatoribus ea nova, & casum enarrando, cum eorum consensu & licentia ad dictas partes mei Marchionatus remeavi ad

A „ consolationem & ordinationem dominationis Terræ prælibatæ. Perventus igitur ad „ dictam Terram, non curans in præsentibus, „ quod mihi in itinere ad dictam Terram „ Marchionatus applicando intervenit, enarrare, licet meo velle libenter omnibus panderetur, sed propter gravamen auditorum, „ & ne eis tœdium inferatur, promulgare „ non extendo. Post modicum autem temporis reædificando pro posse dominationem „ dictæ Terræ cum magno licet patibulo, „ sumptibus, & labore, omnipotens Deus „ mihi alium filium masculum & legitimum „ attribuit & concessit. Cujus natio ad ratificationem & sublimationem Terræ prædi-
B „ ctæ valde profuit. Et post paucum tempus, „ & breve in secunda vice à dicto Domino „ Patre meo Imperatore expresè habui in „ mandatis, ut ad ipsum meos dirigerem „ gressus. Quod quidem fuit post modicum „ mortis temporis Domini mei, & patris Imperatoris, jam de ipso Imperio coronati; „ &, ut supra dictum est, cupiens præcepta „ prædicta totaliter adimplere, sicut teneor „ debito naturali, ordinare disposui, & dispensare Terram, & dominationem prædictam cum prædictis meis, licet nimium juvenibus, pro actu meliori, quo valui cum „ ipsorum matre ad solamen & tutelam Vas-
C „ sallorum & hominum dominationis prædi- „ ctæ, ipsos relinquendo, & postponendo „ omnia iterum pericula in itinere imminentia, prout supra dictum est, & his partibus prædictâ secundâ vice ad obedientiam „ & reverentiam dicti Domini mei & patris „ applicui, indistanter perseverans & consistens prædictâ secundâ vice per duos annos, „ vel circa, & mihi per dictum D. Imperatorem præceptum aliquod, vel commissio „ nullatenus præcesserunt in aliquo opere per-
D „ ficiendo, semper facere affectanti ut supra, „ ita & taliter, quod ponere possem opera, „ quæ de me emanerent, & meam bonam „ voluntatem abundantem in exercito meis „ jam dictis Dominis, & nationi efficaciter „ famulandi: & ideo, ut supra dixi, quam plurimum affectabam dictis meis Dominis & „ nationi liberè famulari: de quo immensè „ doleo, quod mihi non imposuerunt aliquod „ opus, per quod possem prodesse probationibus sine verbis. Et nolens frustra plus „ morari tempus consumendo, cogitavi de „ meæ patriæ servitio, & dictæ meæ dominationis similiter substentaculo, & defensa, „ atque omnia tam necessaria inspicienda „ imaginavi, & ad majus necessarium accedere, & ubi continuè cum universo desiderio sum postulatus, quia præfati homines „ mei Marchionatus ob meam absentiam gra-
E „ vi submersione turbabantur, & jam plura „ de meis Castris & melioribus amiserant. „ Videns autem, quod invidia aliquorum „ Græcorum Magnatum, facta, quæ facere „ affectabam, gravè turbabat, deliberavi & „ decrevi licentiam à dictis meis Dominis & „ amicis petere specialem recedendi, & eundi ad Terram & dominationem Marchionatus prædicti, ubi, ut supra dictum est, „ majus necessarium imminere videbitur; & „ specialiter sentiens, præfatum Imperium „ male fore dispositum, & gentes inter ipsos, „ taliter quod remedium aliquod nullatenus „ poterat apponi; & nolens me discedere, ne „ servitium aliquod exhibuissem, saltem ad

„ osten-

Digitized by Google

„ ostendendum meum velle magnum, quod
„ habebam serviendi ut supra, mihi apparuit,
„ saltem ostendendo dictis abundare, quia
„ voluntas pro facto reputatur; & ut sapien-
„ tes, & vera cognoscentes, me haberent de-
„ bitè excusatum, & ut conscientiam meam
„ juxta Deum purgare satiarem, & ut in hac
„ parte per modum exempli, vel figuræ hæc
„ mea scriptura remaneret.

L'Anno MCCCXXIX. Indizione duodecima, il quinto del mese d'Agosto, il Marchese Teodoro essendo gravato di molti debiti contratti per beneficio dello Stato fece vendita a Tomaso Scarampo d'Asti del Castello, Villa, e distretto di Pontestura per prezzo di trenta mila fiorini d'oro: del che ne fu rogato Instrumento da Bonifacio Morello Cittadino d'Invrea Notajo.

L'Anno Millesimo trecentesimo trigesimo, Indizione decima terza, il Martedì primo di Maggio, il Marchese Teodoro diede & assegnò a Violante sua figliuola maritata in Aimone Conte di Savoja, padre di Amedeo, cognominato il Conte Verde, per la dote sua i Castelli e Ville di Lancio, Ciriaco, & Caselle, co i mandamenti, e ragioni loro, e co i patti, e convenzioni compresi nell' Instrumento dotale rogato da Gabriele Ricobono di Chivasso, Giovanni Ministrale, e Giovanni Rinaldo di Burgaro Notai publici.

L'Anno MCCCXXXII. Indizione quintadecima, Antonio Marchese Malaspina fu costituito Podestà nella Città di Terdona per l'egregio e nobilissimo Principe Signor Teodoro, figliuolo Porphirogenito dell' Eccellentissimo Imperatore de' Greci, Signor generale d'essa Città.

L'Anno Millesimo trecentesimo trigesimo sesto, il predetto Teodoro confermò un testamento fatto per lui nel tempo, che gli convenne andare oltra Monti. Pel quale instituì erede dello Stato Giovanni suo unico figliuolo nel modo e forma, che quì segue.

„ In nomine Domini amen. Anno Nativi-
„ tatis ejusdem Millesimo trecentesimo trige-
„ simo sexto, Indictione quarta, die decimo
„ nono mensis Augusti, Pontificatus Sanctis-
„ simi Patris, & Domini nostri Domini Be-
„ nedicti Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno
„ secundo, in præsentia mei Notarii, & te-
„ stium infrascriptorum. Cum ego Theodorus
„ Marchio Montis-ferrati, tempore quo gres-
„ sus meos direxi ultra Montes, disposue-
„ rim, & disposui post meum decessum meo
„ Marchionatui providere per modum infra-
„ scriptum. Ecce quod modò de præsenti di-
„ ctam meam infrascriptam provisionem ap-
„ probo, confirmo, & corroboro, & ita di-
„ spono & ordino juxta modum & formam
„ inferius annotatam, quæ talis est. Cum
„ scriptum sit in Evangelio, & Doctrina
„ D. N. Jesu Christi nos doceat, à qua dici-
„ mur Christiani, & nos omnes, & maximè
„ Christiani vigilare debemus, & stare parati,
„ cum nescimus diem, neque horam finis no-
„ stri: Idcirco ego Theodorus Marchio Mon-
„ tis-ferrati, licet peccator, & ne modica
„ provisione & scientia, attamen tamquam
„ Christianus, & habens aliqualem conscien-
„ tiam versus Creatorem nostrum Deum omni-
„ potentem, volui hoc verbum pretiosum &
„ utile annotare, & maximè quia disposui me
„ ad partes Ultramontaneas certa mea facta
„ & ardua exercere, & nolens expectare diem
„ extremum ad ordinandum facta mea tam
„ animæ, quàm corporis, ea ordinare decre-
„ vi prius tempore sanitatis, quam furoris &
„ tribulationis, quæ contingere possent per
„ modum inferius annotatum, ne scandala
„ & dissensiones possint oriri, specialiter oc-
„ casione hereditatis, & Baroniæ Marchiona-
„ tus Montis-ferrati. In primis relinquendo
„ post decessum meum dictam hereditatem
„ dominationem, & Baroniam Marchionatus
„ Montis-ferrati, & omne jus mihi competens
„ & competiturum, obveniens, & obventu-
„ rum ratione Marchionatus prædicti, Joanni
„ filio meo præsenti & recipienti, & filiis suis
„ legitimis à se descendentibus, scilicet pri-
„ mogenito, & ipso fine liberis decedente,
„ secundogenito, & sic deinceps secundum
„ consuetudines & privilegia Marchionatus
„ prædicti, & per consequens filiis filiorum
„ suorum. Et si fortè (quod absit) dictus Jo-
„ annes filius meus ab hoc seculo decederet
„ sine aliquibus filiis, vel filiabus legitimis,
„ volo, & ex nunc declaro, quod filia mea
„ Violant Comitissa Sabaudiæ, & filii sui le-
„ gitimi descendentes ab ea, perveniant ad he-
„ reditatem & successionem Marchionatus præ-
„ dicti. Verumtamen intentio mea non est,
„ quod dictus talis filius dictæ filiæ meæ Co-
„ mitissæ Sabaudiæ, qui succederet in Mar-
„ chionatu prædicto, teneatur de fidelitate
„ aliqua D. Comiti Sabaudiæ, sed ille talis
„ heres teneat dictum Marchionatum liberum,
„ sicut alii Antecessores mei tenuere, & con-
„ sueti sunt tenere. Si verò (quod absit) dicta
„ filia mea decederet absque filiis legitimis:
„ tunc volo & statuo, quod frater meus D.
„ Demetrius Despotus de Romania filius, sicut
„ ego quondam D. Imperatricis Græcorum,
„ quæ fuit filia quondam D. Marchionis Gu-
„ lielmi, & D. Beatricis filiæ quondam D.
„ Regis Alphonsi de Hispania, perveniat ad
„ hereditatem, & Marchionatum Montis-
„ ferrati, & per consequens filii sui legitimi
„ descendentes ab eo. Si autem dictus frater
„ meus decederet fine heredibus, vel nollet
„ venire ad hereditatem prædictam: tunc volo,
„ quod ex illis de Hispania legitimè nati de
„ Domina & Amita mea Domina Margarita
„ filia quondam D. Marchionis Gulielmi Avi
„ mei perveniant ad ipsam hereditatem. Nec
„ debet quis mirari super tali ordinatione mea,
„ quia dictus D. Marchio Gulielmus Avus
„ meus fecit idem, & similiter ejus filius &
„ successor D. Joannes Marchio Avunculus
„ meus; & mihi videtur magis conveniens,
„ quod ad proximiores parentes & agnatos
„ perveniat dicta hereditas, quàm ad alienos.
„ Etiam ab antiquo apparent privilegia DD.
„ Imperatorum diversis conditionibus, & tem-
„ poribus in similibus casibus sic fieri: de qui-
„ bus omnibus ego Theodorus præsens Mar-
„ chio plenam confirmationem, & investitu-
„ ram habui à quondam bonæ memoriæ D.
„ Henrico Imperatore Romanorum, & etiam
„ à pluribus Episcopis, & Prælatis, à quibus
„ dictus Marchionatus tenetur in feudum. Et
„ hanc esse volo meam ultimam voluntatem,
„ quam valere volo jure testamenti; quæ si
„ jure testamenti valere non potest, valeat
„ saltem jure codicillorum, vel cujuscumque
„ alterius ultimæ voluntatis. Acta sunt hæc
„ in Castro Clavaxii Hipporegiensis Diœcesis,
„ præsentibus nobilibus & discretis Viris D.
„ Rogerio de Thogessio Canonico Rivensi, &
„ D. Car-

„ D. Cardinali Convenarum Capellano, Joan-
„ ne de Thogeſſio nepote dicti D. Rogerii,
„ Petro de Cocconato Canonico Remenſi,
„ Stephano de Porcellis de Cremona Judice
„ generali prædicti D. Marchionis, Petroſilo
„ de Taurino, Antonio Sicco de Clavaxio,
„ Antonio de Caſtello de Fubinis, & Caſtel-
„ lino Arnato de Caſtelletto, vocatis teſtibus
„ & rogatis. Et ego Raymundellus de Gra-
„ zano publicus Imperiali auctoritate Nota-
„ rius, & dicti D. Marchionis Scriba, & Can-
„ cellarius, prædictis approbationi, confirma-
„ tioni, corroborationi, diſpoſitioni, & ordi-
„ nationi, ac omnibus & ſingulis ſupraſcriptis
„ interfui, & de mandato prædicti D. Mar-
„ chionis ſcripſi.

Le monete, che a i tempi del predetto Marcheſe Teodoro, e ſotto il nome & inſegne ſue ſi fabricavano così d'oro, come d'argento, erano della bontà e peſo infraſcritti. Il Fiorino d'oro di liga di caratti ventiquattro manco un grano, di rimedio al peſo di Fiorenza. La moneta d'argento di liga di denari undici e mezzo, manco due grani, di rimedio di peſo di ſoldi diecisette ſopra il marco, e di rimedio dinari ſei: della quale moneta, cioè i Fiorini d'oro doveva avere ſoldi trenta per ogni centenaro, e della moneta d'argento denari dieciotto d'Imperiali per ogni marco. Il luogo della Zecca, ovvero fabrica delle monete ſopraſcritte era deputato nella Terra ſua di Chivaſſo; e con tal' ordine fu deliberata l'Anno ſopraſcritto alli ventiſette di Settembre pel predetto Marcheſe Teodoro nel Caſtello di Chivaſſo, in preſenza de' Giudici della Corte ſua.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſettimo, Indizione quinta, che fu l'Anno terzo del Pontificato di Benedetto XII. in Martedì alli quattro di Febrajo, nel luogo di Peſcheria, ovvero di Valle Verde, Dioceſi Nemauſenſe, in preſenza di F. Portuenſe Veſcovo Cardinale di S. Ruffina, M. Pittavino Veſcovo Magalonenſe, Guglielmo di Puſterla Capellano Apoſtolico, e Cimiliarca della Chieſa Cattedrale di Milano, & altri. Eſſendo già ſtato concluſo, e concordato il trattato del matrimonio tra Madama Cecilia de Convenis, ovvero de Comingi Conteſſa di Aſteriaco, e Giovanni unico figliuolo di Teodoro Marcheſe di Monferrato, la prefata Cecilia, per publico Inſtrumento rogato e ricevuto per Ramondello Bava di Grazano Imperiale Notajo, aſſegnò per dote al predetto Giovanni ſuo futuro marito quaranta mila fiorini d'oro in oro, i quali ſi aveſſero a pagare al predetto Marcheſe Teodoro, o a' ſuoi mandatarj e Procuratori ne' termini infraſcritti; cioè fiorini dodici mila della predetta ſomma nel tempo, quando eſſa Cecilia contratto il matrimonio ſarebbe condotta a caſa del marito; e dopo finito un'anno intiero fiorini ſette mila; e così d'anno in anno altri ſette mila, per fin' a tanto che 'l predetto Marcheſe ſarebbe intieramente ſodisfatto di tutta la ſomma di eſſa dote. Per ſicurezza della quale furono obligati & aſſegnati a eſſa Cecilia, con conſenſo del Marcheſe, i Caſtelli di Chivaſſo, Montecalvo, e Montebello co i redditi & emolumenti loro, ſotto alcuni patti e convenzioni compreſi in eſſo Inſtrumento.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo Giovanni di Monferrato figliuolo del Marcheſe Teodoro fu mandato dal padre in ſuſſidio e favore di Azo Viſconte figliuolo d

A Galeazzo nella guerra di Parabiagio contra Lodriſio figliuolo di Pietro Viſconte. Gli Autori della quale famiglia furono Uberto, e Berta giugali originarj di una Villa chiamata Invorio ſituata nella coſta del Monte, il quale è da mano deſtra del lago Verbano, ovvero lago Maggiore; e da loro circa l'Anno MCCLX. procedettero quattro figliuoli, cioè Ottone, il quale fu prima Piovano della Villa di Decio, e Capellano del Cardinale Ottaviano Ubaldini, e col favor ſuo creato Arciveſcovo di Milano, Uberto Veſcovo di Vintimiglia, Giacomo, e Gaſparo. Da Giacomo procedette Tibaldo, da Tibaldo Uberto, e Matteo. Da Uberto Vercellino, e Giovanni,
B i quali non ebbero figliuoli. Da Gaſparo fratello di Giacomo procedettero Pietro, Lodriſio, e Gaſparo. Da Matteo, prima nominato Maffeo, procederono Galeazzo, e Giovanni Arciveſcovo di Milano, Luchino, Marco, e Stefano. Da Galeazzo procedette Azo. Luchino, e Marco non ebbero figliuoli. Da Stefano, Matteo, Bernabò, e Galeazzo. Azo, & Matteo non ebbero figliuoli. Da Bernabò procederono Marco, Lodovico, Carlo, Ridolfo, e Maſtino. Da Galeazzo, Gio. Galeazzo primo Duca di Milano. Da Gio. Galeazzo, Gio. Maria, e Filippo Maria, & in lui terminò la linea legitima della famiglia de' Viſconti.

C L'Anno predetto, Indizione ſeſta, alli diecenove del meſe di Gennajo il predetto Marcheſe Giovanni nel Caſtello di Chivaſſo diede in feudo a Franceſchino, e Giacomotto Provana il Caſtello e Terra di Leinico, e per riſpetto di eſſa ricognizione feudale giurarono la perpetua fedeltà ad eſſo Marcheſe, alla preſenza di Oberto di Tilio, Franceſco di Gabiano, Giovanni Deato di Villa, e molti altri: del che ne fu rogato Inſtrumento da Rainero Bava di Grazano Notajo.

In oltre alli dodeci del meſe d'Agoſto infeudò Conrado, Franceſchino, Percivallo, & Albertino de' i gentiluomini di Montecucco in nobile, gentile, avito, e proavito feudo
D tutto quello, ch'eſſi, e loro predeceſſori tenevano e riconoſcevano, & avevano tenuto e riconoſciuto pel paſſato dal predetto Marcheſe Giovanni, e ſuoi predeceſſori, ne' luoghi della Plebata, Montecucco, Cerreto, e Caſtelvecchio, e ricevette da loro il ſacramento di fedeltà: del che ne fu rogato Inſtrumento dal predetto Raimondello alla preſenza di Ghione, & Alberto de' Conti di Cocconato, Valenzano, e Sucio di Tilio, Manuele Gutnero, Graxella di Franceſco Cane.

Ancora alli tredeci del meſe predetto alla preſenza d'Alberto, e Giovanni Conti di Cocconato, Valenzano, & Sucio di Tilio, Franceſco Cane di Caſale, e molti altri infeudò a
E Petrino figliuolo del *quondam* Enrico di Perazio, e Vercello figliuolo di Guglielmo di Perazio del luogo di Caſtroveteri a nome loro, & a nome de gli altri loro conſorti di Caſtelvecchio, di tutto quel feudo, e coſe feudali, ch'eſſi, e ſuoi anteceſſori tenevano, & erano ſoliti a tenere in feudo dal predetto Marcheſe, e ſuoi predeceſſori in nobile e gentile feudo nel territorio e podere del predetto luogo, e della Plebata, e Mairate, mediante la recognizione e giuramento di fedeltà debiti: del che ne fu rogato Inſtrumento dal predetto Raimondello.

Ex

Digitized by Google

Ex quarto protocollo Raymundelli Bavæ de Grazano fol. 24.

„ MIlleſimo trecenteſimo trigeſimo octavo, Indictione ſexta, die decimaquarta Aprilis; In caſtro Clavaxii, ſcilicet ſub platea, ubi jus redditur. Præſentibus nobilibus Viris D. Jordano de Cell. Bertolello de Cerex. Ghiono de Tonengo, & pluribus aliis, &c. Ibidem Illuſtris Vir D. Joannes natus egregii Viri D. Theodori Marchionis Montis ferrati ratificavit, confirmavit, & approbavit fidelitatem factam per D. Bartholomæum filium quondam D. Antonii de S. Georgio Comitis de Blandrata, egregio Viro D. Theodoro Marchioni prædicto. In omnibus, & per omnia, prout continetur in inſtrumento ſcripto manu mei ejuſdem Notarii infraſcripti in an. Domini MCCCXXXV. Indictione tertia, die ſecundo menſis Auguſti, qui Bartholomæus ibidem, & in præſenti juravit fidelitatem veram & perpetuam ſupraſcripto D. Joanni, promittens attendere & obſervare eidem D. Joanni omnia & ſingula, quæ in capitulis fidelitatis novæ & veteris plenius continetur.

L'Anno MCCCXXXVIII. alli ventuno del meſe d'Aprile, nel luogo di Trino, eſſendo riſolute l'ultime ore della vita del Marcheſe Teodoro, il quale circa anni trentadue aveva con ſomma bontà e giuſtizia retto e governato lo Stato, come ad ogni giuſto Criſtiano Principe s'aſpetta: Giovanni ſuo figliuolo e ſucceſſore, uomo prudente e magnanimo, nel principio della dominazione ſua applicò l'animo a volere ricuperare le Terre e Luoghi del dominio ſuo, il quale al tempo della morte di Guglielmo ſeſto, parte da gli Aſteſi, Vercelleſi, & Aleſſandrini, e parte da i Principi d'Achaja, e di Piemonte nella guerra e diſcordia ſuſcitata in Canaveſe per le fazioni de' Nobili d'eſſa regione, terminata da i fiumi di Pò, e dell'una e l'altra Doria, era ſtato lacerato e diminuito. Onde l'Anno Milleſimo trecenteſimo trigeſimo nono, accadendo al rinovarſi la diſcordia e guerra tra i Nobili di Valperga, e quelli di S. Martino col ſeguito degli altri Nobili del Canaveſe dell'uno e l'altro colore: il predetto Marcheſe Giovanni contro la potenza de' predetti Principi d'Achaja, e di Piemonte, e della fazione Guelfa, ricuperò il Luogo di Çaluſio, e tutti gli altri Luoghi e Terre, i quali, vacante il Marcheſato predetto per la morte del predetto Guglielmo, erano ſtati da eſſi Principi uſurpati & occupati. Il progreſſo della qual guerra commemorando Pietro Azario Notajo Novareſe dice così:

„ Habitaverunt autem Canepicium duo genera, videlicet Comites de Blandrate, qui „ Caſtra, Villas, & Burgos medii, & partis „ inferioris dicti Comitatus poſſederunt, quorum pars in principio hujus ſatis declaratur. „ Aliam verò partem habitavit Comes Canepicii, & ex ipſo duo filii proceſſerunt, qui „ duo fratres Canepicium (exceptâ parte ipſorum de Blandrate) pro medietate diviſerunt; „ uni quorum Caſtrum S. Martini cum dependentibus ſibi venit indiviſum. Alteri verò „ Caſtrum Valpergæ cum aliis ſibi dependentibus, quæ ſoli Imperio, & non aliis ſubjacebant. Quid ultra? nec novum, invidia oritur inter pares, & inter iſtos tamquam „ de paritate contendentes, zizania orta eſt, „ & talis, quod hodierna die plus ſolito durat, & gravius deinceps perdurabit. Et non „ valentes prædicti fratres vota ipſorum percomplere, habens Caſtrum S. Martini, & „ reliqua, parti Guelphæ adhæſit. Et habens „ Caſtrum Valpergæ, Gibellinus fuit, & ita „ die hodierna obſervant ſe non tamquam conſortes pertractando, ſed ac ſi una pars eſſet „ Chriſtiana, & alia Saracena, perſonaliter & „ realiter ſe perſequuntur, & inimicitiis publicatis. Et propter prædicta, & alia gravia deteſtanda, ubi liberi eſſe ſolebant, reducti ſunt ad ſervitutem, ut infra dicetur. „ Qualia autem gravia inter ipſos Comites, „ & ſibi adhærentes proceſſerunt, longum eſſet enarrare, cum uni ex prædictis adhæſerit pater Joannis, qui ſine prole deceſſit, „ qui multum prædictos Comites de S. Martino depauperavit & vaſtavit. Ad quæ defendenda multum favit pars Taliatum, & „ de Laſtria cum ſequacibus ſuis, qui caput „ ſunt partis Guelphæ in Civitate Hipporegiæ, „ & Domini de Monzoneto, qui caput ſunt „ ejuſdem partis Guelphæ in Valle Auguſta, „ valde potentes in partibus illis, & ſimul colligati propter matrimonia & amicitias inter „ ipſos copulatas; quibus etiam multum profuit amicitia Dominorum de Gonciaga de Mantua præmiſſorum, pro eo quod D. Guido de Gonciaga unam uxorem habuit ex „ Dominabus de Strambino, à qua univerſi de „ Gonciaga, qui tempore præſenti Civitatibus „ Mantuæ, & Regii dominantur, proceſſerunt, & quæ domus ipſorum Comitum de „ S. Martino multum in perſonis anteceſſit. „ Habebant alias amicitias ipſis contiguas, „ videlicet cum Epiſcopo Vercellenſi. Item „ in terra Montiſcaprelli, quæ fortiſſima & „ potens eſt, & fortiſſimo Caſtro in fine Comitatus Maxini poſita cum Terra Cigliani, „ & Villa Raglia, quæ terræ ſunt Epiſcopi „ Vercellenſis, & intra dicta confinia. Item „ pars Guelpha Pedemontium ipſis Comitibus „ S. Martini adhærebat, & præcipuè Illuſtris „ Princeps Achayæ, & Pedemontium, qui „ propter ipſorum Comitum nobilitatem & potentiam ipſis multum favit, & favet de præſenti, quoniam in ipſis Comitibus viget multa nobilitas, induſtria, & potentia, & præcipuè in D. Martino ex dictis Comitibus, „ quia multa commiſit, ut infra dicetur, & „ à quo multa magnalia proceſſerunt, & magnus reputatur apud prædictum D. Comitem „ Sabaudiæ per ea, quæ inferius dicentur. „ Adhærebat etiam prædictis Comitibus de Valperga univerſa domus Comitum de Blandrate Canepicii, & univerſi Comites de Maxino, quæ domus in modicis nobilibus conſiſtit, reſpectu aliorum conſortum: ſed divitiores ſunt ipſis, & divitias habent ultra „ modum, quibus Domini de Solerio, & Bornati cum univerſis partis Gibellinæ Hippo„ regienſis Civitatis adhærebant, necnon Do„ mini de Perlo, & de Quarto cum univerſa „ parte Gibellina Vallis Auguſtæ, cum univerſa potentia Marchionis Montis-ferrati, „ quæ ipſos de S. Martino, ut potuit, ſemper „ oppreſſit. Et ſic Marchio Salutiarum, & „ Gibellini Pedemontium patrem illorum de „ Valperga, & conſortum ſunt ſecuti. Dum „ autem nova odia inter prædictos conſortes „ haberent malos fructus parturire, quilibet „ ipſorum cogitavit potentiam, & vires, nec „ non amicitias in alterum exercere; & cauſa

Digitized by Google

„ ſa potior fuit, quod dicti de S. Martino, &
„ ſequaces tanti ſunt, ut dixi, de perſonis,
„ quod ſua ipſis non ſufficiunt; ſed volendo
„ univerſi ducere vitam magnam, neceſſarium
„ fuit, ut aliena raperent. Etiam favente di-
„ cto Principe, multa commiſerant contra
„ præſentem Marchionem Joannem Montis-
„ ferrati, propter debilitatem quondam Theo-
„ dori patris ſui in capiendo Terras, & Caſtra
„ ipſorum Gebellinorum Canepicii; & præci-
„ puè Terras, & Caſtra communia, in quibus
„ non permittebant aliquem nominari; nec mi-
„ rum erat, quia Gibellini ipſi cuſtodire fa-
„ ciebant dicta Caſtra communia per eorum
„ familiares, & iſti Guelphi neceſſariò habe-
„ bant ſtare cum eorum perſonis. Vacante
„ autem Marchionatu Montis ferrati, propter
„ mortem Marchionis Gulielmi proditoriè
„ mortui Alexandriæ, ſciverunt Guelphi cum
„ Principe Pedemontium procurare, quod ha-
„ buit per cambium ab uno Comite de Blan-
„ drate terram Caluxeni, in qua ſolus Guel-
„ phus tunc non erat, qui Princeps ipſam ter-
„ ram Caluſeni circum circa murare fecit, &
„ tanta beneficia habitantibus in ipſa dedit &
„ fecit, quod protinus Guelphi facti fuerunt.
„ Per quos tanta ſcandala ſunt ſecuta, quod
„ longum eſſet enarrare, ſed de recuperatione
„ ipſius Terræ ſuo tempore enarrabo. Fece-
„ runt etiam, quod dictus Princeps Caſtrum
„ Dominorum Valpergæ cum terra Ripæ ru-
„ beæ habuit, & abſtulit Dominis de Valper-
„ ga, quorum erat, quam ſimili modo mura-
„ re fecit circum circa; & die hodierna pro-
„ pter ſervitia dictus Princeps in ipſa Terra
„ amicos habet, quamvis ipſam Terram Do-
„ mini de Valperga recuperaverint, & te-
„ neant de præſenti. Quæ non valentes Do-
„ mini de Valperga tolerare, etiam conſilio
„ Domini fratris Joannis de Riparia Guber-
„ natoris Anconitanæ Marchiæ pro S. Romana
„ Eccleſia, quem vidi pulcriorem hominum
„ aliquo viſu, & ſapientiorem, cujus virtute
„ Eccleſia Romana dictam Marchiam Ancona-
„ tanam recuperavit, cogitaverunt contra
„ prædictos Comites Sancti Martini vindi-
„ ctam aſſumere; & ſic dicto ordine in ex-
„ preſſis, quod dicta domus Valpergæ cum
„ aliis Gibellinis Canepicii pro rata patere-
„ tur.

„ Anno autem currente Milleſimo trecen-
„ teſimo trigeſimo nono, miſerunt Joannem
„ Azarium patruum meum, tunc Poteſtatem
„ Corgnatæ, & aliarum Terrarum Canepicii,
„ ipſis Dominis de Valperga ſuppoſitarum,
„ Mediolanum, ubi ex ſtipendiariis ventis
„ cum D. Hodriſio Vicecomite à Verona,
„ Lignanum, de quibus dictum eſt ſupra, ac-
„ ceperit Barbutas trecentum; & Malerbam
„ cum ipſis ſub Firma menſium ſex proximo-
„ rum firmavit pro faciendo guerram in Cane-
„ picio contra D. Comitem S. Martini, &
„ ipſorum ſequaces: quæ gens pulcra fuit, &
„ tota Teutonica, quibus Domini de Medicis
„ de Mediolano in ipſorum Ducem, & Capi-
„ taneum decreverunt. Annuit prædictæ ſcri-
„ ptioni prædictus D. Azo Vicecomes, ut di-
„ cta Civitas Mediolani quanto citius ipſis
„ æmulis privaretur, & ſic parvâ morâ inter-
„ poſitâ cum prædicto Capitaneo eorum verſus
„ Canepicium equitavit. Et primò in Canepi-
„ cio tranſitâ Duriâ ad locum Guiſcharum de-
„ venerunt; eſt enim locus, & Caſtrum Gui-
„ ſcharum in Canepicio, nec Domini hi ſunt

A „ de Comitibus ipſis, qualitercumque dictum
„ Caſtrum acquiſiverint, ſed ſunt confœderati
„ & amici cari Dominorum Comitum S. Mar-
„ tini, & pro ipſis multa damna ſunt perpeſſi.
„ Quæ gens cum ibi fuit, Villam, & Terram
„ ipſam ceperunt, robaverunt, & cremave-
„ runt, Caſtrum viriliter expugnantes. Sed
„ quia dictum Caſtrum muris excelſis eſt co-
„ ronatum, intrare minimè potuerunt, ſed
„ univerſa extra muros taliaverunt, poſtrave-
„ runt, & diruerunt. Deinde dicta gens tranſ-
„ actis pluribus diebus intravit Rivarolium:
„ eſt enim Rivarolium Terra communis, in
„ qua erant duo Caſtra, videlicet Caſtrum
„ Malgrati cum turri rotunda apud ipſam Ter-
B „ ram conſtructum per quondam D. Martinum
„ de Agladio; & potentiâ præmiſſi Principis
„ cum muris circa Caluxenum, & Ripam ru-
„ beam fabricavit. Aliud in Terra ipſa erat
„ Caſtrum antiquum poſſeſſum per complices
„ Dominorum de Valperga. Habitabant enim
„ tunc Terram Rivarolii homines ducentum
„ ad bellandum, & eſt in medio planitiei Ca-
„ nepicii apud Orchum conſtituta, quæ Terra
„ victualibus, giardinis, & aliis fructuoſis
„ qualibet Lombardiæ virtuoſis antecellit.
„ Quòd eſſet plena victualibus non eſt dicen-
„ dum. Nam per dictos nuſquam potuit eva-
„ cuari. Domus autem omnium Guelphorum
C „ exiſtentium in dicto diruerunt & combuſſe-
„ runt, devaſtando quælibet mœnia exiſtentia
„ extra Caſtrum Malgrati; & ibi machinando
„ dictum Caſtrum diu ſteterunt, ſed ea vice
„ non habere potuerunt. Deinde ivere Mon-
„ talengum; eſt enim Caſtrum Montalengum
„ in eminentiori loco planitiei Canepicii con-
„ ſtitutum, & ſub ipſo Burgi S. Georgii in
„ planicie conſtituti apud Rivarolium, & ubi
„ habitant homines quatuorcentum armigeri.
„ Nullus de ipſo Burgo piſſare poterat, quia
„ à Caſtro Montalengo videretur, quod Ca-
„ ſtrum erat unius pauperis Comitis de S.
„ Martino, ubi dum eſſent illi, baliſtrarii &
„ pedites de S. Georgio, tamquam capitales
„ inimici, cœperunt dictum Caſtrum, ſive
D „ ipſius aralea, viriliter debellare. Ex quo de-
„ fenſores tam voluntarii exiverant, quod mix-
„ to bello intra fortaliciam cum voluerunt ſe
„ reducere, nequiverunt; ſed retrocedentes
„ perdiderunt aralia, & Gibellini S. Georgii
„ ſimul & ſemel Guelphos incidendo intrave-
„ runt; & dictus nobilis ſenex cum paucis
„ etiam vulneratis ſe recepit ſuper Turri in
„ ipſo Caſtro exiſtenti; & ſtatim cum ipſis
„ inimicis pacta celebravit, quod niſi tertia
„ die ſequenti ſubſidium haberet tale, quod
„ dictum exercitum poſſet removere, quod
„ ipſis de S. Georgio fortaliciam ipſam trade-
„ ret. Et eam tradidit, nec tempore præſenti
„ ipſam recuperavit, ſed per Dominos de S.
E „ Georgio ipſum Caſtrum cum magna cautela
„ cuſtoditur, & omnia, quæ in ipſo loco
„ erant, ſubitò fuerunt derobata. Et ſic ipſo
„ Caſtro capto Orium devenerunt; eſt enim
„ Orium Palatium unum maximum, & maxi-
„ ma fortalicia, poſitum ſuper montem, &
„ apud S. Georgium, & cum infinitis expenſis
„ fabricatum, quod Caſtrum qualitercumque
„ fuerit acquiſitum, non eſt de aliquo jam di-
„ ctorum Comitum; cui guaſta dederunt, &
„ minimè habere potuerunt; ſed pacta cele-
„ braverunt, propter quæ pauperes facti ſunt,
„ & Vaſſalli D. Marchionis Montis-ferrati,
„ nec deinde partem Gibellinam offenderunt.

Digitized by Google

„ Deinde venerunt Spartonum, quod Caſtrum
„ eſt Dominorum Comitum Sancti Martini,
„ & apud Caluxenum ſuper Monticello ſuper
„ ripa lacus Candiæ conſtitutum, & ipſum
„ durè cum peditibus Mazadii prœliantes,
„ ipſum ceperunt, & univerſos in ipſo reper-
„ tos occiderunt, & muros diruerunt, in quo
„ uſque nunc nullus habitavit. Deinde ive-
„ runt S. Benignum, & ibi, quia caret forta-
„ licia, muraverunt; qui locus eſt D. Abba-
„ Christi nomine invocato, sedentes in Curia habitationis nostræ Mediolani super Palatio nostro novo respiciente super contrata & curtili nostro novo, in quadam camera cohærenti cameræ nostræ cubiculari, viam arbitratoris, & amicabilis compositoris in hac parte eligentes pro bono & quiete partium prædictarum: Pronuntiamus, diffinimus, arbitramur, arbitramentamur, præcipimus, & declaramus ut infra. Quas quidem pronuntiationes, diffinitiones, arbitria, & arbitramenta, præcepta, & declarationes volumus & mandamus per ipsas partes suis, & dictis modis, & nominibus debere attendi, observari, & adimpleri, & fieri cum effectu, quod eorum sequaces, & adhærentes attendant, observent, & adimpleant, sub prædicta pœna, modo, & forma prædictis solvenda, & toties committenda, & cum effectu exigenda à contrafaciente, seu contrafacientibus, quoties his fuerit contrafactum, & eâ pœnâ commissâ exactâ semel, & pluries, vel non exactâ, nihilominus hæ omnes & singulæ nostræ pronuntiationes, diffinitiones, arbitria, arbitramenta, præcepta, & declarationes inviolabiliter attendantur & observentur, & attendere & observare dictæ partes dictis modis, & nominibus, & quilibet ipsorum dictis modis, & nominibus teneantur.

„ In primis namque pronuntiamus, diffinimus, arbitramur, arbitramentamur, præcipimus, & declaramus bonam & veram pacem perpetuò duraturam inter dictas partes, & earum adhærentes & sequaces, quam pronuntiamus, diffinimus, arbitramur, arbitramentamur, præcipimus, & declaramus per eas partes, & earum quamlibet, & earum sequaces & adhærentes debere perpetuò & inviolabiliter observari; & eas partes, vel aliquam earum, aut aliquem earum, vel alicujus earum adhærentem & sequacem non debere contra ipsam pacem quoquo modo facere, vel venire per se, vel alium, directè, vel indirectè, vel per obliquum, tacitè vel expressè. Quòdque rancores, injuriæ, malitiæ, malè illata, & ablata, quo ad Deum, & ad Mundum, hinc inde remittantur, & remissa intelligantur per ipsos Dominos.

„ Item pronuntiamus, diffinimus, arbitramur, arbitramentamur, præcipimus, & declaramus, quod Civitas Hipporegiæ cum toto districtu, jurisdictione omnimoda, mero & mixto imperio, Castris, Villis, locis, feudis, retrofeudis, nobilibus, & non, ceterisque juribus & pertinentiis ad ipsam Civitatem pertinentibus, quocumque titulo, sive causa, ab hodierna die in antea sit, & esse debeat dictorum Dominorum Marchionis, & Comitis; & quilibet eorum habeat medietatem pro indiviso prædictæ Civitatis, ejusque jurisdictionis, districtus, imperii, reforti, feudorum, retrofeudorum, Castrorum, Villarum, locorum, ceterorumque jurium & pertinentiarum ad ipsam Civitatem pertinentium, ut supra. Et quod dictus D. Marchio medietatem pro indiviso dictæ Civitatis, & districtus, ceterorumque jurium & pertinentiarum ad ipsam Civitatem, ejusque districtum pertinentibus, prædicto D. Comiti hinc ad mensem unum proximè futurum teneatur, & debeat tradere, & expedire, & expeditam de cetero dimittere, & relaxare pacificè & quietè; quodque omnes, & singuli foreuſciti Hipporegiæ possint, si voluerint, venire ad dictam Civitatem, & districtum Hipporegiæ, & in eisdem Civitate & districtu stare & habitare, ire & redire valeant, & permittantur pacificè & quietè, prout ante expulsionem eorum veniebant. Et quod ipsi foreuſciti, qui, ut præmittitur, venire voluerint ad ipsam Civitatem Hipporegiæ, cum illis intrinsecis, aliquibus districtualibus, vel habitatoribus dictæ Civitatis, ejusque districtus, cum quibus guerram specialem habent, pacem & concordiam faciant, & faciant sibi invicem remissionem de omnibus & singulis rebus mobilibus, ablatis, & habitis per aliquam ipsarum partium, seu ipsas partes, vel alteram earum.

„ Item pronuntiamus, diffinimus, arbitramur, arbitramentamur, præcipimus, & declaramus, quod omnes & singuli dictæ Civitatis, & districtus Hipporegiæ, tam extrinseci, quàm intrinseci, incolæ & habitantes ipsius Civitatis & districtus, per prædictos D. Comitem, & Marchionem ad eorum gratiam admittantur. Et quod eis omnibus præfati D. Comes, & Marchio omnia eorum tam extrinsecorum, quàm intrinsecorum bona immobilia dimittant liberè expedita, salvo quod si qui ex foreuſcitis, sivè extrinsecis prædictis venire nollent ad ipsam Civitatem, seu ad gratiam & obedientiam dictorum Dominorum, bona eorum, qui venire recusaverunt, ut supra, sint ipsorum Dominorum Comitis, & Marchionis, utriusque videlicet ipsorum pro medietate pro indiviso.

„ Item, quod dicti foreuſciti ad aliquas taleas, impositiones, seu debita Communis factas & facta à tempore expulsionis eorum, usque ad diem, quo fuerunt revocati, seu admissi ad gratiam dictorum Dominorum, minime teneantur, nec compelli valeant pro eisdem.

„ Item, quod si idem D. Marchio, absque hærede legitimo masculo decederet (quod absit) quod in illo casu dicta Civitas Hipporegiæ tota ad dictum D. Comitem debeat pervenire, cum omnibus juribus, districtu, & pertinentiis ipsius Civitatis.

„ Item, quod dictus D. Marchio dictam medietatem ipsius Civitatis, & pertinentiarum ejusdem sibi spectantem, vendere, alienare, vel alio quovis modo transferre non possit, nisi in D. Comitem antedictum, ne ipse D. Comes ad socium & consortem habendum, & extraneum à cognatione sua in ipsa Civitate cogatur invitus; & ne ipsa Civitas, vel aliqua ejus pars, ad quam ipsi D. Marchio, & Comes efficiuntur, ad extraneos, vel alios perveniat, nisi utrique conjunctos. Non possit etiam ipse D. Comes, vel ejus successores partem Civitatis ejusdem, quam ad ipsum, ut præmittitur, „ pronuntiamus præsentialiter pertinere debere, seu partem per ipsum D. Marchionem retentam, & sibi declaratam pertinere, si res casu quo medietas ipsius D. Marchionis ad ipsum D. Comitem, vel ejus successores perveniret, ut supra, vel aliquam partem partis, vel totius partem vendere, donare, infeudare, vel quovis titulo in alium transferre, sed semper remaneat ei, & ejus

„ suc-

Digitized by Google

„ ſucceſſoribus Comitibus Sabaudiæ perpetuò, „ pleno jure, & ſine diminutione quacumque; „ & ſi contra fieret, non teneat, nec valeat „ ipſo jure.

„ Item, quod præfati D. Marchio, & Comes præſtent alternata juramenta, quod „ bene & fideliter abſque fraude dictam Civitatem Hipporegiæ, & diſtrictum, Villas, „ & Caſtra ipſius, unus alteri, & alter alteri, „ ſuo poſſe cuſtodient, & ſervabunt, tenebunt, & defendent contra omnes.

„ Item, quod dictus D. Marchio Villas, „ Caſtra, & loca foreuſcitorum de Cherio, „ ſeu habitantium & incolarum dicti loci exiſtentium de diſtrictu Cherii, cum territoriis & pertinentiis eorumdem, & cetera B „ per eum occupata in dicto diſtrictu, reddat, & det dicto D. Comiti; & quod dicti „ foreuſciti, & ceteri prædicti homagia, & „ ea, quæ dicto D. Marchioni fecerunt, & „ facere tenebantur, præfato D. Comiti facere, & ei obedire penitus teneantur infra „ menſem unum proximum à præſenti die „ inchoandum.

„ Item, quod ipſe D. Comes præfatis foreuſcitis Cherii domos, res, poſſeſſiones, „ & bona immobilia, quæ infra Cherium, & „ territorium habebant, & alibi in Terris dictorum DD. Comitis, & Principis, tempore expulſionis eorum foreuſcitorum, reddi „ faciat eiſdem, procuretque penitus cum C „ effectu pacem & concordiam inter foreuſcitos & incolas Burgienſes & intrinſecos fieri de guerris, quæſtionibus, & querelis exiſtentibus inter eos, infra menſem unum, „ hodie inchoandum, quodque idem D. Comes ipſos foreuſcitos favorabiliter tractet, „ prout ceteros intrinſecos dictæ Terræ. „ Ipſoſque reſtituat infra dictum terminum in „ honoribus, commodis, & beneficiis, quibus ante expulſionem eorum gaudebant, & „ prout gaudent alii Burgenſes dictæ Terræ.

„ Item, quod dicti foreuſciti de Cherio ad „ aliquas taleas, vel impoſitiones, ſeu debita „ Communis factas, ſeu facta à die expulſionis eorum, uſque ad diem, quo revocati D „ ſeu reſtituti in eorum bonis fuerunt per dictum D. Comitem, minimè teneantur, nec „ compelli valeant pro eiſdem.

„ Item, quod Caſtra Montiſcucchi, & Vergnani cum omnibus ſuis diſtrictibus & pertinentiis ſint, & eſſe debeant præfati D. „ Marchionis Montis-ferrati, & ſi aliqua ad „ dicta Caſtra, vel alterum eorum, ſeu pertinentias eorum, vel alieujus eorum ſpectantia, tenentur, reſtituantur dicto D. Marchioni infra menſem unum, hodie inchoandum: ſalvo & reſervato, quod ſi reperiretur, aliquam perſonam, vel perſonas habere aliquas terras, vel domos, aut alia immobilia in dictis Caſtris Montiſcucchi, & E „ Bergnani, ſeu altero eorum, vel eorum, „ ſeu alicujus eorum territorio, quod eo caſu „ eidem perſonæ, ſeu perſonis debeant dimitti, & relaxari ipſa omnia ad talem perſonam, ſeu perſonas pertinentia, ipsâ perſonâ, ſeu perſonis faciente, ſeu facientibus „ verſus præfatum D. Marchionem totum id, „ quod facere de jure tenetur & debet, ſeu „ tenentur & debent; & ſi qui eſſent expulſi „ de dictis Caſtris, ſeu Terris, quod ad ipſa, „ ſeu ipſas reſtituantur, & per ipſum D. Marchionem favorabiliter pertractentur.

„ Item, quod ſi aliquis contractus reperi- A „ retur factus per foreuſcitos omnium ipſorum locorum, vel alterius eorum, occaſione alicujus alienationis ſimulatæ ob „ defenſionem, vel aliter, ſeu aliquo colore, & probari poterit ſic eſſe per indicia, „ vel præſumtiones ſufficientes arbitrio Judicis eligendi per dictos D. Marchionem, & „ Comitem in Hipporegia, & dictum D. „ Comitem in Cherio, quod talis contractus & alienatio reſcindatur, & perinde ſit, „ ac ſi numquam factus, vel facta fuiſſet.

„ Item, quod in ipſis Terris Hipporegiæ, „ & Cherii regiſtrum, ſeu extimum fiat de novo, ſecundùm qualitatem & quantitatem „ divitiarum cujuſque, & interim non poſſit „ eiſdem aliqua imponi collecta, ſeu talea, „ ſecundùm extimum nunc exiſtens; ſed hoc „ differatur uſque ad novi extimi confectionem, quod quam celerius fieri poterit con„ ficiatur; & ſi pro aliquibus opportunis ta„ leam ante confectionem novi extimi fieri „ oporteat, imponatur, & fiat aliter quam „ ad extimum nunc exiſtens, prout juſtius & „ æquius videbitur ſecundum facultates cujuſque.

„ Item, quod ſi aliquis foreuſcitorum prædictorum aliquid habeat facere cum Communi, quod illi Domini ex prædictis, ad „ quos pertinebit, teneantur fieri facere ipſi „ foreuſcito ſummariæ juſtitiæ complemen„ tum, non obſtantibus ſupraſcriptis & in„ fraſcriptis.

„ Item, quod prædictus D. Marchio reſti„ tuat, & reſtituere debeat Caſtrum Malgra„ ti dicto D. Comiti infra menſem unum „ proximum hodie inchoandum. Et quod Vil„ la Riparolii cum ejus juribus reddatur & „ reſtituatur per D. Principem illis, quorum „ eſt & eſſe ſolebat ante exortam guerram „ ſupradictam. Et quod prædicti D. Marchio, „ & Princeps non poſſint aliquod jus de novo „ in prædicta Terra Riparolii, & ejus terri„ torio acquirere, aliquâ ratione, vel cauſâ, „ ſeu modo.

„ Item, quod de omnibus quæſtionibus, „ querelis, & guerris, & controverſiis ver- D „ tentibus uſque ad diem præſentem, & exiſtentibus inter prædictos D. Marchionem, „ & Principem, exceptis tangentibus Civitatem Hipporegiæ, diſtrictum, & pertinen„ tias ejuſdem Cherii, & diſtrictum, Mon„ temcucchum, & Vergnanum, Caſtrum „ Malgrati, & Villam Riparolii, prout ſu„ pra, quæ remaneant, ſicut eſt ſuperius de„ claratum: Ipſi D. Marchio, & Princeps qua„ tuor viros probos de terra ſua, quos volu„ erint, eligant, videlicet quilibet pro par„ te ſua duos, quibus jura ſua proponant, & „ proponere debeant; qui quatuor, auditis par„ tium juribus, jure, vel concordiâ, ipſas E „ quæſtiones & querelas ſedare valeant, ac „ etiam terminare. Eo autem caſu, quo quæ„ ſtiones ipſas pacificare & terminare non poſ„ ſent, ipſi D. Marchio, & Princeps eligant „ duos, quos voluerint, unum pro qualibet „ parte, qui non ſunt ſubjecti, vel affines „ alicujus dictorum Dominorum; & ipſi non „ concordantibus ſeptimum, qui partium au„ ditis juribus per viam juris, atque formam „ tantum, quæſtiones ipſas poſſint & debeant „ terminare. Ita tamen, quod ipſi, ſi volu„ erint de & ſuper quæſtionibus ipſis conſi„ lium Juriſperitorum non ſuſpectorum ha„ beant, prout eis videbitur expedire. Et te„ neantur

„ neantur ipſi Domini ipſos cognitores eligere infra menſem unum proximum, hodie inchoandum; & locum, diem, & tempus præfigere ac ſtatuere, infra quod jura ſua proponant, & proponere debeant, & ipſas quæſtiones ſic terminare.

„ Item ſi contingeret, dictum D. Principem (quod abſit) facere contra pacem, vel præſentem noſtram pronuntiationem, ſeu paci, vel præſenti pronuntiationi in aliquo contraire, quod D. Comes teneatur ipſum compellere ad ipſius pacis & pronuntiationis obſervantiam, & pœnæ ſolutionem, non derogando propterea, quin idem Dominus Princeps per nos Joannem, & alios Judices competentes cogi poſſint ad obſervantiam pacis, & pronuntiationis prædictarum, & ipſius pœnæ ſolutionem. Et ultra ipſe D. Comes, dicto D. Principe faciente contra præmiſſa, non debeat, nec poſſit eidem D. Principi dare contra ipſum D. Marchionem & ſuos auxilium, conſilium, vel favorem, donec ſatisfecerit & emendaverit idem D. Princeps omnia, ad quæ tenebitur, & teneretur vigore præſentis pronuntiationis.

„ Item, quod foreuſciti, banniti, & confinati de Terris prædictorum Dominorum, vel aliquibus, ſeu aliquâ ipſarum Terrarum, cauſâ, vel occaſione alicujus ipſorum Dominorum ſint quitti, & liberati, & ad ſua propria, ut de foreuſcitis Cherii, & Hipporegiæ ſuperius agitur, reſtituantur, reveſtantur, & reſtituti eſſe intelligantur, excepto illo de Taurino, vel illis exceptatis de Taurino, qui alias in pace facta inter dictos D. Marchionem, & Principem fuit exceptatus, ſeu fuerunt exceptati, & de quo, ſeu quibus pronuntiatum fuit, quod deberet, ſeu deberent extra remanere. Cui exceptato, ſeu quibus exceptatis, ut prædicitur, dandi licentiam & poſſibilitatem ad propria revertendi, & eum, ſeu eos quittandi, & liberandi, ut de aliis eſt præmiſſum, ſicut & quando voluerimus, nobis arbitrium reſervamus, & omnimodam poteſtatem. Et quod omnia banna, condemnationes, & proceſſus facti, & factæ, & data contra aliquem ex foreuſcitis, ſeu intrinſecis locorum prædictorum ſint caſſa, irrita, & remiſſa, & ex nunc prout ex tunc pro caſſis, irritis, & remiſſis habeantur, & ſint, & prædicta fiant infra menſem unum proxime hodie inchoandum. Et quod carcerati hinc inde infra dictum terminum libere relaxentur, in quibus condemnatis, bannitis, & confinatis intelligantur foreuſciti Cherii, & eorum ſequaces.

„ Item, quod Venerabili Fratre noſtro D. Epiſcopo Hipporegienſi præſtante bonam ſecuritatem in manibus dictorum DD. Marchionis, & Comitis, quod ipſi D. Marchio, & Comes de Caſtro Albiani, & Villa Andratæ, ſeu cauſa ipſius Villæ Andratæ, & Caſtri Albiani non patientur aliquam læſionem, & damnum aliquod non inferetur eiſdem: idem D. Marchio dictum Caſtrum Albiani, & Villam Andratæ cum diſtrictibus & pertinentiis eorumdem reſtituat & reddat D. Epiſcopo memorato.

„ Item dicimus, pronuntiamus, diffinimus, arbitramentamur, præcipimus, & declaramus, omnia & ſingula per nos ſuperius declarata, pronuntiata, diffinita, arbitrata, arbitramentata, præcepta, & declarata, debere per ipſas partes, & quamlibet earum ſolemniter emologari, approbari, ratificari, & confirmari ſub pœna, ſeu pœnis in ipſis compromiſſis appoſitis, infra dies quindecim proximos poſt notificationem de ipſis omnibus eis factam. Quæ quidem pronuntiata, diffinita, arbitrata, arbitramentata, præcepta, & declarata fecimus, ſedentes in ſupraſcripta Camera dicti noſtri Palatii in omnibus, & per omnia, prout ſuperius continetur, abſentibus partibus ſupraſcriptis, mandantes Areſmollo de Pirovano Notario infraſcripto Cancellario noſtro, & Raymondello infræſcripto Notario dicti D. Marchionis, ut de præmiſſis, unum, vel plura ejuſdem tenoris conficere debeant Inſtrumenta.

„ Actum Mediolani in Camera habitationis „ præfati Reverendiſſimi Patris, & D. D. Joannis Archiepiſcopi, & D. Mediolani, &c. ut ſupra, ſuper Palatio ſuo novo, reſpiciente ſuper contrata Verzarii, & curtili ſuo magno, in quadam camera cohærenti cameræ cubiculari dicti D. Archiepiſcopi. Pro Notariis fuerunt ibi Areſmollus filius D. Gulielmi de Pirovano Civis Mediolanenſis, Bonifacius filius quondam Hughetti Guarnerii de Mota Gratinopolitanæ Diœceſis Notarius, & familiaris dicti D. Comitis, & Petrinus filius quondam D. Bonjoannis de Faxoliis Parochiæ S. Fidelis, & Jacobinus Usbergherius filius D. Rizardi Portæ Cumanæ Parochiæ S. Marcelli, ambo Civitatis Mediolani Notarii, & Cancellarii prædicti D. Archiepiſcopi. Interfuerunt ibi teſtes, D. Petrus de Loës filius D. Petri, & Lanzalotus de Caſtellione, Condominus Caſtri de Cullo f. q. D. Perroneti ambo Diœceſis Gebennenſis, Conſiliarii præfati D. Comitis, & D. Matthæus Scarampus filius D. Antonii, Hughetus Yſnardus de Caſtello filius D. Thomayni ambo Cives Aſtenſes Conſiliarii D. Marchionis prædicti, & D. Gulielmus Marchio Pallavicinus de Burgo S. Donini Parmenſis Diœceſis, filius D. Cazani, & Guiſcardus de Lanciis de Grumello filius D. Simonis Civis Pergamenſis, Conſiliarii, ac Venerandus Vir D. Joannes Zucha Præpoſitus Taurinenſis in ſpiritualibus, necnon ſapientes Viri D. Raymundinus filius quondam D. Federici Archidiaconus Legum Doctor, & Fulchinus de Schiciis Juriſperitus filius D. Paxini Cives Cremonenſes in temporalibus Vicarii præfati D. Archiepiſcopi, & cum eo D. Archiepiſcopo commorantes, omnes noti, vocati, idonei, & rogati,

„ Et ego Raymondellus filius Gulielmi Bavæ „ de Grazano Notarius Diœceſis Vercellenſis „ præmiſſis præſens interfui, & ejuſdem D. „ Archiepiſcopi, & ſupradictorum mandato „ hoc Inſtrumentum tradidi, & rogatus ſubſcripſi, ſignoque meo conſueto ſignavi.

Traditio dominii Civitatis Hipporegiæ, data per D. Marchionem D. Comiti pro medietate pro indiviſo.

„ IN nomine Domini Amen. Anno ejuſdem „ Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo „ nono, Indictione ſecunda, die vigeſima „ quinta menſis Octobris, in palatio Com-

„ mu-

„ munis Civitatis Hipporegiæ, præsentibus
„ Magnificis & potentibus Viris D. Amedeo
„ Comite Gebennensi, Ottone de Brunsveich,
„ Gulielmo de Bulina, Joanne de Cocconato,
„ Aymone de Chialant, Ottolino de Ghiselbertis, Guidone Cathenæ, Vener. Viro D.
„ Fratre Fratre Gabrio Dei gratia Abbate
„ Monasterii Lucedii, Georgio de Solerio,
„ Matthæo Scarampo, Lanzaloto de Castellio-
„ no, Guideto Ysnardo, Petro Vulgentii, &
„ Joanne de Cerexeto testibus vocatis & ro-
„ gatis. Illustris Princeps D. Joannes Marchio
„ Montis-ferrati volens pacem pronuntiatam
„ per Reverendissimum in Christo Patrem D.
„ Joannem Vicecomitem Archiepiscopum, &
„ Dominum Mediolani, &c. inter ipsum D.
„ Marchionem ex parte una, & Illustrem
„ Principem D. A. Comitem Sabaudiæ nepo-
„ tem ipsius Domini Marchionis parte altera.
„ De quo pronuntiamento & pace constat pu-
„ blicis documentis receptis per me Notarium
„ infrascriptum, & plures Notarios, hoc eo-
„ dem Anno, & Indictione, die vigesimaquin
„ ta mensis Septembris, maximè de Civitate
„ Hipporegiæ inviolabiliter observare, in pa-
„ latio Civitatis ejusdem, ubi consilia fiunt,
„ & fieri consueverunt in pleno arengo homi-
„ num Civitatis ejusdem; assistente ibidem
„ Nobilium, & Procerum utriusque Domino-
„ rum non modicâ comitivâ, tradidit, & ex-
„ pedivit dicto D. Comiti recipienti & acce-
„ ptanti medietatem pro indiviso dictæ Civi-
„ tatis Hipporegiæ cum jurisdictione omni
„ moda, mero & mixto imperio, ita quod ab
„ hodie in antea sit, & esse debeat dictorum
„ D. D. Marchionis, & Comitis, & quod uter-
„ que habeat medietatem pro indiviso prædi-
„ ctæ Civitatis, ejusque jurisdictionis, distri-
„ ctus, imperii, & feudorum, &c. prout in
„ capitulis dicti Pronuntiamenti ipsam Civita
„ tem tangentibus evidentius & latius conti-
„ netur. Et in signum veræ traditionis posses-
„ sionis, & dominii pro medietate pro indi
„ viso, ut supra, tradidit ipse D. Marchio di-
„ cto D. Comiti recipienti & acceptanti cla-
„ ves portarum Civitatis ejusdem. Necnon
„ ipsi ambo D. D. Comes, & Marchio, &
„ ipsorum quilibet sibi ad invicem solemni
„ stipulatione promiserunt, & corporaliter ad
„ Sancta Dei Evangelia juraverunt, quod bene
„ & fideliter, absque fraude dictam Civitatem
„ Hipporegiæ, districtum, Villas, Castra
„ ipsius, unus alteri, & alter alteri suo posse
„ custodient, & servabunt, tuebuntur & de-
„ fendent contra omnes. Et si contingeret,
„ ipsam Civitatem, vel partem ejus (quod
„ absit) seu aliquid de jurisdictione & terri-
„ torio ipsius, seu juribus, perdi, occupari,
„ capi, vel auferri modo quocumque, quod
„ totis viribus ad recuperandum alterutrum,
„ & vicissim se juvabunt, & ad ea dabunt
„ operam cum effectu, omni occasione, &
„ causa cessantibus. Promittentes unus alteri,
„ & alter alteri vicissim solemnibus stipulatio-
„ nibus hinc inde intervenientibus per se se,
„ & eorum hæredes, prædicta omnia & sin-
„ gula perpetuò firma & rata habere, & tene-
„ re, & non contrafacere vel venire, aliquâ
„ ratione, vel causâ, de jure, vel de facto,
„ sub obligatione omnium bonorum suorum,
„ & refectione damnorum, & expensarum, ac
„ interesse. Et inde ambo dicti Domini mihi
„ infrascripto Notario, & Nicoleto de Mon-
„ frato Notario ipsius D. Comitis duo, vel
„ plura ejusdem tenoris Instrumenta dictanda
„ consilio sapientis, si opus fuerit, & reficien-
„ da fieri præceperunt.

Pacta concessa per D. Marchionem, & Comitem hominibus Hipporegiæ.

„ INfrascripta sunt pacta, & conventiones
„ facta, & factæ, ac concessa per Illustrem
„ D. Amedeum Comitem Sabaudiæ, & Joan-
„ nem Marchionem Montis-ferrati, sapienti
„ Viro D. Bonifacio de Morello Jurisperito de
„ Hipporegia Sindico, & Sindicario nomine
„ Communis, Universitatis, & hominum Ci-
„ vitatis Hipporegiæ. Necnon decem infra-
„ scriptis electis à generali Consilio, & Cre-
„ dentia dictæ Civitatis super confirmatione
„ dictorum pactorum à dictis Dominis impe-
„ tranda, & aliis infrascriptis factis, faciendis
„ per eos, ut de dictis Sindicatu & electione
„ constare dicitur publicis instrumentis, con-
„ firmata, approbata, & denuo concessa per
„ antedictos D. D. Comitem, & Marchio-
„ nem, ipsis Sindico & electis nomine &
„ vice totius Communis, Universitatis, &
„ hominum Civitatis ejusdem, necnon ab eo-
„ dem Sindico, & electis, ut præmittitur,
„ postulata, de gratia speciali, jurata etiam
„ per eos nominibus antedictis attendere &
„ observare inviolabiliter, prout infra.

„ In primis quidem dicti D. Marchio, D. &
„ Comes, & eorum heredes masculi ex eis
„ legitimè descendentes à modo in antea per-
„ petuo habeant dominium & signoriam,
„ merum & mixtum imperium, ac jurisdictio-
„ nem omnimodam Civitatis Hipporegiæ,
„ districtus, & pertinentiarum ejus, & exer-
„ citium prædictorum, & super dicta Civita-
„ te, districtu, & pertinentiis, & in perso-
„ nis, & super personas quascumque dictæ
„ Civitatis, jurisdictionis, districtus, & per-
„ tinentiarum, quæ nunc sunt, & fuerint in
„ futurum per se, vel nuntios eorumdem.

„ Item, quod prædictum Commune Hip-
„ poregiæ, & Universitas, sive eorum Sindici
„ eorum nomine, & omnes Credendarii no-
„ mine ipsorum Communis, & Universitatis,
„ & singulares personæ ipsius Civitatis jurent,
„ & jurare debeant ad Sancta Dei Evangelia
„ tacto libro, fidelitatem prædictis D. Mar-
„ chioni, & D. Comiti, recipientibus pro se,
„ & eorum heredibus prædictis, quod à modo
„ in antea erunt fideles homines ipsis D. Mar-
„ chioni, & D. Comiti, & eorum heredibus,
„ ut supra. Et quod attendent & observabunt
„ omnia illa & singula capitula, quæ in
„ forma fidelitatis nova & veteri continen-
„ tur.

„ Item, quod prædicti D. Marchio, & D. Co-
„ mes, vel aliquis eorum Officialis, vel Nun-
„ tius non possint imponere, excutere, vel
„ exigere à Communi Hipporegiæ, vel ali-
„ quibus singularibus personis ipsius Civita-
„ tis, vel districtus, aliquod fodrum, taleam,
„ collectam, & impositionem, quocumque
„ nomine censeatur, præter supra, & infra
„ sibi concessa, nisi ab eorum, quos negotium
„ tangeret, procederet voluntate, nec aliquid
„ aliud. Et ita tamen, quod non obstante fi-
„ delitate prædicta, jam dicti districtuales,
„ & Cives possint de possessionibus suis ven-
„ dere, alienare, contrahere, & testari, sicut
„ ante faciebant, salvo & reservato dictis D.
„ Marchioni, & D. Comiti, & heredibus eorum

„ ut

Digitized by Google

„ ut ſupra, mero & mixto imperio, & ju-
„ riſdictione prædictis.
„ Item, quod prædicti DD. Marchio, &
„ Comes, & eorum heredes, ut ſupra, habeant,
„ & percipiant per ſe, vel per alium, ſeu
„ alios, omnia banna, condemnationes, ſpor-
„ tulas, & judicaturas, quæ haberi, percipi,
„ & exigi poterunt, & debebunt ratione meri
„ & mixti imperii, & juriſdictionis prædicto-
„ rum, vel aliâ de causâ, occaſione juriſdi-
„ ctionis omnimodæ, meri & mixti imperii
„ in Civitate, diſtrictu, & pertinentiis præ-
„ dictis, rebus, & perſonis quibuſcumque.
„ Et gabellam ſalis cum pedagio ſalis con-
„ ſueto, quæ gabellatura eſt ſoldorum duo-
„ rum Imperialium pro quolibet ſtario, & pe-
„ dagium denarii decimoctavi pro quolibet
„ ſtario, & pedagium grani, & aliarum re-
„ rum, quod conſueverit percipi ad portam
„ de Fontana, & pedagium portæ de Laude
„ conſuetum. Pedagium molarum conſuetum,
„ & pedagium equorum nuper impoſitum per
„ bonæ memoriæ q. D. Henricum Imperato-
„ rem Romanorum VII. Et prædicta exer-
„ ceant, & exerceri faciant prædicti DD.
„ Marchio, & Comes, & adminiſtrari per
„ quoſcumque voluerint, prout ipſorum fue-
„ rit voluntatis. Eo pacto, quod in Civitate
„ Hipporegiæ, vel diſtrictu non poſſit appor-
„ tari ſal, niſi ad gabellam ipſorum Domino-
„ rum Marchionis, & Comitis, nec etiam
„ alibi per Civitatem, vel diſtrictum Hippo-
„ regiæ. Et qui contrafecerit, ipſum ſalem,
„ & beſtias deferentes perdat, & ultra hæc
„ pro quolibet ſextario, & plus vel minus
„ pro rata prædictis D. Marchioni, D. & Co-
„ miti ſolvere compellatur.
„ Item, quod nulla perſona poſſit emere
„ vel vendere ſal ad groſſum, niſi in dicta
„ gabella, & exercitari, vel ab exercitatore
„ gabellæ dando, & ſolvendo gabellatori ſive
„ exercitatori dictæ gabellæ pro quolibet ſex-
„ tario ſol. duos Imper. pro gabellatura, &
„ denar. decem octavum Imper. pro pedagio
„ cujuslibet ſextarii, pro quo debet, & con-
„ ſuetum eſt ſolvi pedagium, & plus vel mi-
„ nus pro rata majoris, vel minoris menſuræ;
„ & prædictis gabellatura, & pedagio tenea-
„ tur ipſe exercitor, dum in gabella ſal ha-
„ buerit, volentibus emere, vendere, & tra-
„ dere, dummodo ementes ſecum de pretio
„ ſint concordes. Hoc pacto, quod quicum-
„ que contrafecerit, nomine pœnæ ſolvat pro
„ qualibet vice, & quolibet ſextario ſol. quadr.
„ Imperial. & mercandiam perdat una cum
„ beſtiis eam deferentibus, quæ pœna, mer-
„ canda, & beſtiæ prædictis DD. Marchioni,
„ & Comiti applicentur; & ſalvo, quod non
„ obſtantibus prædictis, quilibet Civis Hip-
„ poregiæ fovens larem in ipſa Civitate, &
„ ſubditus habitans in diſtrictu Hipporegiæ,
„ poſſit, & ſibi liceat emere, & adducere,
„ ſeu adduci facere domum ſuam pro ſuo pro-
„ prio uſu, & domus atque familiæ ſuæ ſal
„ ſibi neceſſarium ad utendum, & non mer-
„ candandum, vel aliter alienandum, ſine ali-
„ qua gabellatura, vel pedagio inde ſolven-
„ da. Et quicumque in his fraudem commi-
„ ſerit, mercandiam, & beſtias deferentes
„ perdit, & bannum ſolidorum nonageſimi
„ Imper. ſolvat pro qualibet vice, & quolibet
„ ſextario, & plus & minus ſecundum men-
„ ſuræ quantitatem, quæ quidem pœna præ-
„ dictis DD. Marchioni, & Comiti applicetur.

A

B

C

D

E

„ Item, quod cives habitantes in Civitate
„ Hipporegiæ, & ſuburbiis Hipporegiæ, non
„ obſtantibus prædictis poſſint, & eis liceat
„ in Hipporegia, & ſuburbiis vendere ſalem
„ ad minutum, dummodo ipſum ſalem emant,
„ & accipiant in gabella, & à gabellatore
„ prædicto, ſolvendo gabellaturam pro dicto
„ ſale ſol. undecim Imper. pro quolibet ſexta-
„ rio ſalis, ut ſuperius eſt expreſſum; & dum-
„ modo, quod ad minutum vendatur, & ex-
„ tra Civitatem, & Suburbia non portetur.
„ Item eo pacto, quod per prædicta, vel ali-
„ quod prædictorum non fiat præjudicium
„ alicui civi Hipporegiæ in ejus juriſdictione,
„ mero & mixto imperio, & taliter honore,
„ quæ & quas haberet extra Civitatem præ-
„ dictam in diſtrictu, vel extra, in aliquibus
„ terris, poſſeſſionibus, ſeu hominibus, ſed in
„ omni ſuo jure remaneant ipſi cives, & ſpe-
„ cialiter in juriſdictione, quam habent D.
„ Bonifacius de Solerio Vicecomes, & ejus
„ nepotes in Bayo, qui habent juriſdictionem,
„ merum & mixtum imperium in homines de
„ Bayo de omnibus contractibus, vel quaſi,
„ quæ fierent, vel committerentur, inter præ-
„ dictos homines de Bayo in ipſo loco, &
„ poderio Bay; de quibus dicti DD. Marchio,
„ & Comes, vel aliquis Rector Hipporegiæ
„ non poſſit ſe intromittere, ſed ipſis D. Bo-
„ nifacio, & nepotibus, & eorum, & cu-
„ juslibet eorum heredibus remaneant pleno
„ jure.
„ Item, quod Commune Hipporegiæ poſ-
„ ſit, & ſibi liceat facere, & condere ſingu-
„ lis annis quandocumque eis videbitur, ſta-
„ tuta, & alias ordinationes, & reformatio-
„ nes, dummodo non ſint contraria, ſive con-
„ trariæ, repugnantia, vel repugnantes pactis
„ præſentibus ſupra, vel infraſcriptis, nec
„ fidelitati, ſeu fidelitatis capitulis factæ, vel
„ faciendis eidem D Marchioni, & D. Comiti
„ per dictum Commune, & ſingulares homi-
„ nes. Et idem D. Marchio, & D. Comes, &
„ eorum Poteſtates, Officiales, & Rectores,
„ qui fuerint pro tempore in ipſa Civitate,
„ teneantur ipſa eorum ſtatuta, ordinationes,
„ & reformationes tam factas, quàm facien-
„ das inviolabiliter obſervare, & facere ob-
„ ſervari.
„ Item, quod Commune Hipporegiæ per
„ duos menſes ante exitum regiminis Pote-
„ ſtatis præcedentis poſſit eligere ſibi Pote-
„ ſtatem quolibet anno, ſecundùm modum
„ infraſcriptum, videlicet, quatuor de Terra,
„ & ſubditis dictorum DD. Marchionis, & Co-
„ mitis, & obedientibus eis. Et ipſi D. Mar-
„ chio, & D. Comes ex dictis quatuor electis
„ concorditer nominatis, teneantur dare &
„ conſignare dicto Communi unum, quem
„ voluerint ipſi D. Marchio, & D. Comes. Et
„ ſi dicti cives infra octo dies introitus pri-
„ mi menſis dictorum duorum menſium non
„ nominaverint concorditer dictos quatuor,
„ tunc prædicti DD. Marchio, & Comes tam-
„ quam Domini dent & ordinent eis Poteſta-
„ tem.
„ Quæ omnia & ſingula prædicti DD. Mar-
„ chio, & Comes, & infraſcripti ſapientes
„ electi ſuper confirmatione dictorum pacto-
„ rum à dictis Dominis impetranda, obſer-
„ vare & attendere promiſerunt. Et ea pa-
„ cta, prout ſupra, ipſi Domini confirmave-
„ runt, ratificaverunt, & de novo conceſſe-
„ runt, nec non obſervare, & attendere, ut
„ ſupra

Digitized by Google

„ ſupra dictum eſt, perpetuo juraverunt.
„ Ipſique ſapientes infraſcripti electi, ut ſu-
„ pra prædictis Dominis fidelitatem & homa-
„ gium juraverunt ad Sancta Dei Evangelia
„ corporaliter tacto libro. In quorum pacto-
„ rum confirmatione, & conceſſione, & alio-
„ rum ſupra, & infraſcriptorum dictus D.
„ Marchio reſervavit honorem Sereniſſimi
„ Principis D. Imperatoris Romanorum, &
„ Imperii Romani. Et etiam dictus D. Comes
„ ſimiliter obſervavit, ſalvis ſemper ſibi, &
„ ſuis, largitionibus Imperialibus ſibi, ſeu
„ Prædeceſſoribus ſuis factis, per bonæ me-
„ moriæ D. Imperatores quondam, de quibus
„ proteſtatus eſt ante & poſt, honorem dicti
„ D. Imperatoris, & Imperii Romani, reſer-
„ vatum in omnibus & ſingulis ſupra, & in-
„ fraſcriptis.

Nomina verò dicti Sindici, & electorum ſuperius nominatorum ſunt hæc.

„ D. Bonifacius de Morello Juriſperitus Sin-
„ dicus.
„ Bonifacius de Solerio Vicecomes.
„ Martinus de Solerio.
„ Thomenus de Solerio.
„ Savinus de Solerio.
„ Franciſcus de Solerio.
„ D. Jacobus Taliandus.
„ Ludovicus Taliandus.
„ Petrus de Laſtria.
„ Bonifacius de Laſtria.
„ Franciſcus de Buella.
„ Acta ſunt hæc in palatio Communis Hip-
„ poregiæ, præſentibus teſtibus Illuſtri Viro
„ D. Amedeo Comite Gebennenſi, D. Gui-
„ lielmo de Balma, D. Guigone Cathen., Ay-
„ mone de Chalant militibus, Lanzalotto de
„ Caſtelliono, Sarcello de Mombrion, nec-
„ non D. Ottone de Brunſvich, Joanne de
„ Cocconato militibus, Matthæo Scarampo,
„ Guideto Iſnardo de Caſtello Civibus Aſten-
„ ſibus, & Ottolino de Ghiſelbertis Vicario
„ ſupraſcripti Domini Marchionis in Anno
„ Domini MCCCXLIX. Indictione ſecunda,
„ die XXVI. menſis Octobris.

Fidelitas præſtita per Credentiam, & per omnes infraſcriptos D. Marchioni, & Comiti, communiter pro indiviſo.

„ IN nomine Domini Amen. Anno ejuſdem
„ MCCCXLIX. Indictione ſecunda, die
„ vigeſima ſexta Octobris, in palatio Com-
„ munis Hipporegiæ, infraſcripti de Creden-
„ tia Civitatis Hipporegiæ juraverunt fideli-
„ tatem & homagium Illuſtribus Viris D.
„ Amedeo Comiti Sabaudiæ, & D. Joanni
„ Marchioni Montisferrati, & eorum cuilibet
„ pro indiviſo.

„ Jacobus de Solerio.
„ Jublavarus de Solerio.
„ Joanninus de Solerio.
„ Antonius de Solerio.
„ Dimitrius de Solerio.
„ Martinus de Manuelis de Solerio.
„ Gottifredus de Mercato.
„ Grimoldus Calderarius.
„ Baldaſſar Loge.
„ Franciſcus de Aſt.
„ Nicolaus Barenellus.
„ Bonifacius de Storrano.

A „ Franciſcus de Creſpa.
„ Bonifacius Portiglola.
„ Francottus de Abbate.
„ Gabriel Taliandus.
„ Simon de Porta.
„ Ubertinus de Alice.
„ Obertus Barronus.
„ Martinus Loge.
„ Conradus de Clara.
„ Dominicus de Puteo.
„ Dominicus de Mercato.
„ Martinus de Mercato.
„ Guilielmus de Prato.
„ Gabriel de Burgo.
„ Jacobus de Laſtria.
B „ Jacobus Zucha.
„ Facionus Gorena.
„ Franciſcus de Burgo.
„ Item infraſcripti, qui non ſunt de Cre-
„ dentia, eodem modo juraverunt fidelitatem
„ & homagium prædictis DD. Marchioni, &
„ Comiti, de quibus non fuit receptum in-
„ ſtrumentum, ſed ſolum juraverunt diverſis
„ diebus, ut infra, &c.

Dicto die infraſcripti juraverunt.

„ Bertramus de Solerio.
„ Jacobinus Loge.
„ Joannes de Baudiſerio.
C „ Joannes Antonius de Xandra.
„ Albertus Govus Arduini de Cermanis
„ Stephanus de Januariis.
„ Antonius de Caſtella.
„ Joannes Burletus.
„ Anſaldinus de Alaxeta.
„ Petrus filius D. Philippi de Puteo.
„ Manfredus de Bertacio de Veſtignato.
„ Conradus de Clavarano.
„ Bertolellus de Caſa-nova.
„ Petrus Perrotinus.
„ Bartholomæus de Veneſia.
„ Antonius Martini de Clara.
„ Joannes Ferrerius de Torracio.
„ Petrus Milanexius.
D „ Ubertus Orenzanus.
„ Petrus Cuxus.
„ Obertinus Balbi.
„ Guilielmus Ferrarius de Albiano.
„ Fulchus de Salizola.
„ Jacobus de Sancta Agata.
„ Percivallus de Mercato.
„ Manuel Carendus.
„ Joanninus Rex.
„ Ruffinus Palpera.
„ Ruffinus de Florano.
„ Franciſcus de Fratis.
„ Franciſcus Taliandus.
„ Martinus de Vigintauno.
„ Perna Fornaxarius.
E „ Thomas Frexius.
„ Joanninus de Nicoletto.
„ Magiſter Facius de Sancto Paulo.
„ Joannes Calierius.
„ Jacobus de Lifredo.
„ Martinus de Seſano Beccarius.
„ Bonifacius Contus.
„ Joanninus filius Bozardi.
„ Joannes de Florano.
„ Petrus de Brozio gener Ottoni Berlenga.
„ Joannes Droeti.
„ Franciſcus Rocca.
„ Antonius de Belargento.
„ Petrus de Mercato.

Digitized by Google

„ Sexanus Beccarius.
„ Gottofredus de Gabalhate.
„ Petrus de Brozio.
„ Joanninus Graſſus.
„ Petrus Bagnatus.
„ Bertrandus de Clara.
„ Martinus de Clara.
„ Dominicus Tagliaſtor.
„ Ardizonus Rocca.
„ Petrus della Porta.
„ Bertolinus de Ponza.
„ Franciſcus de Rolino.
„ Petrus Rigoleti.
„ Raymundus de Ponza.
„ Henricus de Bozia.
„ Francottus de Perrazono.
„ Joannes Boglatus.
„ Antonius de Ripa.
„ Guilielmus Piata.
„ Ardicio de Banchetis.
„ Joannes de Steveneto.
„ Petrus de Candea.
„ Ottinus de Padono.

Die vigeſima ſeptima Octobris juraverunt infrãſcripti, &c.

„ Petrus de Ripa.
„ Bertolinus Perſcetus.
„ Franciſcus Milaneſius.
„ Raynerius Droengus.
„ Joannes de Riparolio.
„ Franciſcus filius Remirolii.
„ Guilielmus Dorerius.
„ Obertinus de Mediolano.
„ Petrus Taliandus.
„ Savinus de Solerio.
„ Franciſcus de Cucilio ejus nepos.
„ Marchion Petri Fogleti.
„ Michaël de Clavarano.
„ Joannes filius Donzelloni.
„ Vercellonus Saglachus.
„ Joannes de Oddono de Mediolano.
„ Joannes de Ponzano.
„ Franceſcotus de Pivio.
„ Jacobus Delicatus.
„ Joannes Ricardus de Vinay.
„ Petrus Peſſina.
„ Anſaldinus Portiglola.
„ Joannes de Arnaldo.
„ Joannes de Ugone.
„ Benedictus Molinerius.
„ Raynaldus Durandi.
„ Obertinus de Caſteglono.
„ Martinus Buzonus.
„ Stephanus filius Perretti de Germana.
„ Petrus Cacraxinus.
„ Petrus Fagletus.
„ Joanninus filius Petri Becharoni.
„ Jacobus de Raynaldis.
„ Bethinus de Mediolano.
„ Matthæus Drocugius.
„ Franciſcus de Blava.
„ Ruffinus de Caudellera.
„ Petrus Gayus.
„ Petrus de Novaria.
„ Rubeus de Ayma.
„ Joannes de Marcheto.
„ Thomenus de Arondello.
„ Berrolinus filius Bertoleti Arietis.
„ Hugoninus Taliandus.
„ Jacobus de Pivio.
„ Martinus de Montaldo.
„ Joannes Pamparatus.

A „ Joannes de Ugheta.
„ Joannes de Morello.
„ Philippinus de Solerio.
„ Antonius de Gaugleto.
„ Antonius Carnaza.
„ Ricardus de Ultrapontem.
„ Perrinus Garigletus.
„ Guilielmus de Roſſeta.
„ Guilielmus de Gaudino de Albiano.
„ Bottus Drocugus.
„ Meſſera Drocugus.
„ Bertolinus Drocugus. Iſti tres juraverunt
„ pro ſe, & pro Guideto, Bartholomæo,
„ & Antonio de Droengh, pro quibus
„ promiſerunt.
B „ Martinus Joannis Petiti.
„ Henricus de Maſuengo.
„ Joannes Meſonerius.
„ Bochinus famulus DD. de Solerio.
„ Magiſt. Joannes de Cerridono Phyſicus.
„ Bonifacius de Loſanono.
„ Jacobus Cagna.
„ Gaſpardus de Florano.
„ Guilielmus Sartor de Gimey.
„ Jacobus de Romano.
„ Jacobus de Germano.
„ Petrus filius Joannis Mexonen.
„ Prædicti omnes juraverunt in manibus
„ mei Raymundelli de Grazano Notarii in-
„ fraſcripti dictis diebus.
C „ Infraſcripti etiam juraverunt in manibus
„ Guilielmi filii mei, & Guilielmi Zacholelli
„ de Virolengo.

Die vigeſima ſeptima Octobris.

„ Jacobus de Roſſeto.
„ Joannes ejus nepos.
„ Joannes Ferrerius.
„ Petrus de Graffagno.
„ Jacobus filius Antonii de Marino.
„ Joannes de Audixia de Scarmagno.
„ Joannes Magnetus.
„ Petrus de Pontia.
„ Petrus Burghetus.
D „ Joannes de Rubino.
„ Jacobus filius Ardizonis Rochæ.
„ Philippus de Pilla.
„ Bertolinus Orenganus.
„ Xandrus Orenganus.
„ Joannes de Bonollo.
„ Antonius filius Bertolini de Ripa.
„ Petrus Ferrerius de Clavarano.
„ Vercellus de Andueno.
„ Jacobus Decanus de Donato.
„ Laurentius de Metro.
„ Bertolinus de Nuce.
„ Perrodus Becharius.
„ Juraverunt in manibus Borgeri, &c.
„ Infraſcripti juraverunt in manibus Gu-
E „ lielmi de Virolengo.
„ Jacobus de Lamberto.
„ Franciſcus de Jan.
„ Bonus Joannes de Lambergolina.
„ Bertolinus de Parneto.
„ Ghiſulphus de Marcenaſco.
„ Joannes Odrici Teſtoris.
„ Joannes de Pitayino.
„ Pioella Dorerius.
„ Martinus de Clavarano.
„ Franciſcus Trattus.
„ Perronus de Viccarona.
„ Jacometus Stor.
„ Ottinus de Boſceto de Banchetis.

„ Jaco-

Digitized by Google

„ Jacobus de Rodulpho de Banchetis.
„ Dominicus della Borgheſa.
„ Chriſtianus Jacobi Maxaroti.
„ Petrus Baſtardus de Vomaſio.
„ Franciſcus Dorerius.
„ D. Joannes de Solerio.
„ Petrus Beſſus de Stellis.
„ Petrus de Stevagnono.
„ Raynerius de Loſanovo.
„ Guilielmus de Pallo.
„ Vercellus Molinus.
„ Ubertinus della Vernea.
„ Joanninus de Frigiis.
„ Doninus Caudererius.
„ Martinus de Alice.
„ Joannes della Maſnenga.
„ Petrus Gulielmi Tonſi.
„ Bertinus Joannis de Donato.
„ Jacobus Cavallus.
„ Joannes de Lezulo.
„ Jacobus de Mortiglano.
„ Joannes Torracius.
„ Petrus Bonus.
„ Jacobus de Augeleto.
„ Petrus della Petita.
„ Antonius de Bauzela.
„ Joannes della Pelizona.
„ Joannes Grandus.
„ Henricus de Gallo.
„ Antonius de Caudello.
„ Franciſcus de Scuſaccio.
„ Franciſcus Tonſus.
„ Conradus filius Nicolai de Bolengo.
„ Bertolinus filius Martini de Jacomella.
„ Antonius de Pometa.
„ Guidetus Zapinus.
„ Martinus Corgnatus.
„ Petrus Gaſtaldus.
„ Bertinus de Joanne Pomato.
„ Jacobus Ghiglia de Storrano.
„ Petrus Mazolius.
„ Jachetus Laynerius.
„ Antonius Loge.
„ Gualinus Cattaneus de Silavengo nomine
„ ſuo, & filii ſui, Manuelis mariti Anto-
„ ninæ.
„ Jacobi de Burgo.
„ Jacobus della Barbera.
„ Marinetus Becherius.
„ Joannes Bovetus.
„ Raynaldus de Bajula.
„ Joannes Ferrarius.
„ Jacobus Peylamatus.
„ Jacobus Fornerius.
„ Joannes Fornerius de Cita.
„ Rogerius Talien.
„ Petrus de Banno.
„ Gulielmus Trumpalis.
„ Jacobus ejus gener.
„ Joannes de Raynaldo.
„ Henricus de Padono.
„ Stephanus Bergognonus.
„ Ubertus Fornerius.
„ Roletus Fornerius.
„ Joannes Vaynerius.
„ Franciſcus Arnaudo.
„ Jacobus Servus.
„ Antonius Serius de S. Martino.
„ Gulielmus de Oberto de Antonio.
„ Gulielmus de Raynaldo.
„ Antonius de Strambino.
„ Bertolinus Fel.
„ Leo de Valperga.
„ Franchinus Calius.

A „ Subat. Fornerius.
„ Petrus Lanerius de Muſobolo.
„ Conradus de Prato.
„ Franciſcus de Prato.
„ Jacobus de Prato.
„ Bertinus Coperius.
„ Stephanus Coperius.
„ Jacobus Boccha ſive Caravina.
„ Aymonetus Deanus.
„ Joannes de Santo Odrico.
„ Franciſcus della Barbera.
„ Petronus Surginus.
„ Petrus de Bardoto.
„ Guilielmus de Jan.
„ Joannes Filarobius.
B „ Dominicus de Banchetis.
„ Jacobus de Caſtro novo.
„ Joannes de Strambino.
„ Joannes Quaglia.
„ Bertolinus de Boveto.
„ Jacobus de Verardo.
„ Joannes de Caluxino.
„ Joannes de Verardo.
„ Ricardinus Loge.
„ Laurentius de Metro.
„ Joannes filius Boffæ.
„ Ubertinus Petri de Broſio.
„ Micha de Banchetis.
„ Petrus de Zapileto.
„ Jacobus de Lererono.
C „ Guilielmus Cagnus.
„ D. Facius de Florano.
„ Joannes de Florano ejus nepos.
„ Nicolinus Gulielmi de Lezolo.
„ Benedictus de Solerio.
„ Beſſus Taliandus.
„ Jacobus de S. Agata.
„ Martinus filius Coſturi.
„ Guilielmus filius Petri Goſtoris.
„ Joannes de Everono.
„ Magiſter Oddo de Ultra-pontem.
„ Franciſcus Pilonus.
„ Benedictus de Banchetis.
„ Raymundinus de Burgaro.
„ Martinus de Prato.
D „ Bonus Joannes de Ripa.
„ Joannes Ferrandus.
„ Antonius Zochelerius.
„ Joannes della Coſta.
„ Petrus de Donato.
„ Ubertus Graſſus.
„ Antonius Caudera, &
„ Martinus Compagnus.

L'Anno ſeguente Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſi rinovarono col memorato Arciveſcovo le convenzioni del dominio della Città d'Aſti, nel modo e forma, che era ſtato conceſſo a Luchino ſuo fratello, le quali convenzioni egli male oſſervò, perchè introduſſe in eſſa quelli del Solero con la parte loro: il
E che fu cagione d'una nuova turbazione per lo ſdegno, che di queſto tolſe la parte Gibellina, la quale dopo la morte di eſſo Arciveſcovo ripoſe e reſtituì in detta Città, e dominio di quella, il memorato Marcheſe Giovanni.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo, Indizione quarta, alli venticinque del meſe di Luglio, Giovanni Marcheſe di Monferrato a richieſta del Reverendo Frate M. Simone del Solero d'Ipporegia Abbate del Monaſterio di Grazano, confermò a detto Abbate qualunque privilegio, grazie, conceſſioni, immunità, & largizioni, conceſſe per li predeceſſori ſuoi al detto Monaſterio.

Digitized by Google

Inveſtendolo per tradizione di coltello a nome ſuo, e del detto Monaſterio, di tutte le predette conceſſioni, grazie, & immunità. Et eſſo Abbate ponendoſi la mano al petto a nome ſuo, e del detto Monaſtero, promiſe ſolennemente al predetto Marcheſe d'eſſergli fedele, e di conſervare la perſona, beni, uomini, onori, e ragioni ſue, e di mantenerle ad ogni ſua poſſanza: del che ne fu rogato inſtrumento da Guglielmo Bava di Grazano detto Borgeri nel Caſtello di Montebello, alla preſenza di Giacomo Provana Cavaliere, Franceſco di Summo Vicario del predetto Marcheſe, Uzone Pellucco Giudice di Caſale, Bonifacio di Solero d'Ipporegia, Biagio Moicio, & molti altri.

L'Anno predetto Giovanni Cane detto Berretta Sindico della Comunità, & uomini di Caſale S. Evaſio inſieme con Giacomino Bianco Podeſtà di eſſo Borgo, & Sagliono d'Ozano Capitano del popolo, con molti de' Conſiglieri, Nobili, & Popolari di Caſale, i quali accompagnarono i detti Sindico, Podeſtà, e Capitano, riconobbero & riceverono il Marcheſe Giovanni in vero Signore del Borgo, uomini, & territorio di Caſale, ſecondo che era ſtato ordinato nel generale Conſiglio di detto luogo, come ſi contiene in uno Inſtromento rogato dal detto Guglielmo, qui ſotto eſemplato.

„ IN nomine Domini Amen. Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo, indi-
„ ctione quarta, die Martis, ſecundo menſis
„ Auguſti, in poſſe Caſalis S. Eyaſii in ſtrata
„ publica Communis, per quam itur de Ca-
„ ſali verſus Torcellum, ante portam Aqua-
„ rolii longe à dicta porta circa baliſtratas
„ duas; præſentibus Magnificis, & egregis Viris
„ D. Ottone de Brunſvich, Florello de Bec-
„ caria, Fratre Simone de Bondonis Abbate
„ S. Stephani Vercellenſis, Oberto Turco de
„ Caſtello milite, Manfredo Marchione de
„ Buſca, Antonio de Ticcionibus de Vercel-
„ lis, Joanne de Cocconato Comite, Thadæo
„ de Gabiano militibus, Girardino de Burga-
„ ro, Oliverio Turco de Caſtello, Matthæo
„ Scarampo, Oddonino de Rochetta, Joan-
„ nardo de Anciſa, Hueto Iſnardo, & multis
„ aliis Nobilibus teſtibus vocatis & rogatis,
„ quorum præſentia Joannes Canis dictus Ber-
„ reta, Sindicus, & Sindicario nomine Com-
„ munis & hominum Caſalis, habens ad in-
„ fraſcripta ſpeciale mandatum, procedens
„ obviam Illuſtri & Magnifico D. D. Joanni
„ Marchioni Montis-ferrati, Domino Burgi
„ Caſalis S. Evaſii, cui cohæret poderium
„ Torcelli, poderia Burgi S. Martini, Mora-
„ ni, Fraxineti, & Terriculæ, una cum Jaco-
„ bino Blanco Poteſtate dicti loci, & Saglo-
„ no de Ozano Capitaneo populi, atque cum
„ multis ex Conſiliariis dictæ Communitatis
„ Caſalis, necnon cum multis Nobilibus, &
„ Popularibus dicti loci ſociantibus dictum
„ Sindicum, & prædictos Poteſtatem, & Ca-
„ pitaneum ad eundum obviam præfato D.
„ Marchioni ad ipſum recognoſcendum & re-
„ cipiendum in verum Dominum Burgi, ho-
„ minum, & territorii Caſalis, prout ordina-
„ tum fuerat in generali Conſilio dicti loci
„ Caſalis, in quo dictus Joannes fuerat ad
„ hoc Sindicus conſtitutus. Exiſtens in via
„ publica, per quam itur de Burgo Caſalis
„ per portam Aquarolii verſus Caſtrum Tor-
„ celli, conſtitutus in præſentia præfati D.
„ Marchionis, præſentibus multis Nobilibus
„ Vaſſallis ipſius D. Marchionis, dixit, pro-
„ teſtatus fuit, atque recognovit ipſum D.
„ Joannem Marchionem Montis-ferrati per ſe,
„ & heredes ſuos, eſſe, & eſſe debere in per-
„ petuum Dominum præfati Burgi Caſalis,
„ & hominum dicti loci, & ejus territorii cum
„ mero & mixto imperio, & omnimoda ju-
„ riſdictione; & ad ipſum pertinere, & per-
„ tinere debere omnes redditus, & obventio-
„ nes, & jura Communitatis Caſalis cum in-
„ tegro ſtatu dicti loci, & territorii, tam-
„ quam ad verum Dominum dicti Burgi, ter-
„ ritorii, Communitatis, & hominum dicti
„ loci, velut ad ſucceſſorem illuſtrium quon-
„ dam Marchionum Montis-ferrati, qui per
„ tempora fuere Domini dicti Burgi, Commu-
„ nitatis, & hominum dicti loci. Et ſi ex
„ prædictis cauſis & titulis ſupradicta ad di-
„ ctum D. Marchionem non plenè pertinerent,
„ prædictus Sindicus Sindicario nomine quo
„ ſupra tranſtulit, dedit, atque ceſſit de novo
„ in præfatum D. Marchionem dominium
„ prædicti Burgi Caſalis, & Communitatis
„ dicti loci, & territorii totius cum mero &
„ mixto imperio, & omnimoda juriſdictione,
„ Contitu, & Signoria, cum omnibus juribus
„ & rationibus ad præfatam Communitatem
„ ſpectantibus, & cum omnibus regaliis dicti
„ loci; & cum integro Statu dicti loci & Ter-
„ ritorii. Et in ſignum veri Dominii tradidit
„ præfato D. Marchioni claves portarum di-
„ cti Burgi Caſalis, inducendo ipſum in poſ-
„ ſeſſionem dicti Burgi, & Dominii, & to-
„ tius ejus Territorii, tali modo, quod præ-
„ fatus D. Marchio per ſe, & heredes ſuos
„ dictum Burgum, tamquam verus Dominus
„ pacificè & quietè teneat & poſſideat per ſe,
„ & heredes ſuos. Promittens præfatus Sindi-
„ cus prædicto D. Marchioni dictum Burgum
„ & Dominium dicti Burgi, Communitatis,
„ hominum, & totius Territorii defendere &
„ manutenere ab omnibus perſonis ſingulari-
„ bus, Communibus, Collegio, & Univerſi-
„ tatibus, ſicut boni & fideles homines debent
„ varentire Dominum ſuum, & obedire ejus
„ præceptis, monitionibus, & mandatis, tam-
„ quam vero ipſorum Domino. Qua recogni-
„ tione & translatione facta, Jacobinus Blan-
„ cus Poteſtas dicti loci in ſignum veri Do-
„ minii eidem D. Marchioni tradidit bache-
„ tam officii ſui, & in manibus ſuis renuntia-
„ vit Poteſtariam dicti loci; Et Saglonus Ca-
„ pitaneus dicti populi eidem tradidit Maciam
„ ſui Capitaneatus, & Confalonum populi di-
„ cti loci, & in manibus ſuis renuntiavit of-
„ ficio ſupradicto; Et inde per ipſum D. Mar-
„ chionem fuit præceptum fieri publicum
„ Inſtrumentum per me Notarium ſupradi-
„ ctum.

L'Anno medeſimo alli quattro del detto meſe d'Agoſto il predetto Guglielmo Bava ſi rogò delle conceſſioni e grazie fatte pel predetto Marcheſe al Comune, & uomini di Caſale, contenute nel ſeguente Inſtrumento.

„ IN nomine Domini amen. Milleſimo tre-
„ centeſimo quinquageſimo, Indictione
„ quarta, die Jovis quarto Auguſti, in domo
„ Fratrum Minorum de Caſali in Refraytorio
„ dicti Conventus, præſentibus Magnificis &
„ Egregiis Viris D. Ottone de Brunſvich,
„ Florello Beccaria, Oberto Turco de Caſtel-

Amedeo Conte di Savoja a fargli l'omaggio, ricusò di farlo; ma si fece Vassallo di Bernabò Visconte: & in questa discordia, Bernabò mandò nel Piemonte cinque cento lancie Italiane contro Amedeo. Perlochè esso Amedeo mandò Gaspardo di Monte maggiore, Cavaliere, Vassallo suo, a dolersi col predetto Barnabò, dal quale non potè avere altra risposta, solo che dovesse dire al Conte Amedeo, che fra pochi giorni Galeazzo Visconte suo fratello aveva deliberato di mandare a mettere il campo in Asti, e che pigliando la detta Città, come sperava, saria bisogno, che il Conte di Savoja, co i suoi andassero a stare oltre i monti. Questa ambasciata fece molto dubitare Amedeo, e gli diede gran paura & affanno, nè dopo lunghi varj pensieri e discorsi vi conobbe altro rimedio, solo mettere il Pontefice in sospetto contro Bernabò, e Galeazzo Visconte. E per questo mandò uno de' suoi a Papa Gregorio XI. il quale poichè gli ebbe narrato la comminazione, che aveva mandato a fare Bernabò Visconte ad Amedeo, gli soggiunse, che quando Sua Santità non fosse bene avertita, Galeazzo Visconte pigliava la Città d'Asti, & anderia poi a Genova a farsi Signore di essa Città, & avendo questi due passi, per li quali e per mare e per terra i luoghi della Chiesa si potevano soccorrere, mireria poi a infestarli. Et in un medesimo tempo, senza scoprire le predette cose al Marchese Giovanni, mandò da lui in Asti a fargli intendere, che volentieri parlerebbe con lui di cose ben' importanti, e che erano in beneficio suo. Il Marchese a questo fece risposta, che in breve anderia al luogo suo di Chivasso, dove delibereria quanto gli paresse di fare, e così fra alquanti giorni vi andò. Amedeo intesa la venuta sua a Chivasso, mandò molte volte un suo Scudiere a richiederlo, che volesse andare al luogo di Rivole della Diocesi Taurinense, nel Castello, dove gli aveva fatto apparecchiare, perchè desiderava molto di parlargli presenzialmente. Onde il Marchese ripensando le cagioni, le quali potessero indurre esso Conte a richiedere tanto sollecitamente l'andata sua a Rivoli, nè sapendo per alcuna congiettura imaginarle, mandò Bogeri della Sala suo Segretario dal Conte Amedeo ad investigarle, prima che si volesse mettere in camino. Pur poco operò, poichè il Conte non volle scoprirsi con lui. Anzi fece istanza, che scrivesse al Marchese Giovanni, esortandolo a trovarsi a parlamento con esso Conte. Dove il Marchese vedute le lettere del Segretario suo, deliberò di sodisfare alle richieste del predetto Amedeo; e non ostante che egli fosse alquanto infermo, andò da lui a Rivoli, e conduse seco Petrino, e Bartolomeo di San Giorgio Conte di Biandrà, Enrico di Cereseto, Giovanni Braida, Marcone di Bremide, Bertolotto di Trino, e molti della Corte sua, dove fu onoratamente raccolto dal detto Conte. Il quale essendo al parlamento con lui, gli replicò quanto gli aveva mandato a dire per lo Scudiero suo, e non facendogli alcun motto delle comminazioni, che gli aveva mandato a fare Bernabò Visconte, e della paura, ch'egli aveva, gli disse, che se voleva allegarsi con lui, e promettergli di non far pace, senza consentimento e voler suo, romperia la guerra a Bernabò, e Galeazzo Visconte, con condizione che le Terre, le quali si guadagnerebbero per le genti sue, o fossero naturali del dominio di Monferrato, o altrimenti, dovessero essere sue in solidum, e che di quelle, che si acquistarebbero per le genti di esso Marchese, ne avesse le due parti. Al Marchese, al quale non era pervenuta notizia, che Galeazzo Visconte facesse alcun' apparato di guerra per andargli ad espugnare la Città d'Asti, parve tal dimanda assai fuor di ragione, e l'altre condizioni essere fuor dell'onesto; e però non gli volle consentire. Anzi si partì da Rivoli senza altra risoluzione, e se ne venne a Vulpiano, dove essendo giunto, il Conte, il quale ancora non era senza paura e dubbio, che Bernabò, e Galeazzo Visconti non mandassero ad effetto le comminazioni fatte per Bernabò, non lasciò di sollecitare, che il Marchese Giovanni mandasse da lui uno de' suoi, per liquidare le dette richieste. Il che esso Marchese non volle fare, perchè conobbe, che il Conte Amedeo volendo difenderfi copertamente, e per via indiretta, fece praticarlo e richiederlo d'andare a parlare con lui.

L'Anno predetto MCCCLXXII. il predetto Marchese essendo gravato d'infermità, nel Castello di Vulpiano, fece il testamento suo, pel quale instituì erede della Baronia, e Marchesato di Monferrato Secondotto suo figliuolo primogenito, & oltre di ciò instituì suoi eredi nella Città, Castello, e distretto d'Asti, e luogo di Monte-vico, i quali egli possedeva, Ottone figliuolo del Duca Enrico di Brunsveich, Secondotto, Giovanni, Teodoro, e Guglielmo suoi figliuoli per indiviso, & eguale porzione, sustituendo l'uno all'altro; ordinando ad essi suoi figliuoli, de' quali al tempo della morte sua Teodoro terzogenito non eccedeva l'età d'otto anni, in tutore e curatore il memorato Ottone Duca di Brunsveich, con amplissima bailia e facoltà di reggere lo Stato, per finchè ognuno di essi figliuoli fosse arrivato all'età di anni venticinque, come più diffusamente si contiene nell' originale testamento, rogato da Giacomo Capella di Livorno Notajo del predetto Sig. Marchese Giovanni, il cui tenore è questo.

„ IN nomine Domini amen, Anno nativi-
„ tatis ejusdem MCCCLXXII. Indictione
„ decima, die Martis nono mensis Martii,
„ Actum in Castro Vulpiani, in Camera
„ Cubiculari infrascripti D. Marchionis. Præ-
„ sentibus testibus ad hoc vocatis specialiter,
„ & rogatis, Venerabil., & sapientibus Vi-
„ ris D. Francisco Merzario de Montevico
„ decretorum Bacchalario, Canonico Astensi,
„ Vicario, Magistris Galvagno Maglano de
„ Cherio, Balengioto Nafeto, Hugone de Albi-
„ nis de Monte-calerio, Sato de Ascleriis de
„ Pontesturiæ Physicis, Nobilibus Viris Petri-
„ no filio Bartholomæi de S. Georgio ex Co-
„ mitibus de Blandrato, Uberto filio Bauduí-
„ ni de Rocchetta ex Marchionibus Incisæ,
„ Joanne filio quondam Franciſci de Braida ex
„ Dominis Montilii, Antonio Amedei de Cla-
„ vasio Scutiferis, & Bartholotto de Ferra-
„ riis de Tridino Cancellario præfati D. Mar-
„ chionis. Quorum præsentis Illustris Prin-
„ ceps, & D. D. Joannes Marchio Montis-ferra-
„ ti Imperialis Vicarius, filius quondam Ilu-
„ stris Principis, & D D. Theodori excel-
„ lentiſs. Imperatoris Græcorum Porphyro-
„ geniti Marchionis Montis-ferrati, dudum
„ provida discretione, & sancta devotione
„ præcogitans, & mente revolvens illud
„ Evangelicum; *Vigilate, quia nescitis diem,*

„ *neque*

„ *neque horam*, ſuum ordinavit teſtamentum,
„ & per Gulielmum Bavam de Grazano dictum Bergeri Cancellarium ſuum ſcribi fecit, quamvis ipſum teſtamentum in formam
„ publicam nondum recipi, tradi, vel redigi, per Notarium publicum præcepiſſet.
„ Et ideo in teſtium præfatorum præſentia, annuente Auctore ſoſpitatis, mente, cordeque ſanus, & compos, quamvis corporis
„ infirmitatem perpeſſus, in ejus manibus habens & tenens ſcripturam clauſam, ſuoque
„ ſigillatam ſigillo, in qua ejus teſtamentum,
„ & voluntatem ultimam, manu dicti Bogeri
„ aſſeruit fore deſcriptum, & deſcriptam, petito me Jacobino de Capella de Liburno
„ Notario publico, & Cancellario ſuo, ſcripturam ipſam ſic clauſam mihi tradidit atque
„ dedit. Dicens ore proprio: ego ordino,
„ condo, & facio meum teſtamentum, ultimam voluntatem, prout in præſenti ſcriptura clauſa & ſigillata deſcriptum eſt, quod
„ valere, tenere, & omnem roboris firmitatem habere volo, præcipio, & jubeo omni
„ jure, modo, & forma, quibus melius &
„ efficacius fieri poteſt. Deinde juſſit ſuprascribi nomina dictorum teſtium eorum
„ manibus, & ſcripturam ipſam eorum ſigillis
„ coram ſigillari; excepto quod Joannes de
„ Montilio non ſe ſubſcripſit, neque ſigillavit. Quam ſcripturam, ſeu quod teſtamen-
„ tum in ſcriptis aperiri debito modo præcepit per Illuſtrem Conſanguineum ſuum
„ D. Ottonem Ducem Brunſvicenſem, ſeu
„ cum ejus voluntate, videlicet quintadecima
„ die, poſtquam ipſum D. Marchionem contingeret ab hoc ſeculo tranſmigrare. Mandans & præcipiens mihi jam dicto Notario,
„ ut contenta in dicta ſcriptura, ſeu in dicto
„ teſtamento in ſcriptis tradam in formam publicam, & de ipſis conficiam publicum Inſtrumentum.

„ Quapropter Anno Nativitatis Domini
„ MCCCLXXVI. Indictione decimaquarta, die Dominica vigeſima ſeptima menſis Ja-
„ nuarii, in Civitate Aſtenſi in Palatio habitationis Illuſtrium Dominorum Secundiot-
„ tonis Marchionis Montis-ferrati, & Ottonis
„ Ducis Brunſvicenſis, præſentibus teſtibus
„ ad hoc vocatis ſpecialiter, & rogatis, Sapientibus Viris D. Ottolino de Ghiſalbertis
„ de Montebarucio, Frailino Guarleta de Aſt, Antonio de Silveſtro de Corgnato Le-
„ gum Doctoribus, Stephano de Ceteſeto Juriſperito Vicariis, Egreg., & Nobilibus
„ Viris Yſnardo Marchione Maleſpinæ, Nicolello ex Dominis Cavagnolii, Simone ex
„ Dominis Gabiani, Dominico ex Dominis
„ Montilii Conſiliariis, Bonifacio de Rocchetta ex Marchionibus Inciſæ, Antonino
„ ex Dominis Gabiani, Bartholomæo ex Dominis Montilii, Antonio ex Dominis Montaboni Scutiferis prædicti D. Marchionis,
„ Albertono de Prato de Montecalvo, & pluribus aliis.

„ Quorum præſentiâ Illuſtris Princeps D.
„ Otto Dux Brunſvicenſis Gubernator, & adminiſtrator, ac tutor Illuſtris D. Secundiottonis Marchionis Montis ferrati, necnon
„ Joannis, Theodori, & Gulielmi fratrum
„ ipſius D. Marchionis. Volens teſtamentum,
„ ſeu ſcripturam, in qua deſcriptum eſt teſta-
„ mentum Illuſtris D. Joannis Marchionis
„ Montis-ferrati quondam piæ venerabiliſque
„ memoriæ aperire, & modo debito publica-
„ re, ut voluntas ipſius D. Teſtatoris adim-
„ pleatur, quam prius hoc facere nequiverit
„ grandibus aliis præpeditus, convocavit te-
„ ſtes, qui ſupraſcripſerunt, & ſigillaverunt
„ ſcripturam teſtamenti prædicti. Ex quibus
„ Magiſtri Galvagnus, & Santus Phyſici, Petrinus de S. Georgio, Ubertus de Rocchet-
„ ta, Antonius Amedei, Joannes de Montilio, & Bertholottus de Tridino. Alii tres
„ non potuerunt intereſſe propter unius mortem, & aliorum remotam abſentiam; conſtituti in præſentia præfati D. Ducis, & te-
„ ſtium prædictorum, recognoverunt dictam
„ ſcripturam, ac ſigilla, & ſupraſcriptiones
„ eorum, proteſtantes & confitentes, ipſam
„ eamdem fore ſcripturam, in qua prædictus
„ Illuſtris D. Joannes Marchio quondam ſuum
„ fore deſcriptum aſſeruit teſtamentum, &
„ quam ipſi teſtes ſuis manibus ſupraſcripſe-
„ runt, ac ſuis ſigillis, ut præmittitur, ſigillarunt. Necnon, & Bogeri Cancellarius
„ prædictus ſimiliter ibi præſens dixit & confeſſus fuit, ipſam eamdem fore ſcripturam,
„ quam de mandato prædicti D. Marchionis
„ quondam propria manu ſcripſit.

„ His ſiquidem ſic peractis, teſtamentum
„ ipſum per me Jacobinum de Liburno Notarium infraſcriptum, in præfatorum Domi-
„ norum Secundiottonis Marchionis, & Otto-
„ nis Ducis, & Vicariorum, Conſiliariorum,
„ Scutiferorum, & Nobilium teſtium prædictorum præſentia, apertum, lectum, & di-
„ vulgatum, & publicatum fuit, cujus tenor
„ de verbo ad verbum ſequitur, ut infra.

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus
„ ſancti, Amen, & Sanctæ glorioſæ Virginis
„ Mariæ, Sancti Michaëlis, Sancti Joannis
„ Baptiſtæ, & Sanctæ Catharinæ Virginis,
„ & totius Curiæ cœleſtis, Amen. Quoniam
„ imbecillitas compoſitionis humanæ, dum peregrina vehitur per tenebras hujus ævi, li-
„ cet in ejus vanis proſperitatibus glorietur,
„ tamen ſic aſſiduis morſibus, anguſtiis, &
„ languoribus inviſibilibus corroditur & torquetur, quod demum, & plerumque repente cogitur ingredi finem mortis, quæ
„ ipſorum proſperorum fallacem gloriam turpiter abjicit & proſternit; cum nihil ſit ipsâ
„ morte certius, & nihil incertius ejus horâ.
„ Igitur Illuſtris & Magnificus D. D. Joannes Marchio Montis-ferrati, &c. ſanus
„ mente, licet corporalibus aliquibus paſſionibus urgeatur, ſciens ſe fore hujuſmodi
„ periculis circumdatum, & ad conſpectum
„ juſti Judicis de hoc ſeculo tranſiturum; voluit ſaluti ſuæ animæ providere, & ſuam
„ bonorum & rerum diſpoſitionem per hanc
„ ejus ultimam voluntatem, & per præſens
„ teſtamentum nuncupativum ſine ſcriptis,
„ facere ſtuduit, ac condidit in hunc modum. In primis quidem, ante omnia devo-
„ to & compuncto corde recommendavit animam ſuam Deo altiſſimo Creatori, & Redemptori ſuo. Item elegit. Item legavit.
„ In nomine Domini amen. Item ad exonerationem animæ ſuæ, & ut cuilibet ab ipſo
„ D. Marchione recipere, vel habere debenti
„ qualitercumque de jure poſſit fieri ſatisfactio debita, & condigna. Ipſe D. Marchio
„ totum ejus Marchionatum, & omnia &
„ ſingula Caſtra, loca, bona, & jura ſua, deponit, & ponit, & poſuit in manibus San-
„ ctiſſ. D. D. N. Papæ Gregorii, tamquam
„ Domini ſui, & Vicarii Jeſu Chriſti. Et tam

„ de

„ de ipſo Marchionatu, quàm caſtris, locis, bonis, & Juribus ſuis, ſe ex nunc ſpoliavit & denudavit, omnia dimittens in manibus dicti D. N. Papæ, videlicet, tali modo, per dictum D. N. Papam deputentur & ordinentur duo Cardinales, qui audiant in Avinione quaſcumque perſonas tam inobedientes, & rebelles dicto Domino, quàm ſibi obedientes & fideles de omnibus & ſingulis petitionibus, querelis, & requiſitionibus, quas uſque ad unum annum proximum poſt deceſſum dicti Marchionis immediatè ſequentem facere vel proponere voluerint. Deinde audiant, & videant jura, & rationes, & cauſas dicti Domini, & filiorum, & privilegia Imperialia, & alias probationes opportunas; poſtea judicent, & cognoſcant infra tempus dicti anni, quid ſit juſtum. Et ipſorum ſententia, & cognitio executioni mandetur per dictum D. N. in cujus manibus jam ſunt omnia bona dicti D. Marchionis. Et ut pro modica ſumma non graventur, petere volentes de itinere Avinionem, contentatur ipſe D. Marchio, quod dicti duo Cardinales ſubſtituant unam ſufficientem perſonam pro eis in partibus dicti Marchionatus, & in Aſt, quæ illam eamdem poteſtatem, & auctoritatem habeat in omnibus cauſis & caſibus, quam ipſi DD. Cardinales habebunt, ad audiendum quaſcumque perſonas, petere volentes uſque ad ſummam florenorum centum pro quolibet, vel ab inde infra. A ſumma verò florenorum centum ſupra teneatur quilibet petere volens, petere in Avinione coram dictis DD. Cardinalibus, tali etiam modo, quod quilibet petens ubicumque petat, teneatur ſatiſdare de ſtando juri, & de ſtando ad pœnam talionis; ut ſi injuſtè peteret, non lætetur de gravamine fruſta facto. Poſt verò finem dicti anni, teneatur dictus D. N. Papa dictum Marchionatum, & omnia Caſtra, bona, loca, & jura prædicta reſtituere, relaxare, dimittere, & liberare filiis dicti Domini, & ſui hæredibus infraſcriptis; exceptis tamen illis bonis, quæ per ſententias prædictorum adjudicaret, vel dari mandaret aliquibus petentibus, prout ſupra; & ex nunc, prout ex tunc, ipſe D. Marchio finito dicto anno, dictam depoſitionem, ſpoliationem, & denudationem factam de prædictis omnibus, in manibus dicti D. N. Papæ, revocat, & annullat, et filiis ſuis infraſcriptis per modum infraſcriptum applicat, & reducit in totum, præterquam in his dumtaxat, de quibus per dictos DD. Cardinales, vel ſubſtituendos ab eis, ut ſupra, ſententia proferetur contra eum. Requirit autem dictus D. Marchio dictum D. N. Papam, quod ad prædicta omnia dignetur eligere, & deputare DD. Cardinales Peneſtrinum, & Novelletti, ſi ſibi placet; & ſi ei non placet, alios duos, qui Sanctitati ſuæ placeant, & ſint grati. Item cum S. D. N. Papa Urbanus quondam bonæ memoriæ, cujus animam habeat omnipotens, ore proprio conceſſerit, & gratiam faciendo diſpenſaverit cum ipſo D. Marchione pro eo ſpecialiter, quod dictus Marchionatus eſt ſub diverſis Diœceſibus, & Epiſcopis, quod pro ejus incertis male habitis & ablatis poſſit ipſe D. Marchio facere, & dotare in ſuo Marchionatu prædicto, Monaſterium unum de A B C D E

„ Fratribus duodecim, inter quos ſint Sacerdotes octo, qui continuis temporibus celebrent Miſſas, & alia Divina obſequia, in remedium animæ dicti Domini: Requirit idem D. Marchio prædictum D. N. Papam Gregorium, quod dignetur dictam conceſſionem, & gratiam, & diſpenſationem confirmare & renovare. Et voluit, & ordinavit, quod dictum Monaſterium fieri & ædificari debeat, in recompenſationem & ſatisfactionem incertorum ſuorum de Fratribus duodecim, prout ſupra, ſub illa Regula, & Ordine, quo dictus D. Papa diſponet. Qui Fratres teneantur ſemper in ſexta Feria jejunare, & etiam in qualibet ſeptimana perpetuò in tali die, qua erit Feſtum Annuntiationis Beatæ Mariæ, & teneantur ultra horas ſolitas diei, dicere quotidie Horas, & Orationes, ſecundùm morem dicti Domini in remedium animæ ſuæ. Et non poſſint comedere de carnibus umquam in ſecunda Feria, nec in quarta Feria. Et licet dictus Dominus ſolium dicti Monaſterii facere providiſſet in Valle Sturiæ, ubi fecit plantari certos arbores; tamen, quia poſſet periculum importare, voluit & ordinavit, quod illud ſolium vendatur, vel permutetur, & quod alibi ædificetur in Marchionatu prædicto, ubi melius videbitur dicto Domino noſtro. Et quod per ipſum Dominum noſtrum deputentur reditus neceſſarii pro ſubſtentatione vitæ dictorum Fratrum duodecim, & etiam aliarum duarum vel trium perſonarum, quæ ſuperſint negotiis dicti Monaſterii, ſicut dicto D. N. Papæ videbitur expedire, quos reditus emi faciat dictus D. N. per heredem dicti Domini infraſcriptum. Ad conſtructionem verò dicti Monaſterii, & Eccleſiæ, & ædificiorum ipſius, ordinavit & reliquit dictus D. Marchio florenos ſex millia ex illis, pro quibus habet in pignore Civitatem Albæ, & locum Montis-vici. Vult autem ipſe D. Marchio, quod quilibet ex ipſis duodecim Fratribus habeat ſtantiam per ſe diviſam & ſeparatam, videlicet cameram, & recameram, & hortum, vel jardinetum parvum; alia ſint omnia communia inter ipſos. Item cum idem D. Marchio ſupplicaverit dicto D. N. Papæ de menſe Novembris proximè præterito, in hæc verba: Exponit Sanctitati Veſtræ devotus Orator, videlicet Joannes Marchio Montis-ferrati, quod in locis ſubſcriptis ſunt certi Prioratus, videlicet in Villa Cavagnolii Diœceſis Vercell. Prioratus Sanctæ Fidis, ſubjectus Abbatiæ Monaſterii Conchu. Bathen. Diœceſis Ordinis S. Benedicti, qui Prioratus eſt ſolitus gubernari per unum Priorem cum duobus Monacis.

„ Item in Monaſterio Rocchæ Diœceſis Vercellen. eſt alius Prioratus, ſub vocabulo S. Mariæ, dependens & immediatè ſubjectus Abbatiæ Caſæ-Dei, Diœceſis Claremonten. Ordinis prædicti, qui etiam Prioratus eſt ſolitus gubernari per unum Priorem.

„ Item in loco Clavaxii Diœceſis Hipporegien. eſt conſtructa quædam Capella ſub vocabulo Sancti Michaëlis, dependens à Monaſterio Sancti Michaëlis de Cluſa, dicti Ordinis, Diœceſis Taurinen. quæ Capella gubernatur per unum ex Monacis Monaſterii antedicti.

„ Item in dicto Marchionatu eſt quidam Prioratus, ſub vocabulo Sanctæ Mariæ, nuncupatæ de Cræta, dictæ Diœceſis Ver-

„ cel-

„ cellen. Ordinis S. Auguſtini, & habitus ſupe-
„ rioris cotæ lineæ, dependens à Præpoſitura
„ Eccleſiæ Vezolani, Diœceſis prædictæ, ſolitus
„ gubernari per unum Priorem, & duos Cano-
„ nicos Regulares; quodque Marchio prædi-
„ ctus in augumentationem Divini cultus, &
„ pro remedio & ſalute animæ ipſius, & etiam
„ prædeceſſorum ſuorum, dotare vult Priora-
„ tum dictæ S. Fidis pro ſubſtentatione trium
„ Monacorum in perpetuum, ultra numerum
„ conſuetum, & ſuperius deſcriptum. Prio-
„ ratum verò prædictum de Roccha dotare
„ vult ſimiliter pro quatuor Monacis. Dictam
„ vero Capellam de Clavaxio dotare vult pro
„ uno Priore, & pro tribus Monacis. Dictam
„ verò Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Creta do-
„ tare vult pro tribus Canonicis Regularibus
„ ultra numerum ſolitum, ita, & taliter,
„ quod dicti Monaci, & Regulares Canonici
„ augumentati teneantur, & debeant eſſe Sa-
„ cerdotes, & celebrare aſſiduè, niſi juſta
„ cauſa ceſſante, pro animabus dicti Marchio-
„ nis, & Prædeceſſorum. Et in caſu, quo di-
„ cti Monaci, & Regulares Canonici non eſ-
„ ſent idonei, & converſationis honeſtæ,
„ quod Superiores ipſorum locorum teneantur ipſos Monacos removere ad requiſitionem Marchionis prædicti, & ſucceſſorum à
„ locis prædictis, & alios idoneos loco ipſorum amotorum ſubrogare; maximè cum
„ loca prædicta ſint vicina Terris inimicorum
„ dicti Marchionis: quare pro parte dicti Marchionis eidem Sanctitati humiliter ſupplicatur, quatenus dotandi Prioratus, & Eccleſias prædictas, & ſub modo prædicto dignetur eadem Sanctitas ex certa ſcientia,
„ & de gratia ſpeciali dicto Marchioni concedere licentiam ſpecialem cum non obſtantibus, & clauſulis opportunis. Iterato idem
„ Marchio ſupplicat dicto D. N. pro remedio,
„ & ſalute animæ ſuæ, ut dignetur facere
„ ſibi gratiam ſupradictam. Et pro dotatione
„ prædicta voluit, & ordinavit, ut infra.
„ Videlicet, quod pro dotatione dictorum
„ trium Monacorum augendorum dictæ Ec-
„ cleſiæ Sanctæ Fidis, & pro dotatione unius
„ Prioris, & trium Monacorum augendorum
„ dictæ Capellæ S. Michaëlis, dentur & ad-
„ judicentur omnes domus, poſſeſſiones, res,
„ & bona, quæ fuerant quondam Petri de
„ Septimo, quæ ſunt in Villa, Burgo, &
„ poſſe Clavaxii, & quæ ſunt ipſi Domino
„ diutius per ſententiam confiſcata, quæ poſ-
„ ſeſſiones ſunt modia CLX. vel circa, &
„ domus ſunt quatuor pulcræ, & area una
„ magna. Et pro dotatione dictorum quatuor
„ Monacorum augendorum Prioratui prædi-
„ cto della Roccha, dentur & adjudicentur
„ omnes domus, poſſeſſiones, res, & bona
„ exiſtentia in Montebello, & in poſſe dicti
„ loci, quæ fuerunt quondam Petrini de Al-
„ cherio de Caſtello, quæ ſunt ipſius Domini
„ Cameræ devoluta. Et pro dotatione dicto-
„ rum trium Canonicorum augendorum Ec-
„ cleſiæ S. Mariæ de Creta, dentur & aſſignen-
„ tur modia triginta ſex poſſeſſionum exiſten-
„ tium in Tridino, quas tenebat Blaxius
„ Moycius quondam, cui præfatus Dominus
„ eas conceſſerat uſque ad ejus beneplacitum.
„ Et hoc ita & taliter, quod in caſu quo
„ prædicta non ſufficerent ad dotationes præ-
„ dictas, addit reditus ſibi pertinentes de
„ Molendino Gamanellæ Montisbelli. Et ex
„ nunc, prout ex tunc, idem D. Marchio dat
„ & aſſignat prædicta per dictum modum pro
„ dotationibus prædictis. Et ſi quid deficeret
„ ad dotationem prædictam, quod non cre-
„ dit, teneatur ejus heres infraſcriptus ſup-
„ plere uſque ad ſufficientiam idoneam &
„ condignam.

„ Item voluit & ordinavit, quod de redi-
„ tibus dicti Domini, Terrarum Donearum
„ Marchionatus ſui, dentur, & capiantur
„ omni anno floreni quinquecentum, qui con-
„ vertantur, & dividantur in conſervationem
„ & reparationem omnium Eccleſiarum, &
„ Hoſpitalium, Monaſteriorum, Terrarum
„ Donearum dicti Marchionatus in remedium
„ animæ ſuæ. Ad quod executioni mandan-
„ dum diſponat & ordinet dictus D. N. Papa,
„ ſicut ei videbitur & placebit, duos, vel
„ tres de fidelibus dicti Marchionatus.

„ Item voluit & ordinavit, quod de redi-
„ tibus dicti Dominii Civitatis Aſtenſis depu-
„ tentur & capiantur ante omnia libræ ter-
„ centum Aſtenſes omni menſe, quæ in re-
„ medium animæ dicti Domini dentur & di-
„ ſtribuantur amore Dei, Conventibus, &
„ Eccleſiis Aſt, in modum infraſcriptum. Et
„ illud, quod ſuperabundabit de dictis libris
„ trecentum, diſtribuatur in alias eleemoſynas,
„ & caritates amore Dei, perſonis miſerabi-
„ libus & indigentibus, vel Virginibus mari-
„ tandis, vel in alias pias cauſas, ſecundùm
„ quod dicto D. N. Papæ videbitur. Illi au-
„ tem, quibus debet prius dari omni menſe
„ de dicta ſumma librarum trecentum, ſunt
„ hi.

„ Item cum dictus D. Marchio teneatur ex
„ voto ire ad ſerviendum pro ſpatio ſex men-
„ ſium cum centum hominibus combattenti-
„ bus Eccleſiæ S. Joannis Hieruſalem de Ro-
„ des in partibus illis, & circumſtantibus,
„ voluit & ordinavit, quod heres ſuus infra-
„ ſcriptus, in caſu, quo idem D. Marchio il-
„ lud perficere non poſſit in vita ſua, tenea-
„ tur ad illud complendum & perficiendum
„ per ſe ipſum, vel per alium, ſecundùm for-
„ mam dicti voti, & ſecundùm diſpoſitionem
„ dicti D. N. Papæ.

„ Item cum idem D. Marchio teneatur ex
„ voto ire, vel mittere ad viſitandum locum
„ ſepulturæ S. Catharinæ de Monte Sinay,
„ voluit & ordinavit, quod heres ſuus infra-
„ ſcriptus teneatur, in caſu, quo non perfi-
„ ciatur per ipſum D. Marchionem, illud
„ perficere & adimplere per ſe ipſum, vel per
„ alium, ſecundùm diſpoſitionem dicti D. N.
„ Papæ, & ſecundùm quod poſſibile fuerit
„ per partes infidelium pertranſire.

„ Item cum dictus D. Marchio teneat Ca-
„ ſtrum, & locum Marcorengi, in quo putat
„ Epiſcopum, & Eccleſiam Vercellenſem ha-
„ bere debere de jure quartam partem, vo-
„ luit & ordinavit, quod dicta quarta pars
„ emolumentorum & redituum, quæ perveni-
„ ret ad Caſtrum & dominium dicti loci, de-
„ tur & dimittatur Epiſcopo Vercellenſi &
„ Eccleſiæ, vel plus, ſi plus reperiretur di-
„ ctam Eccleſiam habere debere de jure in
„ dicto Caſtro & loco. Nam pro eo quod di-
„ ctus locus eſt contiguus Terris offendenti-
„ bus dictum Marchionatum iniquè & inju-
„ ſtè, retinet dictus D. Marchio fortaliciam
„ dicti loci, pro ſervitute dicti Marchionatus,
„ ſi tamen hoc erit de beneplacito & conſen-
„ ſu dicti D. N. Papæ.

„ Item cum dictus D. Marchio teneat Ca-
„ ſtrum

Digitized by Google

„ ſtrum Vulpiani pertinens ad Abbatiam &
„ Monaſterium Fructuarienſe , quod eſt cla-
„ vis dicti Marchionatus Terrarum Canapi-
„ cii; Et cum omnes fructus , obventiones ,
„ & reditus dicti loci liberè dimittat, & re-
„ laxet Abbati , & Monaſterio ſupradicto ;
„ Supplicat idem Marchio dicto D. N. Papæ,
„ quod cum eo dignetur miſericorditer di-
„ ſpenſare, quod ipſe, & ſui heredes , & D.
„ Dux Brunſvicenſis infraſcriptus, cui dictus
„ D. Marchio dictum Caſtrum donavit, poſ-
„ ſint dictum Caſtrum , juriſdictionem, ho-
„ magium, merum & mixtum imperium ejus
„ pro ſecuritate & conſervatione Terrarum
„ ſuarum , & Marchionatus ſui , licitè per-
„ petuò retinente , dimittendo liberè dicto
„ Monaſterio reditus, fructus, & emolumen-
„ ta pertinentes, & pertinentia dicto Caſtro,
„ ita quod ipſa omnia habeant integrè ſine
„ diminutione quacumque. Et ſi ex hoc pla-
„ ceat dicto D. N. Papæ dari aliquod præ-
„ mium dictæ Abbatiæ , & Monaſterio , vo-
„ luit & ordinavit , quod ſuus heres infra-
„ ſcriptus teneatur illud facere, & largiri in
„ cambium , vel aliter, ſecundum diſpoſitio-
„ nem dicti D. N. Papæ .

„ Item cum per privilegia Imperialia idem
„ D. Marchio poſſit , & potuerit de jure im-
„ ponere ſuper ſubditos ſuos taleas , & exa-
„ ctiones , & alia onera realia & perſonalia ,
„ ſicut ex ipſorum pirivilegiorum ſerie plenè
„ patet ; Cumque idem D. Marchio non vo-
„ luntariè , ſed guerrarum neceſſitate cogen-
„ te , pro defenſione perſonarum, Terrarum,
„ & jurium ſuorum, & Marchionatus ſui, ta-
„ xaverit , & ſæpe impoſuerit fidelibus ſub-
„ ditis ſuis dicti Marchionatus certas taleas,
„ impoſitiones , & exactiones , quæ ſingulis
„ menſibus ipſi Domino perſolvuntur, & for-
„ ſitan certas alias , quæ aliter ſibi dantur ;
„ Voluit, ordinavit, & mandavit, quod ſtatim
„ infra menſes tres, poſtquam Divina miſericor-
„ dia pacem dederit, & conceſſerit dicto Mar-
„ chionatui de guerra, ſeu guerris crudelibus,
„ quas nunc habet, teneantur & debeant filii,
„ & heredes ſui infraſcripti , ipſas omnes &
„ ſingulas caſſare, tollere, quietare, remitte-
„ re, & delere, & ſolummodo in dictos ſuos
„ ſubditos illos fructus, reditus, proventus ,
„ godias, emolumenta, obventiones, pedagia,
„ fodra, honores, regalia, utilitates, commo-
„ da, & jura , habere & retinere , quæ de
„ jure, & ex antiquo, & per privilegia ſua
„ habere & retinere debent , & ſicut fiebat
„ ante guerras modernas . Et de ipſi debeant
„ eſſe contenti ; eo ſalvo, quod poſtquam de
„ jure, & per ſua privilegia poſſunt hoc licitè
„ facere , ſcilicet imponere & exigere quæ-
„ cumque vellent , & neceſſitas incumbat ;
„ abſque eo quod per hoc præſens teſtamen-
„ tum & ſcriptum fiat aliquod præjudicium
„ juri ſuo . Et factâ, ſeu habitâ dicta pace ,
„ dictus D. Marchio poſt dictos tres menſes
„ ex nunc, prout ex tunc , prædictas taleas,
„ impoſitiones , & collectas , & exactiones
„ per ipſum impoſitas , & ſuperadditas , re-
„ vocat , tollit, quittat, remittit , caſſat, &
„ delet.

„ Item , ut Omnipotens miſereatur animæ
„ dicti Domini, voluit & ordinavit dictus Do-
„ minus, quod remitti & indulgeri debeat per
„ filios , & heredes ſuos infraſcriptos , & per
„ dictum D. Ducem, & ex nunc ipſe Domi-
„ nus remittit, & indulget omnibus & ſingu-
„ lis ſubditis ſuis , qui ſunt extra gratiam
„ ſuam , occaſione alicujus proditionis , ma-
„ chinationis , vel attentationis factæ contra
„ ipſum Dominum , ſeu ſuſpicionis habitæ ,
„ ſive ſint de Marchionatu ſuo , ſive de Aſt ,
„ & diſtrictu, ſeu de aliquibus aliis Terris di-
„ cti Domini. Et ipſos omnes & ſingulos tam
„ illos de Cocchonato de Caſali, de Valentia,
„ de Fraxineto , quàm omnes & ſingulos fo-
„ renſitos de Aſt, quàm etiam alios quoſcum-
„ que reſtituit ad ſuam bonam gratiam, & bo-
„ nam voluntatem, & ad omnia bona, & jura
„ ſua, quæ reperiantur. Et hoc dummodo in-
„ fra tres menſes proxime venturos veniant
„ ad gratiam dicti Domini , vel filiorum , &
„ ad obedientiam, quam ſibi de jure facere
„ tenentur, & ſibi fidelitatem faciant , cum
„ ſecuritate per ipſos & quemlibet eorum præ-
„ ſtanda de perſeverando in legalitate, & obe-
„ dientia ſua, quæ ſecuritas præſtetur idonea,
„ & competens ad arbitrium & cognitionem
„ dicti D. N. Papæ, ſeu duorum Cardinalium
„ prædictorum.

„ Item voluit & ordinavit , quod Illuſtris
„ D. Margarita ejus filia nubat & maritetur
„ per dictum D. N. Papam cum conſilio Illu-
„ ſtris D. Eliſabet corſortis ſuæ, matris ipſius
„ D. Margaritæ , & cum conſilio Illuſtris D.
„ Ducis Brunſvicenſis , & cum conſilio ali-
„ quorum fidelium dicti D. Marchionis , cum
„ dote competenti, quæ ſibi per ſubditos dicti
„ Domini perſolvetur ; & in dicta dote, quæ
„ ſibi dabitur, eam heredem inſtituit, jubens
„ ipſam de prædicta fore contentam, & habi-
„ ta ipſa dote teneatur renuntiare omni juri
„ ſibi competenti, vel ſi quod tunc ei compe-
„ teret in Marchionatu prædicto , vel in he-
„ reditate paterna.

„ Item voluit & ordinavit , quod Illuſtris
„ Conſanguineus, & frater ſuus cariſſimus D.
„ Otto Dux Brunſvicenſis, &c. habeat omnia
„ & ſingula Caſtra , & loca, eidem alias do-
„ nata, aſſignata , & deputata per dictum D.
„ Marchionem, videlicet Caſtra, & loca Ve-
„ rolengi, Caluxii, S. Raphaëlis, Caſtagneti,
„ Vulpiani, & Brandicii, cum pertinentiis &
„ juribus ad ipſum D. Marchionem pertinen-
„ tibus in eiſdem , & ipſa omnia & ſingula
„ ſibi iterato confirmavit per præſens teſta-
„ mentum.

„ Item voluit & ordinavit, quod per dictum
„ D. N. Papam cum conſilio dicti D. Ducis,
„ qui melius novit Terras & facultates dicti
„ D. Marchionis , & dicti Marchionatus ,
„ quàm aliquis alius , dentur & aſſignentur
„ Joanni, Theodoro, & Gulielmo filiis ſuis,
„ videlicet unicuique ipſorum , certa Caſtra,
„ Terræ, loca, & Signoriæ de illis dicti Mar-
„ chionatus, quæ ſint propria & propriæ ipſo-
„ rum trium; & ita & taliter, quod quilibet
„ ipſorum habeat ſua, & ſuas per ſe in quan-
„ titate, quæ videbuntur dicto D. N. Papæ ,
„ & D. Duci prædicto . De quibus Terris ,
„ Caſtris, locis, & Signoriis teneatur quilibet
„ ipſorum recognoſcere Secundottum filium
„ primogenitum dicti Domini, & heredem di-
„ cti Domini infraſcriptum , in Superiorem ,
„ & Dominum, & ei de ipſis omnibus fideli-
„ tatem, & alia facere & præſtare, ſecundum
„ morem & naturam feudorum. Et ipſos Jo-
„ annem , Theodorum , & Gulielmum , &
„ quemlibet ipſorum in prædictis locis , Ter-
„ ris , Caſtris , & dominiis, quæ ſibi dabun-
„ tur & aſſignabuntur, ut ſupra, ſibi heredes

„ in-

Digitized by Google

„ inſtituit, tali modo quod ſi contingat, ali-
„ quem ipſorum ad ſpiritualia beneficia pro
„ moveri, pro quibus beneficiis poſſit perci-
„ pere reditus annuales uſque ad valorem qua-
„ tuor millia florenorum pro quolibet anno,
„ tota Terra, & Caſtra, loca, & dominia illi
„ ſic promoto data & aſſignata, ut ſupra, ſta-
„ tim devolvantur & revertantur ad Secon-
„ dottum heredem ſuum dicti Marchionatus
„ infraſcriptum. Si verò contingeret, duos,
„ vel tres ipſorum ad beneficia ſpiritualia
„ promoveri per modum prædictum, pro quo-
„ libet ſimili modo, Caſtra, loca, Terræ, &
„ dominia, data & aſſignata, pro ut ſupra,
„ ipſis ſic promotis, ſtatim devolvantur, &
„ revertantur ad Secondottum heredem præ- B
„ dictum infraſcriptum. Si autem contingeret,
„ aliquem prædictorum Joannis, Theodori,
„ & Gulielmi, vel duos ex eis, vel omnes
„ tres, decedere abſque filiis legitimis ex ſe
„ deſcendentibus, & ætatem teſtandi legiti-
„ mam attingentibus, ſimiliter Caſtra, loca,
„ Terræ, & dominia data & aſſignata, ut ſu-
„ pra, ipſis ſic decedentibus, ſtatim ipſo facto
„ devolvantur & revertantur ad dictum Se-
„ cundottum heredem infraſcriptum. Jubens,
„ prædictos Joannem, Theodorum, & Guliel-
„ mum, & quemlibet ipſorum de prædictis
„ ſimul cum aliis legatis infraſcriptis fore con-
„ tentos.

„ Item legavit, & reliquit prædictis D. C
„ Duci, Joanni, Theodoro, & Gulielmo æqua-
„ libus portionibus reſtam, quam habet ſuper
„ Civitate Albæ, & ſuper loco Montis-vici,
„ quæ reſta, detractis ſupraſcriptis ſex milli-
„ bus florenorum, qui jam deputati ſunt ad
„ conſtructionem dicti Monaſterii, eſt flore-
„ norum viginti millia. Et voluit & ordina-
„ vit, quod de Marchionatu prædicto per di-
„ ctum Secundottum dentur floreni ſex millia
„ prædictis D. Duci, Joanni, Theodoro, &
„ Gulielmo. Et voluit & ordinavit, quod de
„ reditibus Aſt dentur prædictis alii floreni
„ ſex millia, & ſic erunt ſuper totum floreni
„ triginta duo millia, quos prædictis D. Duci,
„ Joanni, Theodoro, & Gulielmo æqualiter D
„ legavit & reliquit, ut ſupra: tali modo,
„ quod in dictis florenis, illi ex eis, qui ſuper-
„ vivent alios ex prædictis, ſibi æqualiter ſuc-
„ cedant ad invicem.

„ Item voluit, ordinavit, & inſtituit, ac
„ reliquit in Tutorem, & Curatorem præ-
„ dictis Joanni, Gulielmo, & Theodoro, &
„ cuilibet ipſorum in omnibus ſupraſcriptis &
„ infraſcriptis præfatum D. Ottonem Ducem
„ Brunſvicenſem, ita & tali modo, quod ipſe
„ poſſit res & bona prædictorum Joannis,
„ Theodori, & Gulielmi, & cujuslibet ipſo-
„ rum in toto, vel in parte vendere, obliga-
„ re, infeudare, inveſtire, reveſtire, confir-
„ mare, & transferre, & alia omnia bona, & E
„ negotia, res, jura, emolumenta, & reditus,
„ ac obventiones quaſcumque adminiſtrare,
„ regere, donare, tranſmutare, & remittere,
„ ac merum & mixtum imperium, & juriſdi-
„ ctionem omnimodam, & gladii poteſtatem
„ exercere, & committere, & delegare, &
„ alia quæcumque facere, ſicut ei placebit ad
„ ejus liberam voluntatem. Et quod ipſi, vel
„ eorum aliquis non poſſint ſe de prædictis
„ intromittere quovis modo, quouſque perve-
„ nerint ad ætatem legitimam vigintiquinque
„ annorum pro quolibet ipſorum. Et quando
„ quilibet ipſorum attigerit ad ipſam ætatem,

„ remaneat & ſit in libertate & poteſtate ſua A
„ juridica contrahendi & adminiſtrandi. Eo
„ tamen ſalvo, quod toto tempore vitæ dicti
„ D. Ducis jubet, & vult ipſe D. Marchio,
„ quod dictus D. Dux ſit ipſorum, & cujuſli-
„ bet eorum ſuperior, & magiſter, & quod
„ poſſit de Caſtris, bonis, & rebus ipſorum,
„ dum vixerint, diſponere, & facere pro li-
„ bito voluntatis. Liberans, & abſolvens ipſum
„ D. Ducem ab inventariis, ſeu inventario-
„ rum confectione, & ab omni ratione, vel
„ computo reddendo de adminiſtratione & ne-
„ gotiatione prædictorum omnium, vel alicu-
„ jus eorum: & ex nunc idem Teſtator quæ-
„ cumque continget in prædictis, & circa
„ prædicta fieri per dictum D. Ducem, tam
„ poſt tempus & tempora dictarum tutelæ &
„ curæ, quàm ante, vult & jubet idem D.
„ Marchio valere, & plenam firmitatem ha-
„ bere, & ipſa omnia & ſingula approbat &
„ confirmat.

„ Item cum Regnum, & Civitas Saloniceu-
„ ſis, quæ per Illuſtrem quondam D. Gulielmum Marchionem Montis-ferrati donata
„ fuerunt quondam Sereniſſimo Principi D.
„ Andronico Imperatori Græcorum pro dote
„ & nomine dotis Illuſtris D. Violantis filiæ
„ dicti quondam D. Marchionis Gulielmi,
„ maritatæ in dictum D. Imperatorem, ex
„ qua idem Imperator genuit Illuſtrem Prin-
„ cipem D. Theodorum patrem ipſius Teſta-
„ toris, & filium unicum dictæ D. Violantis,
„ totaliter & immediatè de jure pertineat ad
„ prædictum D. Marchionem Teſtatorem præ-
„ dictum, filium unicum dicti D. Theodori
„ quondam. Cumque Imperium prædictum
„ Græcorum, videlicet Conſtantinopolitanum
„ & Romaniæ de jure pertineret ad eumdem
„ D. Theodorum filium dicti D. Imperatoris,
„ per teſtamentum factum per dictum D. Im-
„ peratorem Andronicum, & etiam pro eo
„ quod Andronicus filius quondam Michaëlis
„ filii primogeniti dicti Imperatoris Androni-
„ ci ſe rebellavit, & diu guerram magnam
„ fecit dicto D. Imperatori, & tamdiu, quod
„ ipſum D. Imperatorem Avum, & Dominum
„ ſuum, perſonaliter ceperit in Civitate Con-
„ ſtantinopoli, habito tractatu & gentium
„ congregatione, deinde eum incarceravit, &
„ oculis corporalibus privavit, & cœcavit, &
„ tamdem morti tradidit. Ita quod tam per
„ ſententiam per ipſum D. Imperatorem ante
„ captionem ſuam prolatam, & datam ore te-
„ nus, & in ſcriptis contra dictum Androni-
„ cum nepotem ſuum, quam per nefanda
„ ſcelera per ipſum Andronicum commiſſa in
„ perſonam dicti Imperatoris Avi & Domini
„ ſui ſacram & reverendam, idem Andronicus
„ nefarius prædictus privatus fuit, & cecidit
„ ab omni jure tam hereditario, quàm partic-
„ culario, quàm alio quocumque, quod ſibi in
„ dicto Imperio quomodolibet perveniſſet, &
„ ſic de jure pertineat ad ipſum Teſtatorem
„ unicum filium dicti quondam D. Theodori,
„ ſupplicat & requirit idem D. Marchio Teſta-
„ tor prædictus dicto D. N. Papæ, ut ipſa
„ Imperium & Regnum cum plenitudine ju-
„ rium ipſorum, dignetur tradere, concedere,
„ & deputare, ac confirmare illi, vel illis ex
„ filiis dicti Teſtatoris, videlicet Secundotto,
„ Joanni, Theodoro, & Gulielmo, ac præ-
„ dicto Illuſtri D. Duci, ſi in comitiva unius,
„ vel plurium ipſorum acceſſerit, quod ſe
„ diſponet, vel qui ſe ſe diſponent ad eun-

„ dum in via armorum ad conqueſtum dicto-
„ rum Regni & Imperii, & ad ipſa ſubjugan-
„ dum & acquirendum contra injuſtos & in-
„ debitos occupatores & detentores ipſorum,
„ cum ſolemnitatibus, gratiis, auxiliis, bene-
„ ficiis, immunitatibus, & privilegiis oppor-
„ tunis : Ita & taliter, quod illi ex prædictis
„ quatuor filiis ſuis, & dicto D. Ottone, qui
„ interentur conqueſtæ & acquiſitioni prædi-
„ ctorum Imperii & Regni, vel alterius ipſo-
„ rum, vel partis eorum, illa, quæ de præ-
„ dictis acquirent, ſubjugabunt, conqueſta-
„ bunt, & de manibus impiorum detinentium
„ amputabunt, ſibi communicetur, & æqua-
„ liter dividant inter ipſos. Quos ex prædi-
„ ctis quinque ſic conqueſtantes & acquiren-
„ tes ipſe D. Marchio Teſtator præfatus cum
„ beneplacito & conſenſu dicti D. N. Papæ
„ ſibi in dictis Imperio & Regno heredes in-
„ ſtituit, & ad invicem ſubſtituit æqualibus
„ portionibus, prout ſupra. Eo tamen ſalvo,
„ quod ſi unus tantùm ex filiis ipſius Teſtato-
„ ris accederet ad conqueſtum prædictum, &
„ dictus D. Dux eſſet cum ipſo, & cum Dei
„ gratia ipſi ambo ſubjugarent & conqueſta-
„ rent dictum Imperium & dictum Regnum,
„ eo caſu ille filius dicti Teſtatoris, qui eſſet
„ ad prædicta, habeat dictum totum Impe-
„ rium, & dictus D. Dux habeat dictum Re-
„ gnum, & ſic ipſos dicto caſu heredes inſti-
„ tuit in prædictis. Si verò ad conqueſtum
„ prædictum (dante Deo) fiendum, accede-
„ rent duo ex filiis dicti Teſtatoris abſque
„ dicto D. Duce, & cum auxilio Dei recupe-
„ rarent dictum Imperium & dictum Regnum,
„ eo caſu major tempore ipſorum duorum ha-
„ beat dictum Imperium, & minor tempore
„ habeat dictum Regnum, & ſic per iſtum
„ modum eo caſu prædictos duos filios ſuos
„ ſibi heredes inſtituit in dictis Imperio at-
„ que Regno.

„ Item cum Civitas Aſtenſis cum diſtrictu,
„ pertinentiis, & juribus ſuis fuerit per Se-
„ reniſſimum D. N. D. Carolum Imperatorem
„ Romanorum ſemper Auguſtum, & Boëmiæ
„ Regem, tam ore proprio, & facie ad faciem,
„ quàm per privilegiorum præceptionem tra-
„ dita & conceſſa in Vicariatum prædicto D.
„ Marchioni pro ſe, & ſuis heredibus irrevo-
„ cabiliter, & in perpetuum: ipſe D. Marchio
„ dictam Civitatem Aſt cum diſtrictu, perti-
„ nentiis, & juribus univerſis ad eam quovis
„ modo ſpectantibus, & Officium Vicariatus
„ prædictum cum reditibus, godiis, introiti-
„ bus, officiis, honoribus, & regalibus qui-
„ buſcumque & exercitium meri & mixti im-
„ perii, & juriſdictionis omnimodæ, ac gla-
„ dii poteſtatem, & gubernationem ejuſdem
„ Civitatis & diſtrictus, ad honorem, exalta-
„ tionem, & bonum ſtatum dicti D. Impera-
„ toris Domini ſui, & Sacri Romani Imperii,
„ legavit, & reliquit communiter & indiviſi-
„ biliter tam in Civitate, quàm in reditibus
„ omnibus, & officiis quibuſcumque Secun-
„ dotto filio ſuo primogenito, & D. Ottoni
„ Duci jam dicto, & Joanni, Theodoro, &
„ Gulielmo filiis ſuis ; ita & taliter, quod
„ ipſam Civitatem Aſt cum omnibus ſupradi-
„ ctis, ipſi quinque ſimul, & pro indiviſo,
„ perpetuò æqualiter habeant, regant, guber-
„ nent, & cuſtodiant. Et ipſos quinque quan-
„ tum ſua intereſt, & de jure poteſt ; ſibi
„ ſimul, & conjunctim, ac pro indiviſo, ut ſu-
„ pra, heredes inſtituit, & ad invicem ſibi
„ ipſis ſubſtituit: Ita & taliter, quod ipſe D.
„ Dux quouſque prædicti Secundottus, Joan-
„ nes, Theodorus, & Gulielmus pervenerint
„ ad ætatem annorum vigintiquinque, ſit tutor,
„ curator, rector, adminiſtrator, & magiſter
„ ſolus omnium prædictorum, ſicut in capi-
„ tulo ſupraſcripto, in quo de tutela & cura
„ dictorum Joannis, Theodori, & Gulielmi
„ fit mentio, plenius continetur. Eo tamen
„ ſalvo, quod ſi contingeret, aliquem, vel
„ aliquos prædictorum ad ſpiritualia beneficia
„ promoveri, & Sacros Ordines aſſumere, re-
„ maneat communiter & indiviſibiliter dicta
„ Civitas cum omnibus in præſenti capitulo
„ contentis, aliis filiis ſuis prædictis ſeculari-
„ bus tunc viventibus, videlicet Secundotto,
„ Joanni, Theodoro, & Gulielmo, ſcilicet
„ illis tantum ex eis, qui tunc ſeculares exi-
„ ſterent, ita quod ipſi ſic promoti & aſſumpti
„ non poſſint poſtea de ipſa Civitate, juri-
„ bus, & intratis, & godiis ejus aliquid
„ petere, vel habere, ſeu de ipſis ſe intro-
„ mittere.

„ Item cum virtute conceſſionis Imperialis
„ idem D. Marchio licite potuerit impoſitio-
„ nes, taleas, & collectas imponere in Civi-
„ tate & diſtrictu Aſt ; Cumque non ex vo-
„ luntate propria, ſed guerrarum neceſſitate
„ cogente, & pravis machinationibus & fini-
„ ſtrationibus plurium civium dictæ Civitatis
„ Aſt intervenientibus, idem D. Marchio pro
„ defenſione & cuſtodia dictæ Civitatis & di-
„ ſtrictus Aſt, coactus fuerit ultra ſolitos &
„ antiquos reditus, & ultra uſitata regalia
„ emolumenta, & pedagia dictæ Civitatis,
„ alias certas impoſitiones augere, & ſuperad-
„ dere, ac exigere, videlicet focha menſium,
„ & alia certa ſodra, & præſta, ac certa alia
„ onera tam realia, quàm perſonalia contra
„ ipſius D. Marchionis bonam voluntatem, &
„ intentionem caritativam; imò fuerunt, &
„ ſunt eidem D. Marchioni in ſua mente val-
„ de diſplicibilia & moleſta, ſicut novit Al-
„ tiſſimus, cui omne cor patet: Voluit, ordi-
„ navit, & mandavit, quod ſtatim infra men-
„ ſes tres, poſtquam (Divina miſericordia lar-
„ giente) de guerris aſperis nunc vigentibus
„ pervenerint dicti D. Dux, & filii prædicti
„ ad tranquillitatem & pacem, debeant ipſa
„ focha, & alia onera addita, tollere, quie-
„ tare, remittere, & totaliter abolere ; imò
„ ultra hoc debeant ſtare & remanere conten-
„ ti de concordia & compoſitione aliàs facta
„ per dictum D. Marchionem cum Civibus,
„ & ſapientibus dictæ Civitatis, videlicet de
„ florenis quadraginta quatuor millibus auri
„ pro quolibet anno, & de condemnationibus,
„ & aliis officiis, honoribus, & regalibus tunc
„ ipſi Domino reſervatis. Et omnes intratas,
„ rovas, pedagia, & alia quæcumque dictæ
„ Civitatis & diſtrictus pro prædictis florenis
„ quadraginta quatuor in anno, & pro prædi-
„ ctis reſervatis, teneantur & debeant dictis
„ Sapientibus Civibus, Communi, & homini-
„ bus dictæ Civitatis, liberè relaxare, ut eis
„ & ea poſſint imponere, vel deponere, caſ-
„ ſare, mutare, corrigere, vel mulctare, vel
„ alias ſubrogare, prout ſuæ fuerit voluntatis,
„ & prout eis melius videbitur expedire. Et
„ ipſi D. Dux, & filii dicti Teſtatoris prædi-
„ cti de ipſis reditibus, aut rovis amplius non
„ ſe immiſceant, niſi in recti juſtitia, & li-
„ bero dominio conſervandis. Eo tamen ex-
„ ceptato, quod dicti Cives, & Commune
„ non.

Digitized by Google

„ non poſſint capitulare, neque alia facere, „ quæ præjudicent vel derogent juri & dominio Sacri Imperii, & filiorum, & heredum „ dicti Teſtatoris aliquo ingenio vel colore. „ Et ex nunc, prout ex tunc, videlicet factâ, „ & habitâ dictâ pace, ut ſupra, ipſe D. Marchio prædicta omnia reducit & reſtituit ad „ ſtatum priſtinum ſupraſcriptum, ab aliis omnibus ſuperadditis & adjunctis eos liberans „ & abſolvens.

„ Item voluit & ordinavit, quod Illuſtris „ D. Eliſabeth filia quondam D. Jacobi Regis „ Majoricarum uxor ipſius D. Marchionis, in caſu quo poſt mortem dicti D. Marchionis „ velit cum dictis Secundotto, Joanne, Theodoro, & Gulielmo filiis ipſorum jugalium, „ & dicto D. Duce remanere, & vitam honeſtam & vidualem ſervare, ſicut competit „ ſtatui & honori ſuo, habeat victum & veſtitum, & alia opportuna pro ſe, & pro „ competenti comitiva & familia ſua honorabiliter & decenter ſuper bonis & hereditate heredis ſui infraſcripti, ſecundùm facultates dicti heredis, quod quidem ordinetur „ & diſponatur per dictum D. N. Papam cum „ conſilio D. Ducis. Et eo caſu ſit apud filios „ ſuos prædictos ad nutriendum, fovendum, „ & gubernandum, ſicut requirit debitum „ veræ matris. In caſu autem, quo ipſa vellet ad ſecunda vota tranſire, ſeu apud ipſos „ filios ſuos, & D. Ducem remanere non vellet, ipſe D. Marchio ſibi reliquit & legavit „ pro hereditate ſua illud, quod habuit ab „ ipſa, quod eſt, floreni decem millia cum „ illa additione, quæ competat pro dicta „ ſumma ſecundùm totius dotis promiſſæ.... „ quia licet ipſe D. Marchio non potuerit habere, niſi prædictos florenos decem millia, „ tamen ſi promiſſi fuerant floreni quadraginta millia per Regem Aragonum Avunculum ſuum in una parte, & florenos triginta „ quinque millia ſuper Baronia Montiſpeſulani in alia parte; Et ipſe Teſtator, ſi habuiſſet prædictos florenos ſeptuagintaquinque millia, debebat facere ſibi dotem de „ florenis centum millia, de quibus jam diu „ præceptum eſt Inſtrumentum dotis; tamen „ ipſe D. Marchio non habuit umquam niſi „ prædictos florenos decem millia, ita quod „ reſiduum, quod dictus D. Marchio numquam habere potuit à dicta D. Eliſabeth, „ ſeu ab alio pro ea, quod eſt florenorum „ triginta millia in una parte, & florenorum „ triginta quinque millia ſuper Baronia Montiſpeſulani in alia parte: reliquit & legavit „ dictæ D. Eliſabet. Et ultra hoc ſibi reliquit in quocumque caſu omnia jocalia & „ ornamenta ſua, tam auri, perlarum, lapidum pretioſorum, & argenti, quàm alia „ qualiacumque ad ſuam cameram & perſonam pertinentia quovis modo.

„ Item cum per Sereniſſimum D. N. Carolum Romanorum Imperatorem prædictum „ data & conceſſa fuerit Civitas Papiæ cum „ diſtrictu, juribus, & pertinentiis ſuis omnibus, in Vicariatum irrevocabilem prædicto „ D. Marchioni, & prædicto D. Duci communiter, & pro indiviſo pro ſe ſe, & heredibus eorum, ſicut ex continentia privilegiorum dicti Domini plenè conſtat: Voluit & ordinavit, ſi dante Deo, quod exaudiat, ipſa Civitas poſſit quomodolibet in „ futurum extrahi & erui à manibus Tyrannorum eam devorantium, & ab ipſorum „ Draconum faucibus inſatiabilibus liberari, „ quod pro medietate pertineat pro indiviſo „ ad ipſum Secondottum filium ſuum primogenitum, cum omnibus juribus, fructibus, „ reditibus, emolumentis, & honoribus univerſis; Et pro alia medietate pro indiviſo, „ ut ſupra, ad prædictum D. Ducem Ottonem.

„ Item voluit & ordinavit, quod dictus „ D. N. Papa de ſui benignitate dignetur & „ velit retribuere infraſcriptis fidelibus ſervitoribus dicti D. Marchionis, tam de & ſuper bonis ipſius D. Marchionis, quàm de „ affluentia maxima gratiarum dicti D. N. „ Papæ, & ipſos omnes & ſingulos in ſua „ protectione & gremio miſericorditer confovere, amore dicti D. Marchionis, & piiſſimæ caritatis. Mandans & volens, quod heres ſuus infraſcriptus ſit adſtrictus ad ſervandum omnia & ſingula, quæ dictus D. N. „ Papa fecerit & diſpoſuerit de prædictis, „ quorum nomina ſunt hæc.

„ In Baronia verò Montis-ferrati, & in „ Marchionatu Montis-ferrati, & in aliis omnibus bonis ſuis mobilibus, & immobilibus, „ juribus, & actionibus realibus & perſonalibus, utilibus & directis, mixtis & hypothecariis, ubicumque ſint, & qualiacumque „ ſint, & quocumque nomine cenſeantur, ſibi „ heredem univerſalem inſtituit & reliquit Secundottum filium ſuum primogenitum; ita „ & taliter, quod ſolutis, ſeu reſtitutis his, „ quæ hinc ad unum annum proximum pronuntiabuntur & ſententiabuntur per dictum „ D. N. Papam, ſeu per dictos DD. Cardinales per ipſum deputandos, totum reſiduum „ dicti Marchionatus, & alia quæcumque „ jura dicti Domini, cum omnibus juribus, „ & honoribus, Vaſſallis, Terris, locis, Caſtris, hominibus, & aliis regaliis quibuſcumque, pertineat ad Secundottum prædictum. Cui Secundotto dedit, inſtituit, & „ reliquit in Tutorem & Curatorem præfatum „ D. Ducem in omnibus & per omnia, ſicut „ ſupra in uno capitulo cum inſtituit, & reliquit prædictis Joanni, Theodoro, & Gulielmo nihil addito, minuto, vel mutato, „ niſi ſicut ſtat dictum capitulum uſque in „ finem ipſius, cum hac tamen additione, „ quod Illuſtris D. Amedeus Comes Sabaudiæ nepos dicti D. Marchionis, dum fuerit „ in Lombardia, & ſibi placuerit, ſit etiam „ Tutor dicti Secundotti, ſimul cum dicto „ D. Duce: ita quod ipſi duo habeant ſimul „ dictam tutelam, ſi dicto D. Comiti, dum „ erit in Lombardia, placuerit, prout ſupra, „ quouſque idem Secundottus compleverit „ ætatem quatuordecim annorum integram. „ Et ſi contingeret (quod abſit) dictum Secundottum decedere abſque filiis legitimis „ ex ſe procreatis, & ad ætatem perfectam „ teſtandi attingentibus: eo caſu ſibi ex nunc „ ſubſtituit Joannem filium ſuum ſecundogenitum, ſi tunc ſuperviveret. Si verò dictus „ Joannes tunc non viveret, ſibi ex nunc ſubſtituit dictum Theodorum, ſi tunc ſuperviveret. Si autem dictus Theodorus tunc non „ viveret, ſibi ex nunc ſubſtituit dictum Gulielmum, ſi tunc viveret: quæ ſubſtitutiones intelligantur locum habere, ut ſupra, „ in perſonam illius majoris dictorum filiorum ſuorum, qui tunc viveret, ſeu filiorum „ legitimorum dicti filii, ſi qui eſſent. Et ſi „ ad ætatem teſtandi legitimam pervenirent; „ &

Digitized by Google

„ & ſi qui non tunc eſſent, ſeu ſi non pervenirent ad ætatem teſtandi, eo caſu cedat loco dicta ſubſtitutio alii majori dictorum fratrum tunc viventi: ſi tamen Sacros Ordines non ſumpſiſſet; & ſic ſubſequenter de gradu in gradum majori, & proximiori. Recommendans ipſe D. Marchio Teſtator prædictus dicto D. N. Papæ dictos filios ſuos, & dictum D. Ducem, & Marchionatum prædictum, & Civitatem Aſt, & omnia & ſingula ſupradicta. Jubens & mandans eiſdem filiis ſuis, & dicto D. Duci, quod ſemper & perpetuò ſint fideles & obedientes dicto D. N. Papæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Et quod eidem D. N. Papæ, & Sanctæ Eccleſiæ adhæreant, & ad ejus mandata pacem & guerram, & ejus opera & negotia faciant, ac præcepta. Supplicans etiam ipſe D. Marchio Teſtator prædictus dicto D. N. Papæ, ut ipſos filios ſuos, & dictum D. Ducem, ac dictum Marchionatum, & Civitatem Aſt, & omnia ſupradicta dignetur in ejus guardia, cuſtodia, protectione, & defenſione ſuſcipere contra quoslibet impugnantes.

„ Executores autem ſuos ad prædicta omnia complenda, & executioni mandanda. Et primo ad factum petitionum, & reſtitutionum, ſi quæ ſibi fiant, & ſi ſententiabuntur, ut ſupra fieri debere, elegit, & deputavit dictum D. N. Papam, & ad tradendum & aſſignandum Terras pro ſe, Joanni, Theodoro, & Gulielmo ſupradictis, ſicut ſuperius continetur.

„ Ad conſtitutionem autem dicti Monaſterii elegit & deputavit executores ſuos, quos etiam elegit ad dotationem Prioratuum, & Eccleſiarum prædictarum.

„ Item ad perficiendum legata prædicta dictarum Eccleſiarum, Hoſpitalium, & piarum cauſarum.

„ Item ad exequendum omni menſe in Civitate Aſt illud legatum librarum tercentum Aſtenſium pro menſe.

„ Item ad exequendum omni anno in Marchionatu Montis-ferrati illud legatum florenorum quinquecentum pro quolibet anno, & hanc, &c.

Primus Codicillus.

„ IN nomine Domini amen. Anno, Indictione, die, loco, & teſtibus in folio XCVIII. deſcriptis.

„ Quia uſque ad ultimum vitæ ſpiritum unicuique de bonis, & rebus ſuis diſponere licitum eſt: Ideo Illuſtris Princeps, & D. D. Joannes Marchio Montis-ferrati, Imperialis Vicarius, per gratiam Dei ſanus mente, licet corpore languens, recolens ſe ordinaſſe, & per Bogeri Cancellarium ſuum ſcribi feciſſe teſtamentum ſuum, mihi quoque ſubſcripto Notario in teſtium præſentia tradendum in formam publicam commiſiſſe, hoc eodem anno, Indictione, & die, præſenti Codicillo ipſum teſtamentum omni jure, via, modo, & forma, quibus melius potuit, confirmavit & approbavit, ac valere voluit, & habere plenam roboris firmitatem.

„ Item recommendavit animam ſuam, corpus, filios, & Terram S. D. N. Papæ ſicut verus, fidelis, & obediens Chriſtianus.

„ Item ordinavit, & voluit, quod Eccleſia A „ S. Michaëlis de Clavaxio mutetur, & fiat „ in uno loco honeſto, ubi non noceat Caſtro, neque Burgo Clavaxii, ſeu fortaliciis „ ipſorum; & in honorem, & reverentiam „ Dei, & B. Michaëlis, ſicut nunc ſtat, ſolummodo ad ſerviendum dictæ Eccleſiæ unus „ Monachus: diſpoſuit, ordinavit, & voluit, „ quod ibi ſint & ſtent continuè unus Prior „ cum aliis tribus Monacis, ita quod ibi fiat „ unus Prioratus ſub Abbatia S. Michaëlis de „ Cluſa Diœceſis Taurinenſis, ſub qua etiam „ modò eſt. Et ut dicti Prior, & Monaci „ poſſint Divinis Officiis melius & commodius intereſſe, legavit, & reliquit dictæ Eccleſiæ, ſeu dicto Prioratui, tam pro faciendo dictam Eccleſiam, & permutando, quàm B „ pro aliis neceſſariis & opportunis dicto Prioratui, Priori, & Monacis, omnes poſſeſſiones, & omnia bona, quæ erant quondam „ Petri de Septimo, quæ ſunt in Burgo, & „ poſſe, ac diſtrictu Clavaxii, & in loco & „ poſſe Caſtigneti, quæ omnia ſunt ipſi Domino confiſcata. Retinens nihilominus ipſe „ Dominus in ſe, & heredes ſuos in & ſuper prædictis Prioratu, Priore, & Monacis, „ omne jus patronatus, ita & taliter, quod „ illi, quos eliget, & præſentabit, admittantur & confirmentur per Abbatem & Superiorem dicti Monaſterii de Cluſa; & ſi eſſent tales, vel ponerentur per tempora, C „ qui non eſſent grati, & non placerent dicto Domino, & heredibus ſuis, mutentur „ in alios, prædicto Domino, & ſuis heredibus placibiles atque gratos.

„ Item dimiſit, & legavit pro anima ſua „ Eccleſiæ S. Mariæ de Creta omnes poſſeſſiones, & res, quas ipſe Dominus conceſſerat „ quondam Blaxio Moytio de Alexandria in „ Tridino, & poſſe, quæ erant conceſſæ ad „ beneplacitum dicti D. Marchionis.

„ Item dimiſit & legavit Eccleſiæ prædictæ „ de Creta molendinum de Gamamella territorii Montisbelli. Et ſi fortè aliquis haberet dictum molendinum in pignore pro aliqua pecuniæ quantitate, ordinavit, voluit, D „ & reliquit, quod ipſum molendinum redimatur de propria pecunia dicti Domini, „ ita & taliter, quod expeditè & liberè remaneat Eccleſiæ prælibatæ.

„ Item ordinavit, voluit, & præcepit, quod „ corpus ſuum eo defuncto portetur in Aſt, „ & ponatur, ac ſepeliatur ad Eccleſiam „ S. Secundi in Capella nova. Et ſi fortè hoc „ fieri non poſſit propter impedimentum guerræ, ordinavit ſepeliri in Clavaxio in Eccleſia Minorum, vel ubi placebit D. Duci. „ Et hanc ſuam ultimam voluntatem aſſeruit „ eſſe velle, quam valere voluit jure Codicillorum; quod ſi jure Codicillorum non valet, valeat quocumque alio jure, quo va- E „ lere melius poterit, & tenere. Præcipiens „ idem D. Marchio de prædictis fieri publicum Inſtrumentum unum, & plura, ſi opportuna fuerint, per me Notarium infraſcriptum.

Secundus Codicillus.

„ IN nomine Domini amen. Anno, & Indictione præmiſſis, die undecima menſis „ Martii. Actum in loco præmiſſo, præſentibus teſtibus vocatis, & rogatis, Venerabile Viro D. Fratre Alberto de S. Georgio „ Ordinis Minorum, Confeſſore infraſcripti

„ D.

Digitized by Google

„ D. Marchionis, Magiſtro Santo de Aſcle-
„ riis de Ponteſturiæ Medico, & Nobilibus
„ Viris Petrino filio Bartholomæi de S. Geor-
„ gio ex Comitibus de Blandrato, & Henri-
„ co ex Dominis Cerexeti.

„ Quia uſque ad ultimum vitæ ſpiritum
„ unicuique de bonis & rebus ſuis diſponere
„ licitum eſt: ideo Illuſtris Princeps, & D. D.
„ Joannes Marchio Montis-ferrati Imperialis
„ Vicarius, per Dei gratiam ſanus mente,
„ licet corpore languens, recolens, ſe ordi-
„ naſſe, & per Bogeri Cancellarium ſuum
„ ſcribi feciſſe Teſtamentum, mihi quoque
„ ſubſcripto Notario tradendum in formam
„ publicam commiſiſſe. Similique modo re-
„ colens ſe Codicillum quemdam ordinaſſe &
„ feciſſe, ut patet publicis Inſtrumentis per
„ me jam dictum Notarium abreviatis hoc
„ eodem anno, & Indictione, die nono hu-
„ jus menſis Martii. Ecce ipſum Teſtamen-
„ tum, & Codicillum, præſenti Codicillo,
„ omni jure, via, modo, & forma, quibus
„ melius potuit, confirmavit, & approbavit,
„ ac valere voluit, & habere roboris firmi-
„ tatem. Adimens nihilominus in ea parte
„ Codicilli, ubi de ſui corporis tractaverat
„ ſepultura, & mutans. Nam præſenti Codi
„ cillo expreſsè ordinavit, voluit, & præce-
„ pit, quod corpus ſuum portetur in Aſt, &
„ ſepeliatur ad Eccleſiam S. Secundi in Capel-
„ la nova.

„ Item legavit & reliquit dictæ Capellæ
„ novæ pro ædificio libras mille Aſtenſes ſol-
„ vendas per heredem ſuum.

„ Item ordinavit & voluit, quod dicatur
„ Illuſtri D. Ottoni Duci Brunſvicenſi, quod
„ non faciat fieri pompas ad ſepulturam dicti
„ Domini cum equis & banneriis, & his ſi-
„ milibus; ſed id quod expenderetur in præ-
„ dictis pompis, detur pauperibus amore
„ Dei.

„ Item ordinavit, quod fiant eleemoſinæ,
„ & celebrentur Miſſæ per Terras & Eccle-
„ ſias Terrarum ſuarum pro ejus anima,
„ prout diſponet D. Dux præfatus.

„ Item voluit, juſſit, mandavit, & ordina-
„ vit, quod Magiſter Santus filius quondam
„ Magiſtri Petri de Aſcleriis de Pontefturia,
„ Phyſicus, qui diu ipſum medicinavit, &
„ circa curam ſuæ perſonæ fideliter labora-
„ vit, ſit deinceps francus & immunis pro
„ ſe, & heredibus ſuis in loco Pontiſturiæ ab
„ omnibus oneribus realibus & perſonalibus
„ & miſtis; ipſumque & ejus heredes, ut ſu-
„ pra, francum & immunem facit & fecit.

„ Item legavit & reliquit Fratri Alberto
„ de S. Georgio Confeſſori pro ejus anima
„ florenos vigintiquinque auri.

„ Et hanc ſuam ultimam voluntatem aſ-
„ ſeruit eſſe velle, quam valere voluit jure
„ codicillorum; quod ſi jure codicillorum
„ non valet, valeat quocumque alio jure,
„ quo valere melius poterit, & tenere. Præ-
„ cipiens idem D. Marchio de prædictis fieri
„ publicum Inſtrumentum unum, & plura,
„ ſi opportunum fuerit, per Notarium infra-
„ ſcriptum.

Tertius Codicillus.

„ IN nomine Domini amen. Anno, & In-
„ dictione præmiſſis, die decimo quarto
„ menſis Martii, Actum in loco præmiſſo.
„ Præſentibus teſtibus vocatis & rogatis No-
„ bilibus Viris Matthæo Provana de Layni-
„ co, Henrico ex D. Cerexeti, Antonio de
„ Caſteglo ex Dominis dicti loci, Antonio
„ Amedei, & Marchotto Paſtello de Cla-
„ vaxio.

„ Quia uſque ad ultimum vitæ ſpiritum
„ unicuique de bonis & rebus ſuis diſponere
„ licitum eſt: ideo Illuſtris Princeps D. Jo-
„ annes Marchio Montis-ferrati, Imperialis
„ Vicarius, ſanus mente, quamvis corpore
„ languens, recolens, ſe ordinaſſe, & per
„ Bogeri Cancellarium ſuum ſcribi feciſſe
„ ejus Teſtamentum, mihi quoque ſubſcripto
„ Notario tradendum in formam publicam
„ præcepiſſe. Similique modo recolens, ſe
„ Codicillum unum die nono, & alterum
„ die undecimo hujus menſis ordinaſſe & fe-
„ ciſſe, ut patet publicis Inſtrumentis per me
„ jam dictum Notarium abreviatis. Ecce
„ ipſum Teſtamentum, & ipſos Codicillos,
„ præſentis Codicilli vigore, omni via, jure,
„ modo, & forma, quibus melius potuit &
„ poteſt, confirmavit & approbavit, ac vale-
„ re voluit, & habere roboris firmitatem.

„ Item legavit & reliquit, ac voluit, quod
„ heres ſuus emi faciat in Janua rubos novem
„ ceræ, & ipſam ceram mittat ad S. Nico-
„ laum de Tolentino.

„ Item legavit, reliquit, voluit & præce-
„ pit, quod heres ſuus emat, & mittat Ro-
„ mam ad Capellam, ſive Altare, ubi eſt cor-
„ pus S. Gregorii Papæ & Doctoris rubos de-
„ cem ceræ.

„ Item legavit, reliquit, & ordinavit, &
„ voluit, quod fiant duæ Capellæ ad hono-
„ rem & reverentiam Dei, & S. Thomæ Can-
„ tuarienſis, una videlicet in Aſt, altera in
„ Monte-ferrato, ubi placebit D. Duci; &
„ quod dotentur per heredem ſufficientibus
„ reditibus pro uno Capellano pro qualibet,
„ qui celebrent Miſſas in eis.

„ Item ordinavit, voluit, & præcepit,
„ quod prædictus D. Dux mittat unum famu-
„ lum de hoſpitio ſuo ad S. Catherinam de
„ Monte Sinay pro ipſo D. Marchione, ex-
„ penſis heredis ſui.

„ Item ordinavit, voluit, & præcepit, quod
„ Gulielmus Bava dictus Bogeri, & ego Ja-
„ cobinus de Capella de Liburno ſubſcriptus
„ Notarius, Cancellarii ſui, in vita ipſius Bo-
„ geri, & mea, ſimus Cancellarii heredis ſui
„ Marchionis Montis-ferrati.

„ Item ordinavit, voluit, & reliquit, dum
„ tamen hoc ſine peccato, & licitè facere
„ poſſit, quod Henricus filius quondam Gu-
„ lielmi de Cerexeto Scutifer ſuus ſit francus
„ & immunis à ſolutione focorum, ſive talea-
„ rum menſium, qui ſolvuntur per Commu-
„ ne Tridini pro rebus & poſſeſſionibus, quas
„ habet in Tridino, & poſſe, tantum videli-
„ cet pro parte ſua tantummodo.

„ Item propter grata & accepta ſervitia
„ ipſi Domino exhibita per Joannem filium
„ quondam Franciſci de Brayda ex DD. Mon-
„ tilii, legavit, reliquit, dedit, & conceſſit
„ in feudum, & jure feudi eidem Joanni præ-
„ ſenti, & Antonino fratri ſuo abſenti illam
„ partem, quam dictus Dominus habet in
„ Caſtro, Villa, poſſe, & juriſdictione Rin-
„ gi, quæ erat Bertholacii de Ringo; & quæ
„ ipſi Domino confiſcata eſt, ad habendum,
„ tenendum, & poſſidendum in feudum à di-
„ cto D. Marchione, & heredibus ſuis, eo
„ modo, quo dictus Bertolacius eam tenere
„ con-

„ consueverat, dum tamen ipsi ambo fratres
„ recognoscant heredes suos, ac eis fidelita-
„ tem faciant de his, quæ habent & tenent
„ in Montilio, & de parte prædicta Ringi.
„ Et dummodo se concordent cum filiis Tur-
„ choti Turchi quondam, qui ipsam partem
„ habent in pignore pro certa pecuniæ quan-
„ titate.

„ Et hanc suam ultimam voluntatem as-
„ seruit esse velle, quam valere voluit jure
„ Codicillorum; quod si jure Codicillorum
„ non valet, valeat quocumque jure, quo va-
„ lere melius poterit, & tenere. Præcipiens
„ idem D. Marchio de prædictis fieri publi-
„ cum Instrumentum unum, & plura, si op-
„ portunum fuerit, per me Notarium infra-
„ scriptum.

Quartus Codicillus.

„ IN nomine Domini amen. Anno, & In-
„ dictione præmissis, die decimaquarta
„ mensis Martii. Actum in loco præmisso,
„ præsentibus testibus vocatis & rogatis, Ve-
„ nerabili Viro D. Francisco Merzario de
„ Montevico, Decretorum Bachalario, Vica-
„ rio, Nobilibus Viris Petrino filio Bartho-
„ lomæi de S. Georgio ex Comitibus de Blan-
„ drato, Henrico ex Dominis Cerexeti, An-
„ tonio ex Dominis Castiglioni Scutiferis,
„ Dominico de Scazosis de Castelletto, Mar-
„ cotto Pastello de Clavaxio, familiaribus in-
„ frascripti D. Marchionis.

„ Quia usque ad ultimum vitæ spiritum,
„ unicuique de bonis & rebus suis disponere
„ licitum est: ideo Illustris Princeps D. Joan-
„ nes Marchio Montis-ferrati Imperialis Vi-
„ carius, sanus mente, quamvis corpore lan-
„ guens, recolens, se ordinasse, & per Bo-
„ geri Cancellarium suum scribi fecisse ejus
„ Testamentum, mihi quoque subsignato No-
„ tario tradendum in formam publicam præ-
„ cepisse. Similique modo recolens, se Codi-
„ cillos, unum videlicet die nono, alium die
„ undecimo hujus mensis, alium die hodier-
„ na fecisse, ut patet publicis Instrumentis
„ per me jam dictum Notarium abreviatis.
„ Ecce ipsum Testamentum, & ipsos Codi-
„ cillos præsentis Codicilli vigore, omni via,
„ jure, modo, & forma, quibus melius po-
„ tuit, & potest, confirmavit & approbavit,
„ ac valere voluit, & habere roboris firmi-
„ tatem.

„ Item propter servitia dudum sibi exhibi-
„ ta per Antonium Amedei de Clavaxio Scu-
„ tiferum, & familiarem suum domesticum,
„ legavit eidem, ut illas possessiones, quas
„ jam diu sibi concesserat in posse Clavaxii,
„ sive ad beneplacitum, sive ad vitam, dein-
„ ceps habeat, teneat, & possideat pro se,
„ & suis heredibus in perpetuum tamquam
„ suas. Et hanc suam ultimam voluntatem
„ asseruit esse velle, quam valere voluit jure
„ Codicillorum; & si jure Codicillorum non
„ valeret, valeat quocumque jure, quo vale-
„ re melius poterit, & tenere. Præcipiens,
„ &c.

Il corpo di esso Marchese fu dato in depo-
sito, & raccommandato a i Frati Minori del
Convento di S. Francesco di Chivasso; e di
tale deposito ne fu rogato da Guglielmo Ci-
colello Notajo di Virolengo il seguente In-
strumento.

Instrumentum depositi cadaveris Marchionis Joannis.

„ IN nomine Domini amen. Anno Nativi-
„ tatis ejusdem Domini Millesimo trecen-
„ tesimo septuagesimo secundo, Indictione
„ decima, die Sabbati, vigesima mensis Mar-
„ tii, in via publica, apud Domum Fratrum
„ Minorum de Clavaxio, præsentibus testi-
„ bus vocatis & rogatis, Nobilibus Viris
„ Bartholomæo de S. Georgio, Bartholomæo
„ de S. Sebastiano, Gulielmo de Azelio, Aras-
„ mino Provana, Leonello Provana, Anto-
„ nio de Mazadio, Facio de Villa, Antonio
„ Amadei de Clavaxio, & pluribus aliis.
„ Venerabiles, & Religiosi Viri Frater Al-
„ bertus de S. Georgio Custos Ordinis Fra-
„ trum Minorum, & Frater .... de Sime-
„ onis de Toncho Guardianus Conventus
„ Fratrum Minorum de Clavaxio, eorum
„ proprio nomine, ac vice & nomine Con-
„ ventus omnium Fratrum Minorum: Pro-
„ miserunt Reverendo D. Antonio de S.
„ Georgio Abbati S. Benigni Fructuarien-
„ sis, ac D. Jacobo de S. Georgio, & D. Oddo-
„ no de Valpergia militibus, ac mihi No-
„ tario infrascripto, ac etiam Jacobo Capel-
„ læ de Liburno publico Notario, recipien-
„ tibus vice & nomine Illustrium DD. Ottonis
„ Brunsvicensis, & Secundotti Marchionis
„ Montis-ferrati, ac Joannis, Theodori, &
„ Gulielmi fratrum de Monte-ferrato, quod
„ cum corpus, seu cadaver bonæ memoriæ
„ Illustris D. D. Joannis Marchionis Montis-
„ ferrati, &c. Imperialis Vicarii, sepelire-
„ tur & recommendaretur in Ecclesia S. Fran-
„ cisci Fratrum Minorum de Clavaxio, quod
„ ipsum corpus; seu cadaver reddent & da-
„ bunt supra dictis D. Duci, & Marchioni,
„ ac Joanni, Theodoro, & Gulielmo, seu uni
„ ipsorum, aut eorum, seu cujuslibet eorum
„ Nuntio, quandocumque voluerint, sine
„ contradictione & impedimento qualicumque.
„ Et hoc promittunt ipsi Custos, & Guardia-
„ nus eorum proprio nomine, & vice & no-
„ mine totius Ordinis & Conventus Fratrum
„ Minorum, attendere & observare sub eorum
„ fide & legalitate. Præcipientes de præmissis
„ fieri per me Notarium infrascriptum, & per
„ Jacobum Capellam publicum Notarium &
„ Cancellarium ipsius D. Joannis Marchionis
„ Montis-ferrati publica Instrumenta, reficien-
„ da semel, & pluries, si opus fuerit, consilio
„ sapientis.

Pietro Azario nel fine dell'altre cose scrit-
te per lui de i gesti del memorato Marchese
Giovanni, sino al tempo della perdita di Pa-
via, Valenza, e Casale, restringendo tutta
l'istoria in un breve compendio, dice le susse-
guenti parole, le quali mi è paruto conveniente di riservare in questo luogo, per non interrompere il progresso dell'istoria.

„ Joannes Marchio Montis-ferrati natus D.
„ Theodori filii quondam Imperatoris Græco-
„ rum, qui cum Domina sorore sua, uxore
„ Illustris Principis D. Aymonis Comitis Sa-
„ baudiæ, & matre Dominorum Aymi nunc
„ Comitis, & Blancæ consortis D. Galeaz Vi-
„ cecomitis, & dictus apud suos Illustris Prin-
„ ceps, & Imperialis Vicarius generalis, pro-
„ bus, sapiens, moderatus, & formosus, nec-
„ non quietis impatiens, Terras omnes per-
„ ditas, venditas, & pignoratas Marchionatus

„ Mon-

Digitized by Google

„ Montis-ferrati per quondam Genitorem ſuum
„ univerſas recuperavit uſque ad unam, quæ
„ Gaxenum nuncupatur, nec ſolam Terram
„ perdidit. Immò poſt diffidationem ſuam,
„ licet non potens ad reſpectum, ſicut D. Me-
„ diolani, alias multas acquiſivit, & multas
„ contra potentiam prædicti Domini Media-
„ lani detinet de præſenti. Habuit enim pri-
„ mam uxorem ſenem, ſororem D. Cardina-
„ lis de Comingi, quam dum eſſet ipſe Joan-
„ nes adoleſcens, pater ejus in matrimonium
„ ſibi copulavit propter pecuniam, & ipſe
„ ſemper eam honoravit ſicut juvenem, & di-
„ citur nuſquam ſe cum alia muliere miſcuiſſe.
„ Mortuâ ipſâ, aliam neptem Illuſtris Regis
„ Aragonum, & filiam Illuſtris Regis Majori-
„ carum in matrimonium habuit, & habet,
„ valde pulcram, & ex qua Regina filios di-
„ citur ſuſtuliſſe. Geſſerat autem ante præ-
„ dictam diffidationem circa recuperationem
„ Terrarum ſuarum ſe taliter, quod Hector
„ ipſi non prævaluit. Nam ſemper guerram
„ habuit cum Illuſtri Principe Achayæ in par-
„ tibus Pedemontium, & cum univerſa parte
„ Guelpha Aſtenſi, Hipporegienſi, & Cane-
„ picii, ac Alexandriæ, intra vires quorum
„ potentia ipſius Marchionis ſtat incluſa.
„ Nuſquam habuit in potentia ſua Montis-
„ ferrati Guelphum, aut Gibellinum, quem
„ ſecundùm merita non amaret & honoraret.
„ Amavit ſemper Gibellinos in Civitatibus
„ ſibi adhærentibus, & præcipuè in Papia,
„ Vercellis, Hipporegia, & Taurino, necnon
„ in Civitate Aquenſi, quam tenet, ſalvo
„ modo circa finem, quod diſcordiam habuit
„ cum domo de Becharia, & Canibus de Ca-
„ ſali, quos decapitari fecit, videlicet, Fran-
„ ciſcolum Canem, & alios expulit de Caſali,
„ domos ſuas proſternendo. Pluribus vicibus
„ fuit in conflictu armorum, in quibus ſemper
„ obtinuit, & præcipuè apud Gamenariam,
„ ubi prœlio ordinato cum amicis ſuis, Sene-
„ ſcalcum Regium de domo illorum de Bal-
„ cio magnæ potentiæ & virtutis occidit, vi-
„ cto campo, & gente ſua, cum auxilio uni-
„ verſæ partis Guelphæ, poſitâ in conflictu,
„ proſternendo, capiendo, mutilando quot-
„ quot voluit. Ad cujus labores Nobilis mi-
„ les D. Otto de Brunſveich Teutonicus, &
„ in parentela propinquus ſibi, probus, & ſa-
„ piens, multum profuit. De quo pluſquam
„ de alio, & meritò, ſe confidit. Recupera-
„ vit Burgum Caluſeni in Canepicio contra
„ voluntatem & potentiam dictorum Princi-
„ pis, & Guelphorum, & ipſam Terram mul-
„ tum dominio ſuo nocentem cum maximo
„ diſpendio acquiſivit. Et ſimiliter Valentiam
„ contra voluntatem Guelphorum ipſius loci
„ circunſtantium, & ipſam tenet de præſenti
„ cum ponte ſupra Padum, ubi intrant &
„ exeunt omnes ſui, turbantes ſtatum Papiæ,
„ Novariæ, & dominii Mediolani. Recupe-
„ ravit Bremide, quam continuè tenuit cum
„ maximo detrimento Dominorum Mediolani.

SECONDOTTO.

PEr la ſopravenuta morte del Marcheſe Giovanni ritrovandoſi i nobili e popoli ſottopoſti al dominio di Monferrato, eſſere tra due pericoloſi ſcogli, cioè della puerizia di Secondotto primogenito, che allora non poteva eccedere l'età d'anni dodici; e de gli altri fratelli figliuoli del memorato Marcheſe inferiori d'età; e della guerra nata tra il padre, e Galeazzo Viſconte per riſpetto della Città d'Alba, come ſi è detto: Ottone Duca Bruſvicenſe Teſtamentario Tutore, e Governatore di eſſo Secondotto ſucceſſore dello Stato, per alquanti giorni ſtette in pratica e trattato di pace col prefato Galeazzo Viſconte. Poi ſtringendoſi la pratica andò a Pavia, domandato da Galeazzo per ultimarla, & come alcuni vogliono conduſſe ſeco due di eſſi figliuoli. Ma poichè conobbe per li ragionamenti, che ſi facevano, che Galeazzo aſpirava al dominio della Città d'Aſti, non vi volle conſentire, ma ritornò in Monferrato. Dove poichè fu arrivato, dubitando della futura guerra, fece mandare in nome del Principe ad Amedeo Conte di Savoja M. Giacomo di S. Giorgio Cavaliere, e Bartolomeo pure di S. Giorgio de' Conti di Blandrate, Ottolino de' Ghiſelbertis Dottore di Montebaruzio, Simone di Gabiano, e Nicolino de i nobili di Cavagnolio ſuoi Procuratori. Et egli per la recente aſſunzione di Gregorio XI. al Pontificato, volendo ſodisfare al debito ſuo, e del Marcheſe, e fratelli: ſtringendolo ancora l'apparato della guerra, la quale era in procinto di farſi contro Galeazzo Viſconte, andò in Avignone a fare riverenza al predetto Pontefice, al quale ſignificò ogni occorrenza, e ſi collegò con lui. In queſto mezzo i prenominati Ambaſciatori mandati ad Amedeo, alli diecisette del meſe di Giugno del predetto Anno MCCCLXXII. concluſero con lui a nome de i predetti Marcheſe, e fratelli, & di eſſo Ottone di Brunſveich loro Tutore e Governatore, una confederazione e lega co i ſeguenti Capitoli.

Confœderatio cum Amedeo de Sabaudia.

„ PRimus, quod dictus D. Comes teneatur
„ pro poſſe, bona fide, & ſine fraude ju-
„ vare, defendere, & conſervare Statum,
„ Terram, jura, & honores dicti D. Marchio-
„ nis, ſubditorum, & adhærentium ſuorum,
„ quorum nomina infra deſcribuntur, contra
„ quaſcumque perſonas, cujuſcumque condi-
„ tionis & ſtatus exiſtant. Exceptis S. D. N.
„ Papa, & Sereniſs. D. N. Imperatore, ac
„ Rege Francorum, filiis, & fratribus ſuis,
„ & è converſo.

„ Adhærentium verò nomina ſunt hæc.
„ Dominium Aſtenſis Civitatis. D. Thomas
„ Marchio Malaſpina pro eo, quod non tenet
„ à D. Marchione. Manfredus de Buſca pro
„ eo, quod non tenet à D. Marchione. Mar-
„ chiones Cevæ, & Marchiones Inciſæ.

„ Item teneatur pro poſſe juvare ipſum D.
„ Marchionem ad recuperandum Terras, &
„ loca, quas, & quæ perdidit dictus D. Mar-
„ chio propter præſentem guerram, inter
„ ipſum D. Marchionem, & D. Galeaz ab ul-
„ tima diffidatione citra inter eos facta, &
„ quod recuperatum fuerit, dimittere dicto D.
„ Marchioni.

„ Item non facere pacem, treguam, ſeu
„ accordium cum inimicis dicti D. Marchio-
„ nis, ſine ſcientia & beneplacito dicti D.
„ Marchionis, & è contra D. Marchio cum
„ inimicis D. Comitis, ſine ſcientia & benepla-
„ cito D. Comitis.

„ Item quod Terræ, loca, & fortaliciæ, di-
„ ſtrictus, & territoria, quæ ipſi duo Domini
„ lucrabuntur, vel eorum alter ſuper ipſum
„ D. Galeaz, dividantur, ut infra, videlicet

„ quod

Digitized by Google

„ quod si sint de Territorio Astensi, & di-
„ strictu, dividantur per medium inter ipsos.
„ Sin autem extra territorium Astense, duæ
„ partes sint D. Comitis, & tertia D. Mar-
„ chionis.

„ Item, quod teneatur ipse D. Comes de-
„ fendere toto suo posse Terras, Civitates, &
„ Castra D. Marchionis à guastis, bastitis, &
„ exercitibus ad bonum intellectum & fidem,
„ sicut faceret suas proprias.

„ Item, quod victualia Terræ D. Comitis,
„ & locorum suorum sint libera & expedita
„ pro pretio competenti, Terris, subditis, &
„ adhærentibus D. Marchionis, & per eos, &
„ ad ea duci valeant, sicut ad alias Terras D.
„ Comitis.

„ Item, quod si contingat lucrari Comita-
„ tum Blandrati, quod illud sit Dominorum
„ de S. Georgio, qui tenere debeant ipsum in
„ feudum à prædictis Dominis, Comite, &
„ Marchione videlicet à dicto D. Comite
„ pro duabus partibus, & à dicto D. Marchio-
„ ne pro tertia.

„ Item, quod D. Marchio det dicto D. Co-
„ miti florenos ducentum millia boni auri &
„ ponderis. Et ex nunc det in solutum dicto
„ D. Comiti loca, & jura infrascripta, sub pa-
„ ctis & conditionibus infrascriptis, quæ loca,
„ & jura sunt hæc, videlicet: Castrum, &
„ Burgum Clavaxii cum pertinentiis, & totum
„ territorium Canepicii de citra Padum, cum
„ omnibus juribus, & Vassallagiis intercluſis,
„ exceptis Terris, & Vassallagiis, quæ te-
„ net D. Dux Brunsvicensis. Item Ripam,
„ Podinarium, & Vassallatum Montis cucchi,
„ cum juribus eorumdem. Pacta verò & con-
„ ditiones sunt hæc, videlicet, quod dicto D.
„ Marchioni sit licitum redimere Clavaxium
„ infra unum annum a die præsenti numeran-
„ do pro summa florenorum octuaginta mil-
„ lium prædictorum. Et de aliis juribus, &
„ rebus, ut supra, fiant tres partes, quarum
„ prima sit Sanctus Georgius cum Curia, &
„ pertinentiis suis, Mazadium, Marcena-
„ schum, & Castiglionum, cum omnium
„ pertinentiis, & hæc redimi possit per se in
„ secundo anno quadraginta millibus flore-
„ nis.

„ Secunda verò sit Ripa, fidelitates Montis-
„ cucchi, Septimi, & Leynici, cum eorum
„ juribus, & pertinentiis, & redimi possit in
„ tertio anno pro totidem.

„ Alia verò tertia pars sit Podivarinum,
„ Roccha, & Fabrica, quæ redimi possit quar-
„ to anno pro totidem. Et si contingat, Cla-
„ vaxium redimi non posse in primo anno,
„ redimi possit in secundo anno, unà cum par-
„ te illo anno redimenda, pro centum viginti
„ millibus. Si autem non redimetur illo se-
„ cundo anno, redimi possit tertio anno cum
„ duabus partibus, secundo & tertio annis
„ redimendis, pro florenis centum sexaginta
„ millibus. Et si non redimeretur illo quarto
„ anno, redimi possit Clavaxium cum tribus
„ partibus redemptis pro dictis florenis du-
„ centum millibus. Et eo casu, quo dictus D.
„ Marchio redimeret prædicta modis prædi-
„ ctis, ex nunc, prout ex tunc, habeantur
„ pro non traditis; sed remaneant ipsi D. Mar-
„ chioni pleno jure, & teneatur ipse D. Comes
„ recordationem facere, & dationem de om-
„ nibus supradictis, cum promissionibus, sti-
„ pulationibus, & clausulis opportunis. Et
„ prædicta vendicent sibi locum, dummodo

A „ omnia & singula supradicta, & infrascripta
„ promissa per dictum D. Comitem attendan-
„ tur, & observentur, & non aliter, nec alio
„ modo.

„ Item, quod Sindici prædictorum locorum
„ doneorum, & etiam Vassalli prædictorum
„ Vassallorum traditorum, faciant fidelitatem
„ prædicto D. Comiti sub conditionibus & re-
„ solutionibus prædictarum recuperationum
„ dictarum Terrarum, & Vassallagiorum præ-
„ dictorum in præcedenti capitulo. Ita tamen,
„ quod Vassalli, nec homines in primo anno
„ ipsius fidelitatis non possint requiri, vel in
„ aliquo molestari ab ipso D. Comite, nec
B „ Tutorio nomine D. Marchionis, & secun-
„ dùm necessitates & utilitates utriusque Do-
„ minorum.

„ Ita quod in casu, quo loca remaneant
„ D. Comiti, teneatur ea tueri, & guber-
„ nare, protegere, & eis dominari, servatis
„ bonis usibus, libertatibus, consuetudinibus,
„ & franchitiis, quibus D. Marchio ea tene-
„ re fuerat consuetus, & ipsa ad Cameram
„ suam retinere.

„ Item, quod reditus, proventus, exitus,
„ & utilitates dictorum locorum doneorum,
„ videlicet Clavaxii, Ripæ, & Podiverini,
„ primo anno sint, & pertineant ad dictum
„ D. Marchionem, qui pro his teneatur fa-
„ cere, & supportare sumptus, & expensas,
C „ & onera quælibet Officiariorum, Custo-
„ dianum, Castrorum, & Villarum prædi-
„ ctarum, & subsequentibus annis pertineant
„ ad D. Comitem, qui post onera supportare
„ teneatur.

„ Item quod Aresminus Provana sit Castel-
„ lanus Clavaxii, & habeat ibi unum Ju-
„ dicem, qui præsit vice dicti D. Comitis
„ ibi, & in aliis locis pro Justitia minist ran-
„ da, qui Judex eligatur per ipsum Aresmi-
„ num.

„ Item, quod in Ripa, & Podivarino sit
„ Potestas, & Castellanus dictus Aresminus,
„ qui suo nomine ponat, quem velit in di-
„ ctis locis, nomine tamen D. Comitis, qui
D „ promittant D. Marchioni ipsa loca sibi ce-
„ dere, si, & quando solverit quantitates
„ prædictas modis prædictis, & juret ad S.
„ Dei Evangelia conservare jura utriusque
„ Dominorum, & rationem reddere cuicun-
„ que requirenti.

„ Item, si contingat aliquem appellare a
„ sententia, vel sententiis Judicis dicti Are-
„ smini, appellare possit ad ipsum Aresmi-
„ num, & non ad alium, qui definiat se-
„ cundùm consilium Peritorum.

„ Item, quod dictus D. Comes durante
„ guerra inter D. Marchionem, & Galeaz,
„ teneatur, & debeat tenere super & Terris
E „ D. Marchionis prædicti, & ad ejus man-
„ datum pro succurrendo, ubi magis fue-
„ rit opportunum, lanceas ducentum, & D.
„ Marchio centum ad succurrendum ubi fue-
„ rit expediens & necessarium super Terris
„ ipsorum Dominorum.

„ Item, quod si D. N. Papa fecit aliqua
„ pacta cum D. Comite, in quibus sit Illu-
„ stris D. Marchio, non derogetur per ista
„ pacta prædictis pactis factis per dictum
„ D. N. Papam. Et si contingat, ipsum D.
„ Comitem Sabaudiæ in futurum aliquam li-
„ gam facere cum D. N. Papa, teneatur suo
„ posse in ipsa liga includere dictum D. Mar-
„ chionem, sine tamen participatione com-

„ modi,

Digitized by Google

„ modi, vel lucri, quæ dictus D. Comes ex
„ dicta liga perciperet.
„ Item, quod omnes querelæ, ſeu peti-
„ tiones hinc inde viciſſim uſque ad præſen-
„ tem diem competentes dictis D. Comiti, &
„ Marchioni, uni adversùs alterum, ex qua-
„ cumque cauſa, ſint quietæ penitus & re-
„ miſſæ.
„ Item, quod D. Dux, & Conſilium D.
„ Marchionis, & Procurátores abſentes, cum
„ aliquibus Nobilibus de Monte-ferrato om-
„ nia & ſingula ſupradicta per eorum jura-
„ menta ſolemniter ratificent & confirment,
„ proinde ſe & ſua bona obligent, & nihil-
„ ominus jurent, & promittant ſub eiſdem
„ vinculis, ſe curaturos cum effectu, quòd
„ D. Marchio prædicta ratificabit, cum fue-
„ rit ætatis ſufficientis.

De i quali Capitoli e liga ne furono rogati Inſtrumenti da Clemente di Belmonte, & Atonio Curtero Notai del Conte, in preſen za di Bartolomeo Cignino Cavaliere e Conſigliere del predetto Conte, Bertolotto, & Oddonetto de Marchiſiis del luogo di Caſelle.

Il medeſimo Anno Galeazzo Viſconte perſiſtendo nel deſiderio, ch' egli aveva, vivendo il Marcheſe Giovanni, di volere occupare il dominio della Città d'Aſti. Del meſe di Luglio con le genti di Bernabò ſuo fratello, e con potente eſſercito l'aſſaltò, & fece fare molte baſtite per eſpugnarla. Al che volendo ſoccorrere Secondotto, e fratelli, & Ottone duca di Brunſveich tutore e governatore loro, inſtituiti dal predetto quondam Marcheſe Giovanni eredi di eſſa Città per indiviſo, & eguale porzione, richieſero in ajuto loro Amedeo Conte di Savoja, sì per vigore della lega & obligazione, che aveva con Papa Gregorio, di difendere e ſoſtenere il predetto Marcheſe, e le coſe della Chieſa, come per la confederazione, che avevano con lui; il quale mandò al preſidio di detta Città alcune genti ſue, le quali non continuarono la guerra ſecondo l'obligo della confederazione; anzi partendoſi laſciarono Ottone Duca di Brunſveich con le genti, & eſercito del Marcheſe e fratelli in eſſa guerra, e per loro eſſa Città fu difeſa per tal modo, che l'eſercito del prefato Galeazzo fu coſtretto a partirſi dal duro aſſedio poſto circa eſſa Città, e laſciar le baſtite in mano del Marcheſe di Monferrato; & durò l'aſſedio predetto per lo ſpazio di meſi tre, o circa.

Queſto Anno Milleſimo trecenteſimo ſettuageſimo ſecondo, fu fatto vendita del luogo di Podiverino al Conte di Savoja, per venti due mila fiorini d'oro di Fiorenza, del che ne fu rogato Inſtrumento da Antonio Conſole di Ponzano, regiſtrato per lui nel ſecondo protocollo fol. XXXI.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo ſettuageſimo quarto, Carlo Quarto Imperatore per un privilegio autentico, ſigillato di un' aureo ſigillo, coſtituì Vicarj del Sacro Imperio, Secondotto Marcheſe di Monferrato, i fratelli ſuoi, & Ottone Duca di Brunſveich comunemente, & per indiviſo, & ancora i deſcendenti loro maſchi legitimi, nelle Città d'Aſti, Alba, & Montevico ſpettante e pertinente al Sacro Imperio, & in qualunque Terre, Caſtelli, Ville, e luoghi, dominj, territorj, diſtretti, pertinenze, ragioni, e giuriſdizioni a loro ſpettanti nella ſeguente forma.

A „ In nomine Sanctæ & Individuæ Trinita-
„ tis feliciter amen. Carolus Quartus, Di-
„ vina favente clementia, Romanorum Im-
„ perator ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex,
„ ad perpetuam rei memoriam Illuſtribus Se-
„ cundottoni Marchioni Montis-ferrati, ac
„ fratribus ejus, & Ottoni Duci Brunſvicenſi
„ filio quondam Illuſtris Henrici Ducis ibi-
„ dem, Principibus, & Conſanguineis no-
„ ſtris dilectis, gratiam Cæſaream, & omne
„ bonum. Incumbentibus noſtræ Celſitudini
„ aſſiduè varietatibus negotiorum innumeris,
„ dum pro felici ſtatu Reipublicæ mens no-
„ ſtra hinc inde diſtrahitur, dignum noſtra
„ Serenitas exiſtimat, & fore neceſſarium ar-
B „ bitratur, ut qui tot regionibus nobis com-
„ miſſis perſonaliter adeſſe non poſſumus, fi-
„ deles noſtros fide & circunſpectione pro-
„ batos in partem noſtræ ſolicitudinis ſtatua-
„ mus. Sanè cum piæ recordationis quondam
„ Illuſtris Joannis Marchionis Montis-ferra-
„ ti, veſtri Marchionis, & fratrum genito-
„ ris, & tui Ducis, immotam fidei, & de-
„ votionis conſtantiam, & indefeſſi laboris
„ ſolicitudinem, quibus ipſe, & Tu, in
„ noſtris, & Imperii Sacri procurandis hono-
„ ribus multipliciter claruiſtis, noſtræ mentis
„ oculis attentius intuemur; Dumque dili-
„ genti, necnon & gratuita conſideratione
„ penſamus, quod vos Marchio, & fratres,
C „ de tam generoſa ſtirpe deſcendentes, ejuſ-
„ dem veſtri genitoris laudabilis ſequendo ve-
„ ſtigia, nobis, & Sacro Romano Imperio,
„ nonnullis virtuoſis & utilibus actibus, &
„ prout non ambigimus, conſtanter puritate
„ fidei poteritis, & debetis complacere plu-
„ rimum temporibus affuturis: Tanto utique
„ ad veſtri Status & felicitatis augmentum
„ ampliori inclinamur favore, quantum id
„ ipſum prædicti Marchionis quondam, &
„ tui Ducis clara probitas, & virtutum in-
„ ſignia præſtantius meruerunt. Volentes igi-
„ tur præmiſſorum intuitu veſtri Status feli-
„ citatem clementi prævenire reſpectu, de-
„ liberato animo, ſanoque; Principum, Ba-
D „ ronum, & Procerum noſtrorum, ac Impe-
„ rii accedente conſilio, de certa noſtra
„ ſcientia, & Imperialis poteſtatis plenitu-
„ dine: Vos omnes conjunctim, & pro in-
„ indiviſo, & tui Marchionis heredes maſ-
„ culos legitimos in ſtirpem, & ſucceſſores
„ Marchionis Montis-ferrati, in Civitatibus
„ Aſtenſi, Albenſi, & loco noſtro Montiſvi-
„ ci, & ipſorum, & cujuslibet earum Ter-
„ ris, Caſtris, Villis, locis, dominiis, Com-
„ munitatibus, poſſe, territoriis, & diſtri-
„ ctibus, ac pertinentiis, juribus, & juriſ-
„ dictionibus univerſis ad ipſas, & earum
„ quamlibet pertinentibus, ordinamus, faci-
„ mus, & conſtituimus noſtros, & Sacri Ro-
E „ mani Imperii Vicarios generales, & ſpecia-
„ les, irrevocabiles ad tempora vitæ noſtræ,
„ & poſt obitum noſtrum propitio Deo feli-
„ cem, tamdiu, donec per ſucceſſores no-
„ ſtros Romanos Imperatores, vel Reges ex-
„ preſsè, & ex cauſa legitima fueritis revo-
„ cati. Dantes ex nunc, & concedentes vo-
„ bis, & in vos omnes communiter, & pro
„ indiviſo, ut præmittitur, de Imperialis po-
„ teſtatis plenitudine, ex certa ſcientia,
„ transferentes, plenam, liberam, genera-
„ lem & omnimodam auctoritatem, juriſdi-
„ ctionem, & gladii poteſtatem, merum
„ & mixtum imperium, vice, auctoritate,

Digitized by Google

„ ac nomine noſtris Civitatibus , locis , di-
„ ſtrictibus , limitibus , atque ſitibus earum-
„ dem , per vos , vel alium , ſeu alios, qui-
„ bus hæc commiſeritis , exercenda , &c Te-
„ ſtes hujus rei ſunt Venerabiles Ludovicus
„ Maguntinenſis Archiepiſcopus Sacri Imperii
„ per Germaniam Archicancellarius , Berar-
„ dus Herbipolenſis & Vortigio Murember-
„ genſis Eccleſiarum Epiſcopi , Illuſtres Fede-
„ ricus Marchio Miſuenſis , Federicus Bava-
„ riæ, & Robertus Ligritenſis Duces , Specta-
„ biles Federicus Muembergenſis & Burgar-
„ dus Magdeburgenſis Burgravii , Ebeardus
„ de Roretemberii , & Joannes de Suiarez-
„ burg Comites , Nobiles Petrus de Varengh
„ Imperialis Curiæ Magiſter , Thuvo Bolduz
„ Magiſter Cameræ , Borgo de Riſemburg
„ Capitaneus Tranſilvanus , Graſſo Gerla-
„ chus , & Bazo de Holenloch , Himbo de
„ Voaldeſen , Albertus de Riſemburg , &
„ Martinus de Jevizenſten , necnon quampluret alii noſtri , & Sacri Imperii Nobiles ,
„ & fideles , præſentium ſub bulla aurea
„ typario noſtræ Majeſtatis impreſſa teſtimonio litterarum. Dat. Nueremberg Anno Domini MCCCLXXIV. Indict. XII. octavo
„ Idus Decembris . Regnorum noſtrorum
„ Anno Vigeſimo octavo , Imperii vero Vigeſimo. Et ego Nicolaus Camericen. Magdeburgen. Diœceſis Cæſaris Protonotarius
„ vice & nomine Reverendiſſ. in Chriſto Patris , & D. D. Ludovici Maguntinenſis
„ Eccleſiæ Archiepiſcopi , Sacri Imperii per
„ Germaniam Archicancellarii , recognovi ,
„ &c.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo ſettuageſimo quinto, Indizione decimaterza, alli nove del meſe di Decembre, nella Città d'Aſti Secondotto Marcheſe di Monferrato diede in feudo a Giovanni figliuolo baſtardo del *quondam* Marcheſe Teodoro di Monferrato il Caſtello, Villa, & uomini di Occimiano.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo ſettuageſimo ſeſto, l'Indizione decima quarta, alli quattordeci del meſe di Settembre Secondotto Marcheſe di Monferrato, con autorità e conſentimento d'Ottone Duca Brunſvicenſe ſuo Governatore fece compromeſſo di qualunque guerra, diſcordie, liti, domande, e controverſie, che vertivano tra lui, e Galeazzo Viſconte, in Gregorio XI. Sommo Pontefice, il qual compromeſſo aveſſe a durare per meſi ſei, e finiti i ſei meſi ſi poteſſe prorogare per lo Papa meſi quattro ; promettendo ambe le parti di oſſervarlo , ſotto pena di cento mila fiorini d'oro. Et il medeſimo giorno eſſo Secondotto con autorità del predetto Duca di Brunſveich diede poſſanza, libertà, e bailia al predetto Gregorio Sommo Pontefice di fare e contraere matrimonio a nome ſuo , con la Magnifica & Eccellente Madonna Violante figliuola del memorato Galeazzo Viſconte Dominatore in Milano : I teſtimonj furono Baldeſſare Duca di Brunſvich , Alberto d'Inciſa , & Nicolello di Cavagnolio Podeſtà d'Aſti.

Gregorio Sommo Pontefice dopo lungo trattato di pace operò, che la guerra, la quale era tra Secondotto Marcheſe memorato , e Galeazzo Viſconte, ſi teneſſe in ſoſpeſo , ritenendola in ſe, & a mano ſua. E nel tempo di detta ſoſpenſione Nicolò Spinelli Dottore e Cavaliere, Cancelliere de i Regni di Gieruſalemme, e di Sicilia, & Ugolino de' Falco-

A ni Procuratori, e mandatarj del predetto Marcheſe ; e Filippo Caſſola di Reggio, e Cavallino de Cavallis Ambaſciatori e mandatarj di Galeazzo Viſconte, e di Gio. Galeazzo Conte di Virtù ſuo figliuolo , e di Bianca di Savoja moglie di eſſo Galeazzo , eſiſtenti in Roma, alla preſenza di eſſo Pontefice l'Anno MCCCLXXVII. del meſe di Marzo, convennero inſieme , che precedente la diſpenſa ſopra l'impedimento della cognazione, ch'era fra Secondotto , e Violante figliuola di Galeazzo, che già fu moglie di Leonotto Duca di Clarentia figliuolo del Re d'Inghilterra , i quali erano congiunti nel ſecondo , e terzo grado di affinità, ſi fermerebbe tra loro il ma-
B trimonio per parole de preſenti, con la dote di trenta mila fiorini d'oro, e la reſtituzione della Terra di Caſale. E così avuta la diſpenſa fu contratto e compito eſſo matrimonio nella Città di Pavia, il ſecondo del meſe d'Agoſto in preſenza di più di cinquecento Gentiluomini. Et al ſeguente meſe di Giugno Gio. Galeazzo in oſſervanza delle memorate convenzioni promiſe di voler' oſſervare , quanto nel ſeguente Inſtrumento ſi contiene.

„ IN nomine Domini amen . Anno à Nati-
„ vitate ejuſdem Milleſimo trecenteſimo
„ ſeptuageſimo ſeptimo, die decima quinta
„ menſis Junii , Indictione decima quinta .
C „ Noverint univerſi, ad quos præſens Inſtru-
„ mentum pervenerit, quod Illuſtris Princeps,
„ & D. D. Jo. Galeaz Vicecomes Mediolani
„ Comes Virtutum, &c. filius Magnifici &
„ Excelſi D. D. Galeaz Vicecomitis Medio-
„ lani, &c. Imperialis Vicarii Generalis, vo-
„ lens adimplere, & executioni mandare ea,
„ quæ pro ipſo, & ejus nomine de menſe
„ Martii proximè præterito , in Civitate
„ Romæ, coram S. D. N. Papa promiſſa fue-
„ runt, & ſunt, & in omnibus, & per omnia
„ uti promiſſa fuerunt, & ſunt per Egregium
„ Legum Doctorem D. Philippum de Caſſol-
„ lis de Regio, & per Nobilem Virum Cavalli-
„ num de Cavallis de Rugio ejus Secretarium
D „ tunc ipſius D. Comitis Procuratores in Urbe
„ Egregio Viro D. Ugolino de Falconibus
„ Procuratori , & procuratorio nomine Illu-
„ ſtris Principis, & D. D. Secundottonis Mar-
„ chionis Montis-ferrati , de facto & Terra
„ Caſalis , occaſione Matrimonii Deo favente
„ ſecuti & perfecti inter ipſum Illuſtrem Prin-
„ cipem D. Marchionem prædictum , & Illu-
„ ſtrem D. Violantam ipſius D. Comitis ſoro-
„ rem , genitam ex prædicto Magnifico D.
„ D. Galeaz : per ſolemnem ſtipulationem con-
„ venit , & promiſit prædicto D. Ugolino
„ tamquam Procuratori , & procuratorio no-
„ mine dicti D. Secundotti Marchionis Montis-
„ ferrati ſtipulanti & recipienti , ac etiam mihi
E „ Notario , uti publicæ perſonæ ſtipulanti &
„ recipienti vice & nomine prædicti Secun-
„ dottonis Marchionis Montis-ferrati, quod ſi
„ contingat (quod abſit) quod prædictus Ma-
„ gnificus D. D. Galeaz ipſius D. D. Comitis
„ genitor diem ſuum extremum clauſerit , &
„ tranſiverit ab humanis, quod ipſe D. Comes
„ Virtutum tradet, & reſtituet , vel tradi &
„ reſtitui faciet ipſi D. Secundottoni , vel al-
„ teri ab ipſo ſolemne mandatum habenti, &
„ ejus nomine recipienti Terram Caſalis, cum
„ fortaliciis omnibus , & aliis quibuſcumque
„ dependentibus & connexis infra ſpatium
„ duorum menſium computandorum, à die

„ hor-

Digitized by Google

„ mortis (quod abſit) ipſius D. Galeaz ejus
„ genitoris, & ex quo per ipſum Marchionem
„ Montis-ferrati fuerit requiſitus; ratificans,
„ & approbans, & rata habens in omnibus,
„ & per omnia, ea, quæ occaſione dictæ Ter-
„ ræ Caſalis promiſſa & conventa fuerunt in-
„ ter partes prædictas, & in omnibus & per
„ omnia uti promiſſa ſunt & fuerunt per præ-
„ dictos D. Philippum, & Cavallinum ipſius
„ D. Comitis tunc Ambaſciatores & Procura-
„ tores. Actum in Caſtro Civitatis Papiæ,
„ in ſala magna prædicti D. Comitis, præſen-
„ tibus Egregiis Viris D. Pinoto de Pinotis
„ de Regio filio quondam Bonviſini Conſilia-
„ rio prædicti D. Comitis, Nicolello de Ca-
„ vagnolio de Monteferrato filio quondam
„ D. Gulielmi, Antoniello de Porris de Me-
„ diolano filio quondam D. Stephanolii Came-
„ rario prædicti D. Comitis, teſtibus ad hoc
„ ſpecialiter vocatis & rogatis. Inſuper præ-
„ dictus D. Comes in hujus rei majus teſtimo-
„ nium juſſit, præſens Inſtrumentum muniri
„ ſui ſigilli impreſſione.

„ Ego Andriolus de Ariſiis natus D. Anto-
„ nii de Mediolano, publicus Imperiali aucto-
„ ritate Notarius, prædictis omnibus inter-
„ fui, rogatuſque hoc Inſtrumentum tradidi,
„ ſcripſi, & me ſubſcripſi, meumque conſue-
„ tum ſignum appoſui in teſtimonium præ-
„ miſſorum.

E ſucceſſivamente fu tra loro celebrata una pace e tranquillità perpetua, nella quale fra l'altre coſe, tra Secondotto Marcheſe, & Ottone Duca di Brunſveich per l'una parte, e Galeazzo Viſconte con Gio. Galeazzo ſuo primogenito per l'altra, fu concluſo, che qualunque luogo, che ciaſcuno di loro aveva, lo poteſſe tenere e poſſedere; ſalvo che le coſe depoſte, e confermate nella pace publicata per Roberto Gebennenſe Cardinale della Baſilica de gli Apoſtoli, e Legato della Sede Apoſtolica, nell'Anno predetto MCCCLXXVI. alli diecinove del meſe di Luglio tra Gregorio XI. Pontefice, e S. Chieſa collegati, ſudditi, & aderenti ſuoi per l'una parte; e Galeazzo Viſconte, ſuo figliuolo, collegati, aderenti, ſeguaci, e ſudditi loro per l'altra; in quanto concernevano la reſtituzione delle Terre, luoghi, e fortezze, doveſſero aver luogo tra eſſe parti, & oſſervare con effetto. Et oltre di queſto il predetto Galeazzo promiſe al memorato Marcheſe di reſtituirgli la fortezza di Quarto, & il Caſtello di Malamorte, e la fortezza di Azano, co i territorj loro, le quali fortezze eſſo Galeazzo occupava nel territorio di Aſti. Vollero ſimilmente, e convennero nella pace predetta, che il predetto Duca di Brunſveich doveſſe rimanere Tutore e Curatore di Secondotto Marcheſe, e ſuoi fratelli, e Governatore del dominio di Monferrato, ſecondo la diſpoſizione del teſtamento del *quondam* Marcheſe Giovanni ſuo padre. E che i legati fatti per lo predetto *quondam* Marcheſe ad eſſo Duca di Brunſveich doveſſero ſeguire effetto contro Secondotto, talmente che i predetti Galeazzo, e Gio. Galeazzo ſuo figliuolo non ſe ne aveſſero ad intromettere. Convennero ancora le predette parti, che alcuna di loro non poteſſe pigliare per aderente, collegato, o ſuddito alcuno, che foſſe aderente, collegato, o ſuddito dell'altra parte. Nè ancora alcuna Città, Caſtello, Fortezza, o Terra, la quale foſſe ſuddita, o ſotto l'obedienza dell'altra parte. E promiſero di attendere & oſſervare i predetti Capitoli, ſotto la reſtituzione de' danni, ſpeſe, & intereſſi, come più ampiamente ſi contiene in un' Inſtrumento di detta pace fatto nell'Anno Milleſimo trecenteſimo ſettuageſimo ſettimo, Indizione quintadecima, alli ſette del meſe di Luglio, rogato nella Città di Pavia, nel Caſtello di Galeazzo Viſconte, nella Camera ſuperiore, da Paſquino de Capellis, e da Antonio Paſquario di Montebello, Notai publici, in preſenza di Ottolino di Mandello Cavaliere, Antonello Porro, & Antonio Murigia tutti di Milano.

Vinceslao Re de' Romani l'Anno predetto, il quale era il ſettimo, dopochè da Carlo Imperatore ſuo padre fu fatto Re de' Romani, & eletto ſucceſſore dell'Imperio, ad imitazione del padre, nel giorno dell'Eſaltazione della Croce, conceſſe, donò, e confermò a Secondotto Marcheſe predetto, e fratelli ſuoi, & ad Ottone Duca di Brunſveich il privilegio loro conceſſo per Carlo predetto: pel quale furono coſtituiti Imperiali Vicarj nelle Città d'Aſti, Alba, e Montevico.

„ Magnifici D. Galeaz Vicecomitis, Comitis
„ Virtutum, Mediolani &c. Imperialis Vicarii
„ Generalis, necnon Illuſtris & Inclytæ D.
„ Valentinæ natæ ſuæ, prout patet per procuratoria ſuper hoc confecta, quorum tenores per ordinem ſubſequuntur. Et primo
„ Procuratorium dicti D. Galeaz. In nomine Domini amen, Anno à Nativitate ejuſ-
B „ dem Milleſimo trecenteſimo octuageſimo
„ ſeptimo, die Sabbati vigeſima nona menſis Decembris, Indictione decima, cum Illuſtris & Inclyta D. Valentina nata Illuſtris
„ Principis, & Magnifici D. Galeaz Vicecomitis, Comitis Virtutum, Mediolani &c.
„ Imperialis Vicarii Generalis, conſtituerit
„ ſuum certum Miſſum, Nuntium, & Procuratorem, nobilem & prudentem Virum
„ Bertrandum Guaſcum gubernatorem Comitatus Virtutum, præſentem, & mandatum
„ hujuſmodi ſponte ſuſcipientem, ad ineundum, firmandum, & contrahendum matrimonium ſolemne per verba de præſenti cum
„ Illuſtriſſimo D. Ludovico Duce Turoniæ,
C „ & Comite Valeſiæ, nato quondam recolendæ memoriæ Sereniſſimi D. Caroli Regis
„ Francorum; & in hoc prædictus D. Comes
„ Virtutum eidem D. Valentinæ ſuum conſenſum, ſuamque auctoritatem interpoſuerit,
„ dederit, & conceſſerit: prout de hujuſmodi
„ conſtitutione apparet publico Inſtrumento,
„ rogato per me Notarium infraſcriptum; &
„ ex certa ſcientia, & non propter aliquem
„ errorem, & omni via, jure, modo, & forma, quibus idem D. Comes Virtutum poteſt. Idem Illuſtris D. Virtutum Comes ibidem præſens, intervenientibus ſolemnitatibus quibuſcumque tam facti, quàm juris,
„ quæ in talibus ſunt utiles, neceſſariæ, &
D „ opportunæ, & ad majoris roboris firmitatem omnium contentorum in Inſtrumento
„ prædicto, fecit, conſtituit, & creavit, facit, conſtituit, ac creat prædictum Bertrandum ſpecialiter, nominatim, & expreſsè ad
„ promittendum, conſtituendum, & procuratorio nomine & vice dicti D. Comitis Virtutum ſeſe obligandum prædicto D. Ludovico Duci Turoniæ, Comitique Valeſii, eo
„ caſu, quo contingat matrimonium antedictum firmitatem obtinere, pro dote, & occaſione dotis ipſius D. Valentinæ, de illa
„ pecuniæ quantitate, de illiſque Terris, Caſtris, fortaliciis, feudis, & juribus, de quibus eidem videbitur, & placuerit, & ad
E „ obligandum, & quod obligare ſolemniter
„ poſſit prædictum D. Comitem Virtutum ad
„ dandum & ſolvendum prædicto D. Ludovico Duci Turoniæ prædictam pecuniæ quantitatem, & Terras, Caſtra, fortalicia, jura,
„ & feuda pro dote & occaſione dotis prædictæ D. Valentinæ cum reſtitutione omnium & ſingulorum expenſarum, & intereſſe, quæ ſequi poſſent, eo caſu, quo ſatisfactio dictæ dotis debitum ſuum effectum
„ non haberet, & ad promittendum, & dictum D. Comitem Virtutum obligandum
„ prædicto D. Duci Turoniæ, omnia appara-
A „ menta condecentia perſonæ dictæ Dominæ,
„ & hoc eo caſu, quo dictum matrimonium
„ firmatum habere contingat, & ad omnia
„ alia & ſingula generalia faciendum, quæ in
„ prædictis omnibus & ſingulis, & circa prædicta, & quodlibet prædictorum, & dependentia & connexa, utilia fuerint & neceſſaria, etiam ſi talia forent, quæ plus ſpeciale
„ mandatum exigerent, ſeu de quibus etiam
„ oporteret ſpecialem mentionem facere.
„ Dans inſuper, & concedens præfatus D.
„ Comes Virtutum eidem Procuratori ſuo plenum, liberum, generale, & ſpeciale mandatum, cum plena, libera, generali, &
„ ſpeciali adminiſtratione in prædictis, & circa prædicta, & quodlibet prædictorum, &
„ inde dependentium & connexorum, & inde
„ promittens prædictus Illuſtris D. Comes Virtutum, obligando ſe, & omnia bona ſua pignori, & præſentia, & futura mihi Notario
„ infraſcripto, publicæ perſonæ ſtipulanti &
„ recipienti vice eorum omnium & ſingulorum, quorum intereſt, vel poterit quomodolibet intereſſe, ſeſe rata, grata, & firma
„ habere & tenere perpetuò quæcumque dictus
„ Procurator egerit & fecerit in prædictis,
„ & quolibet prædictorum, tamquam ſi ipſemet idem præſens fuiſſet, & prædicta omnia & ſingula, & quodlibet ex eis per ſe
„ ipſum feciſſet & compleviſſet. Et volens
C „ prædictus D. Comes Virtutum relevare dictum ejus Procuratorem ab omni onere ſatiſdationis, promiſit ſub obligatione prædicta mihi Notario recipienti ſolemniter, ut
„ ſupra, de judicio ſiſti, & judicato ſolvendo
„ cum omnibus ſuis clauſulis. Et inde per
„ omnia fidejuſſit prædictus D. Comes Virtutum pro Procuratore ſuo, obligando ſe, &
„ omnia ſua bona pignori mihi Notario prædicto, dicto nomine recipienti, eo pacto,
„ tenore, & forma, quod ſi de, & pro prædictis, vel aliquo prædictorum ullo tempore
„ agi contingeret, quod liceat, & licitum ſit
„ dicto D. Ludovico Duci Turoniæ auctori-
D „ tate propria, & fine aliquo juſdicente, capere & apprehendere de bonis & rebus dicti D. Comitis Virtutum uſque ad plenam,
„ completam, & integram ſolutionem totius
„ ejus, quod habere debuit præmiſſorum occaſione. Renuntiando exceptioni prædictorum omnium & ſingulorum, non ita actorum aut factorum, & omni probationi &
„ defenſioni in contrarium, quibus ſe tueri
„ poſſet prædictus D. Comes Virtutum contra
„ prædicta, vel aliquid prædictorum. Actum
„ in Caſtro magno Civitatis Papiæ, videlicet
„ in camera ſuperiori, quæ eſt apud cameram
„ Turris deverſus jardinum, reſpiciente ad
„ occidentem, præſentibus Spectabilibus &
„ Egregiis Militibus D. Antonio de Porris Co-
E „ mite Polentii f. q. D. Stephanelli, & D. Ottolino de Mandello f. q. D. Petri, ac Nobili
„ & Prudenti Viro Prevedino de Merliano
„ f. q. Raymundi, teſtibus notis, ad prædicta
„ vocatis ibidem ſpecialiter, & rogatis; & ad
„ majorem prædictorum roboris firmitatem
„ juſſit prædictus Illuſtris Dominus & Comes,
„ præſens Procuratorium ſui ſigilli impreſſione
„ muniri.
„ Ego Paſquinus de Capellis filius D. Baldaſſeris Civis Cremonæ, publicus Imperiali
„ auctoritate Notarius, conſtitutioni & ordi-
„ nationi Procuratoris ſuperius nominati, &
„ omnibus & ſingulis præſenti Inſtrumento
„ in-

Digitized by Google

„ inſertis interfui, & hoc Inſtrumentum per
„ me rogatum, traditum, & abreviatum ad
„ redigendum in publicam formam dedi in-
„ fraſcripto Andreæ de Marinis Notario Cre-
„ monæ, aliis occupatus, & ſolitum meum
„ ſignum & nomen apponens in teſtimonium
„ præmiſſorum publicè me ſubſcripſi.

„ Ego Andreas de Marinis natus quondam
„ Nicolai Civis Cremonenſis, publicus Impe-
„ riali auctoritate Notarius, hanc cartam ro-
„ gatam, traditam, & imbreviatam per pu-
„ blicum Paſquinum Notarium, ac prædicti
„ Illuſtris D. Comitis Virtutum Secretarium,
„ de ipſius Paſquini imbreviatura, ſeu proto-
„ collo, ex mandato ſuo fideliter ſumpſi, ex-
„ traxi, & exemplavi, & in hanc publicam
„ formam Inſtrumenta redegi, ſcripſi, & me
„ ſubſcripſi, meum ſolitum ſignum apponens
„ in teſtimonium omnium, & præmiſſorum.

Procuratorium Illuſtris D. Valentinæ filiæ Illuſtris D. Jo. Galeaz.

„ IN nomine Domini amen. Anno à Nati-
„ vitate ejuſdem Milleſimo trecenteſimo
„ octuageſimo ſeptimo, die Sabbati vigeſima
„ nona menſis Decembris, decimæ Indictionis.
„ Illuſtris D. Valentina nata Illuſtris Principis
„ & Magnifici D. Joannis Galeaz Vicecomitis,
„ Comitis Virtutum, Mediolani &c. Imperia-
„ lis Vicarii Generalis, omni modo, via, jure,
„ & forma, quibus melius potuit & poteſt,
„ intervenientibus etiam ibidem ſolemnitati-
„ bus quibuſcumque tam facti, quàm juris,
„ quæ in talibus ſunt utiles, neceſſariæ, vel
„ opportunæ, ex certa ſcientia, non per ali-
„ quem errorem, ibidem præſentialiter conſti-
„ tuta, fecit, conſtituit, atque creavit, facit,
„ conſtituit, atque creat nobilem & pruden-
„ tem Virum Bertrandum Guaſchum guber-
„ natorem Comitatus Virtutum, præſentem,
„ & mandatum hujuſmodi ſponte ſuſcipientem,
„ ſuum certum Nuntium, Miſſum, & Procu-
„ ratorem, & quicquid melius & efficacius
„ dici & eſſe poteſt, pro infraſcriptis negotiis
„ peragendis, & quolibet eorum, ac depen-
„ dentibus & connexis, & inde nominatum
„ ſpecialiter, & expreſsè, ac etiam in omni-
„ bus & per omnia, ſecundùm quod de jure
„ melius & efficacius conſtitui, creari, & or-
„ dinari poteſt, ad contrahendum, ineundum,
„ perficiendum, & confirmandum ſolemne
„ matrimonium per verba de præſenti inter
„ Illuſtriſſimum D. Ludovicum Ducem Turo-
„ nienſem, Comitemque Valeſii, natum quon-
„ dam recolendæ memoriæ Sereniſſimi D. Ca-
„ roli Regis Francorum, ex una parte; &
„ prædictam Illuſtrem D. Valentinam ex al-
„ tera; & ad faciendum omnes & ſingulos
„ actus, contractus, obligationes, & promiſ-
„ ſiones, qui vel quæ pro dicto matrimonio
„ ineundo, contrahendo, perficiendo, & fir-
„ mando fuerint utiles & neceſſarii, ad præ-
„ miſſaque omnia & ſingula generaliter facien-
„ da, quæ in prædictis omnibus & ſingulis cir-
„ ca prædicta, & quodlibet prædictorum, &
„ in dependentibus & connexis exinde utilia
„ fuerint & neceſſaria, etiam ſi talia forent,
„ quæ plus mandatum exigerent ſpeciale, ſeu
„ etiam de quibus oporteret ſpecialem men-
„ tionem fieri. Dans inſuper & concedens præ-
„ dicta Illuſtris D. Valentina eidem ſuo Pro-
„ curatori plenum, liberum, generale, & ſpe-
„ ciale mandatum, cum plena, libera, & ge-
A „ nerali adminiſtratione in prædictis, & circa
„ prædicta, & quolibet prædictorum, & in-
„ dependentibus & connexis eorum. Promit-
„ tens inſuper prædicta Illuſtris D. Valentina,
„ obligando ſe, & omnia ſua bona præſentia
„ & futura pignori mihi Notario infraſcripto
„ publicæ perſonæ, ſtipulanti & recipienti vice
„ & nomine eorum omnium & ſingulorum,
„ quorum interereit, vel intereſſe poterit quo-
„ modolibet, ſe rata, firma, & grata habere,
„ tenere perpetuò quæcumque dictus Procura-
„ tor ſuus egerit & fecerit in prædictis, &
„ circa prædicta, & quodlibet prædictorum,
„ tamquam ſi ipſamet ibidem præſens fuiſſet,
„ & prædicta omnia & ſingula, & quodlibet
B „ ex eis per ſe ipſam feciſſet & compleviſſet.
„ Et volens prædicta Illuſtris Domina relevare
„ prædictum ejus Procuratorem ab onere ſa-
„ tiſdandi, promiſit ſub obligatione prædicta
„ mihi Notario recipienti ſolemniter, ut ſupra,
„ de Judicio ſiſti, & Judicato ſolvendo, cum
„ omnibus clauſulis; & inde pro omnibus
„ fidejuſſit prædicto Procuratori ſuo, ſe, &
„ omnia ſua bona pignori obligando mihi ipſi
„ Notario, dicto modo & nomine recipienti,
„ eo pacto, tenore, & forma, quod ſi pro
„ prædictis, vel aliquo prædictorum ullo tem-
„ pore agi contingeret, quod liceat & licitum
„ ſit prædicto D. Ludovico Duci Turoniæ au-
„ ctoritate propria, & ſine licentia aliqua
C „ juſdicentis capere & apprehendere de bonis
„ & rebus dictæ D. Valentinæ uſque ad ple-
„ nam, completam, & integram ſolutionem
„ ejus, quod pro dote ſua fuerit eidem D.
„ Ludovico Duci Turoniæ promiſſum. Et in-
„ ſuper ipſa D. Valentina volens omnia & ſin-
„ gula prædicta firmitatem habere, juravit,
„ & jurat ad Sancta Dei Evangelia per fidem
„ ſui corporis, tactis ſacroſanctis ſcripturis,
„ ſe perpetuò habituram rata, grata, & firma
„ omnia ſupraſcripta, & quodlibet ſupraſcri-
„ ptorum, & nullo tempore contrafacere, vel
„ venire aliqua ratione, vel cauſa, quæ dice-
„ retur, vel excogitari poſſit. Quæ quidem
„ omnia facta fuerunt in præſentia præfati D.
D „ Comitis Virtutum conſtituentis, approban-
„ tis, & confirmantis conſenſum & auctorita-
„ tem ſuam ad majorem cautelam & firmita-
„ tem ibidem ſolemniter imponentis. Inſuper
„ ipſa D. Valentina renuntiavit, & renuntiat
„ exceptioni omnium prædictorum, & ſingu-
„ lorum non ita actorum & factorum, & omni
„ probationi & defenſioni in contrarium, qui-
„ bus ſe tueri poſſet contra prædicta, vel ali-
„ quod prædictorum. Actum in Caſtro Magno
„ Civitatis Papiæ, videlicet in camera ſupe-
„ riori, quæ eſt apud cameram turris dever-
„ ſus jardinum reſpiciente ad occidentem,
„ præſentibus Spectabilibus & Egregiis Mili-
„ tibus D. Antonio de Porris Comite Polentii
E „ f. q. D. Stephanoli, & D. Ottonello de Man-
„ dello f. q. D. Petri, & D. Prevedino de
„ Marliano f. q. Raymundi, teſtibus notis ad
„ prædicta vocatis ibidem ſpecialiter, & roga-
„ tis. Et ad majorem prædictorum roboris
„ firmitatem juſſit prædicta Illuſtris D. Valen-
„ tina hoc præſens Procuratorium ſui ſigilli
„ appenſione muniri.

„ Ego Paſquinus de Capellis filius D. Bal-
„ dexaris civis Cremonenſis, publicus Impe-
„ riali auctoritate Notarius, omnibus & ſingu-
„ lis ſupraſcriptis, dum ſic agerentur, interfui,
„ & præſens Inſtrumentum rogatum & imbre-
„ viatum per me tradidi aliis occupatus ſupra-

„ nomi-

Digitized by Google

„ nominato Andreæ de Marinis Notario Cremonenſi ad ſcribendum, & in publicam formam, ſolitumque meum ſignum & nomen apponens in teſtimonium præmiſſorum me publicè ſubſcripſi, &c.

„ Ego Andreas de Marinis natus quondam Nicolai civis Cremonenſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, hanc cartam rogatam, traditam, & imbreviatam per prædictum Paſquinum Notarium, ac prædicti Illuſtris D. Comitis Virtutum Secretarium de ipſius Paſquini imbreviatura, ſeu protocollo, de mandato ſuo fideliter ſumpſi, extraxi, & exemplavi, in hanc publicam formam redegi, ſcripſi, & me ſubſcripſi, meum ſolitum ſignum apponens in teſtimonium B præmiſſorum.

„ Ex altera parte præcedentibus, & habitis multis colloquiis de matrimonio contrahendo inter prædictum D. Ludovicum Ducem Turonienſem & dictam D. Valentinam, in quibus tam de dote, dotaricio, ac jocalibus, quàm de ceteris dicto matrimonio convenientibus, plura fuerint hincinde tractata, dicta, & prolocuta. Tamdem idem D. Turoniæ, prædicto D. Regi cum inſtantia ſupplicavit, quatenus ipſum velit ad omnem tractatum dicti matrimonii concernentem auctorizare, & eidem ætatis veniam impartiri; qui quidem D. N. Rex deliberatione & conſenſu dictorum patruorum ſuorum, C prædictum D. Ludovicum germanum ſuum, ſi, & in quantum indiget, vel indigere poteſt, quoad omnia, univerſa, & ſingula, dictum matrimonium, & ipſius matrimonii tractatum tangentia & concernentia, cum omnibus dependentibus, emergentibus, & connexis facientia, concordantia, attendentia, & complenda cum effectu per ſe, vel per Procuratores ſuos, ad hoc legitimè conſtitutos, habilitavit, & habilitat, auctorizavit, & auctorizat, & eidem auctoritatem ſuam Regiam dedit, & dat, de ſua ſcientia, auctoritate, ſive Regia, & ſpeciali gratia, ſi ſit opus, eidemque ætatis veniam impartitus eſt, & ætatem impartitur, ita videli- D cet, quod ipſe D. Dux Turoniæ ſine alia auctoritate Regia, poſſit liberè pro libito ſuæ voluntatis agere, paciſci, eſſe, ſtare in judicio, defendere, negotiari, contrahere, obligare, ſtipulari, obligationes recipere, ac ſibi, & ſuis acquirere, & è ſe etiam alienare. Et quod in omnibus prædictis ipſum tractatum tangendo habeat plenam & liberam poteſtatem faciendi, & exercendi, tam in judicio, quàm extra, quæ verus homo major annis facere poteſt, & debet, ſeu etiam exercere, minoritate ſuæ ætatis non obſtante. Quibus ſic actis inter partes prædictas, mediante licentia Summi Pontificis, fuit concordatum, atteſtatum, & concluſum, quod dicta D. Valentina nubet, & E matrimonium contrahet cum dicto D. Ludovico Duce Turoniæ per verba de præſenti. Et vice verſa prædictus D. Ludovicus Dux Turoniæ prædictam D. Valentinam ducet in uxorem ſuam legitimam, & cum ea contrahet matrimonium per verba de præſenti. Et quod dicti matrimonii contemplatione dictus D. Jo. Galeaz pater dictæ D. Valentinæ promittit, dabit, conſtituet, & aſſignabit ex nunc præfatus Bertrandus Guaſchus Procurator, & nomine procuratorio ejuſdem D. Jo. Galeaz, ſciens, prudens, & ſponta-

A neus, ac de jure, & de facto ipſius Domini ſui ad plenum certificatus, ut dicit, promittit, & in dicto caſu dat, aſſignat, & conſtituit in dotem, & pro dote, nomine & ex cauſa dotis, dictæ D. Valentinæ, & dicto D. Ludovico Duci Turoniæ ibidem præſenti, & de & cum auctoritate, & conſenſu dicti D. N. Regis, ut ſupra, ſolemniter ſtipulanti & recipienti, videlicet Civitatem Aſtenſem cum omnibus aliis ſuis Terris, Villis, Caſtris, fochis, fortaliciis, juribus, & honorantiis, pertinentibus & ſpectantibus dictæ Civitati, quæ tenet & poſſidet à Terris Annoni, & Rochæ Ayracii. Et omnes aliæ Terræ, quæ ſunt ab ipſis Terris verſus partes Alexandriæ, ideſt inter dictas duas Terras, & Alexandriam, prædicto D. Jo. Galeaz remaneant, prout ante. Nec non dat, conſtituit, & aſſignat omnes Terras, Villas, Caſtra, Fortalicia, feuda, jura, & honorantias Pedemontium, & Capitaneatus Aſtenſis, quæ, & prout inferius plenius declarantur, cum omnibus illis introitibus, exitibus, reditibus, juribus, emolumentis, de quibus reddunt, & reddere tenentur prædicto D. Jo. Galeaz, ac cum omni juriſdictione, alta, media, & baſſa, mero & mixto imperio, ſilvis, & nemoribus, pratis, paſcuis, aquis, ſtagnis, alveis, molendinis, furnis, & aliis pertinentiis quibuſcumque, nihil penitus juris, proprietatis, juriſdictionis, vel dominii ibidem retinendo, quas quidem Terras, res, Villas, & Caſtra, Rocchas, quæ inferius ſubſequuntur, videlicet. Primo Civitas Aſt, & aliæ Villæ, Terræ, Caſtra, & feuda, quæ ſpectant & pertinent eidem Civitati ultra illa, quæ ſunt de juriſdictione Capitaniatus Aſt, videlicet Villæ de Monteclaro, de Cinaglo, de Ciſano, de Sexant, de Serravalle, de Caſtro-Ferri, de Cortacomerii, de Scupoſolens, de Valegoſia, de Vaglerani; quæ quidem Villæ omnes ſunt benè populatæ, & clauſæ, habentes Commune, & obedientes dicto Domino Mediolani, & Civitati Aſtenſi, & de juriſdictione ejuſdem Civitatis. Secundo ſequuntur Villæ, & Caſtra, quæ tenentur per cives, & nobiles Aſtenſes, ſubdita, & ſubjecta juriſdictione Aſtenſis, videlicet Caſtrum & Villa de Frinch, quod & quam tenet Antonius Turenſis & ſui fratres. Caſtrum & Villa de Cameyrani, quod & quam tenet Thomas & Michaël fratres de Aſinariis. Caſtrum & Villa S. Georgii, quod & quam tenet Bartholomæus Pelleta, & ejus conſortes. Caſtrum & Breida Sicardæ, quod tenet Pelleta, & ejus conſortes. Caſtrum, & Bannum, quod tenet Bergonus Roër. Caſtrum de Paliarſe de Valle Goreræ, quod tenet Andrionus Malabayla. Caſtrum Terræ Valgorræ, quod tenet Raymundinus Pelleta. Caſtrum de Suberiet, quod tenet Secundinus Ia. Caſtrum de Murſegle, quod tenet heres Spinetæ Roër. Caſtrum Deſepoint, quod tenet Nicolonus de Playe. Caſtrum de Villa Septimæ. Caſtrum & Villa de Viallis, quæ & quas tenent Petrus Grafelle, & ejus frater. Caſtrum & Villa de Revigliaſch, quod & quam tenet Joannes Roërius. Caſtrum de Trenezole, quod tenent heredes Manuelis Aſinarii. Caſtrum de Mota, quod tenet Franchinus Layol. Caſtrum de Mezadio, quod tenet frater Brandachinus Gotuer. Caſtrum de Moralet, quod tenet Gaſparo-

„ nus

„ nus Alion. Caſtrum de Caſteler, quod tenet
„ Margarita de Pulſavira. Caſtrum de Caſtion
„ de Valverſa, quod tenet hom. de Caſu-
„ ſtech. Caſtrum Turris de Garreto, quod
„ tenent Jacobus, Gulielmus, fratres de Pe-
„ nuſte. Caſtrum & Villa de Pararorme-
„ quod & quam tenent Aymonetus Roërius,
„ & ejus conſortes. Deinde ſequuntur Caſtra,
„ & Villæ, quæ tenentur in feudum à dicto
„ Domino Mediolani Rectore Civitatis Aſt,
„ & quæ fecerunt homagium. Primo Caſtrum
„ & Villa de Caloz, quod & quam tenet
„ Armoltus Roërius. Caſtrum & Villa de
„ Treoiſſe, quod & quam tenet Leonetus Lau-
„ rentii. Caſtra & Villæ de Caſten, & S. Ju-
„ liæ, quæ & quas tenet D. Hieronymus de
„ Carreto. Caſtrum & Burgum Cortemigliæ,
„ quod & quam tenent Petrus Scarampus, &
„ ejus conſortes. Caſtrum & Villa de Perlet.
„ Caſtrum Denſe. Caſtrum Decimum, ac Ca-
„ ſtrum & Villa de Caſtelleto, quæ ſunt Pe-
„ rini de Scarampis, & ſuorum conſortum.
„ Caſtrum de Mernal, quod tenet Aymonus
„ de Mernalo. Caſtrum & Villa de Monte-
„ Fangie, quod, & quam tenet Antonius
„ Roërius. Caſtrum & Villa de Monal, &
„ Caſtrum de Baſtita, quæ & quam tenent
„ Manuel Aſinarii, & ejus conſortes. Villæ
„ Cargnam, de Vigon, de Caramana, & cer-
„ tæ aliæ Villæ, quæ ſunt de feudo Aſtenſi,
„ & tenentur per Comitem Sabaudiæ, qui de
„ ipſis fecit fidelitatem Communitati Aſtenſi,
„ ſicut patet per Inſtrumentum, vel Inſtru-
„ menta. Item ſequuntur Villæ, & Caſtra,
„ quæ tenentur in feudum per Cives, & no-
„ biles Aſtenſes ſubditos dicto Domino noſtro
„ Mediolani ab Epiſcopo Aſtenſi, & quæ fa-
„ ciunt pacem & guerram pro dicto Domino
„ noſtro Mediolani. Primò Caſtrum & Villa
„ de Cortandono, quod & quam tenet no.
„ filius Garmegnon Polleta; Caſtrum & Villa
„ de Cortanſe, quod & quam tenet Rigandon
„ Pelleta; Caſtra, & Villæ de Monteacuto,
„ & de S. Stephano, & de Montealto, quæ
„ & quas tenent Dominicus Roërius, & ejus
„ fratres, & ejus conſortes. Villæ de Caſta-
„ gneto de Montexel, quas Aymonetus Roë-
„ rius tenet. Caſtra, & Villæ de Ferreria,
„ & Cellareng. Caſtrum de Mombon, ac Ca-
„ ſtrum & Villa dicta Caſtellum, quæ & quas
„ tenent conſortes Garreti. Item ſequuntur
„ Villæ, & Caſtra ſituata & ſituatæ in Pede-
„ montio, quæ ſunt Domini noſtri Mediola-
„ ni, videlicet Villæ de Claraſch, & Villæ
„ de Braye, quælibet cum uno Caſtello, quæ
„ Caſtra cuſtodiuntur per gentes dicti D. Me-
„ diolani. Item ſequuntur feuda, quæ idem
„ Dominus tenet in Pedemontio. Primo Hen-
„ ricus de Carreto Marchio Saonæ tenet in
„ feudum à dicto Domino Villam de Caſto-
„ rie, quæ eſt clauſa cum una Roccha, & eſt
„ ibidem Henricus adhærens dicto Domino
„ Mediolani de novem Caſtris, de quibus fa-
„ cit pacem & guerram pro dicto Domino.
„ Item Franciſcus de Carreto Marchio de
„ Saona tenet in feudum à dicto Domino Vil-
„ lam de Salberto, & Villam de Parod, quæ
„ ſunt clauſæ quælibet cum una Roccha.
„ Item Thomas, & Torellus de Tunch, Mel-
„ chion de Carreto tenent in feudum unum
„ Caſtrum vocatum Burgulo, & unam partem
„ cujuſdam alterius vocati la Tour. Item
„ Chriſtophorus, & Jacobus fratres Marchio-
„ nes de Ceva tenent in feudum eorum par-

A

B

C

D

E

„ tem Villæ de Ceva, quæ eſt Villa notabi-
„ lis & groſſa. Item ſunt prædicti fratres ad-
„ hærentes dicti Domini de quinque Villis
„ clauſis cum Rocchis vel turribus infra quam-
„ libet. Item etiam ſunt adhærentes eidem
„ de portione ſua trium aliarum Villarum,
„ de quibus faciunt pacem & guerram pro
„ dicto Domino Mediolani. Item Joannes
„ Pauli, Petrus, Luchinus, Andreas Mat-
„ thæi, Joannes, & Antonius, nobiles hoſpi-
„ cii ſeu domus de Iſnardis, tenent in feu-
„ dum à dicto Domino Mediolani Villas de
„ Summarive, Paterno de Sinfredo, & eſt una
„ Roccha in utraque, & ſunt fortes. Item
„ Simonus de Brays tenet in feudum, ut ſu-
„ pra, Villam de Cornigliani, in qua eſt una
„ Roccha, & eſt fortis Villa. Item Domini-
„ cus Roërius, & ejus fratres tenent in feu-
„ dum Villam de Cerrexole, & de Canallis,
„ quæ eſt fortis; eſt infra una Roccha. Do-
„ minus Manfredus de Salutiis adhæret præ-
„ dicto Domino ad faciendum pacem & guer-
„ ram de Villa de Farigliane, quæ eſt fortis
„ cum una Roccha infra ipſam. Bartholo-
„ mæus, & Georgius fratres adhærent ut ſu-
„ pra de Villa vocata Lequi, & etiam de por-
„ tione ſua Villæ Veximi, necnon de tertia
„ parte de Craveſana. Manuel de Salutiis ad-
„ hæret ut ſupra de parte ſua de Dian, &
„ etiam Villæ de Marſalia, quæ eſt clauſa
„ cum una Roccha. Joannes de Salutiis ad-
„ hæret ut ſupra de ſua parte dictæ Villæ de
„ Dian, & de medietate Villæ de Bonixot,
„ quæ eſt fortis. Gulielmus cum fratribus de
„ Burgeſiis adhærent ut ſupra de Villa Ci-
„ gleo, quæ eſt fortis cum una Roccha.
„ Manfredus Fallettus adhæret ut ſupra de
„ Villa de Serralunga, quæ fortis eſt cum
„ una Roccha, & de ſua parte Villæ della
„ Murra, ac Villæ de Caſtion, quæ ſunt clau-
„ ſæ quælibet cum una Roccha. Bernardus,
„ & Philippus eorum fratres de Faylet te-
„ nent Villam de Pauca-Palea cum una Roc-
„ cha. Item Villam de Brunel. Item medie-
„ tatem Villæ della Morra, & ſemper tem-
„ poribus retroactis fecerunt pacem & guer-
„ ram cum dicto Domino Mediolani de Vil-
„ lis ſupradictis. Epiſcopus Aſtenſis adhæret
„ ut ſupra de Ville Veyne, de Villa de Tri-
„ nitate, de Villa S. Albani, & de Villa de
„ Prora cum una Roccha pro qualibet earum-
„ dem. Item ſequuntur Villæ, & Caſtra, quæ
„ debent eſſe de feudo Aſtenſi, & quæ tenen-
„ tur per infra nominandos, qui non fecerunt
„ fidelitatem, neque homagium, ſicut de ra-
„ tione tenentur. Primo Caſtrum & Villa de
„ Caſacho, quod & quam tenent Joannes Pe-
„ rinus, & eorum fratres de Aſinariis. Item
„ Caſtra & Villæ de Coſtoglioles, & Canel-
„ lis, de Veteremes, & de Montebaudum,
„ ac Caſtra S. Georgii, & de Luy tenent An-
„ tonius Aſinarii, & ejus conſortes. Item
„ Caſtrum & Villa de Muaſth, quod & quam
„ tenet relicta Danielis Cachayrani. Caſtrum
„ & Villa S. Martiani de Aquoſana, & de
„ Roccheta de Coxan, quæ & quas tenent Man-
„ fredus de Buſcha. Caſtrum & Villa de No-
„ vel, quod & quam tenet Jacobus de Carret.
„ Caſtrum & Villa de Moncorii, quod & quam
„ tenet Coſte de Carret. Villa & Caſtrum de
„ Ceve, & tota Terra, quam tenent Marchio-
„ nes de Ceve. Caſtrum de Balangier, quod
„ tenet Antonius Aſiner. Caſtrum & Villa
„ S. Stephani de Coxano, quod & quam te-

„ nes

„ net Jacobus de S. Stephano. Caſtrum & Vil-
„ la de Boſſe, quod & quam tenet D. Hen-
„ ricus de Carretto. Caſtrum & Villa de
„ Porris, quod & quam tenet Manfredus de
„ Porris. Villa S. Damiani, quæ eſt grandis
„ Villa, & habet Commune, quam tenet Mar-
„ chio de Monferrato. Villa de Coſembra,
„ quam tenet Marchio de Monferrato prædi-
„ ctus. Item medietas Villæ de Riva, ac Ca-
„ ſtrum de Villa de Poveri, quas & quod tenet
„ D. Comes Sabaudiæ. Prædictus D. Jo. Galeaz
„ habens jus, ut dicit, in pluribus aliis locis,
„ Villis,& Caſtris, tam ad cauſam dominii Pede-
„ montium, quàm dominii Aſtenſis, faciet
„ valere ſummam triginta millium florenо-
„ rum, ducatorum hereditariorum, ſeu an-
„ nui & perpetui reditus, ſeu valorem eorum-
„ dem; & ultra hoc ſi Terræ & res prædictæ
„ plus valeant, illud plus prædictus D. Jo.
„ Galeaz dabit & conſignabit, & dictus Pro-
„ curator in dicto caſu dat, conſtituit, & aſ-
„ ſignat ex nunc prædicto D. Duci, & D.
„ Valentinæ ad cauſam ejuſdem. Si verò Ter-
„ ræ, & res prædictæ ad dictam ſummam tri-
„ ginta millium florenorum, ducatorum here-
„ ditariorum, ſeu annui & perpetui reditus
„ non aſcendant, dictus D. Jo. Galeaz tradet,
„ deliberabit, & ſolvet prædicto D. Duci Tu-
„ roniæ pro ſingulo mille florenorum annui
„ & perpetui reditus, cui deficeret de dicta
„ ſumma, decem millium florenorum ducato-
„ rum, vel valorem eorumdem, ſemel tan-
„ tum, & de inferioribus ſummis dicti redi-
„ tus, ſi quæ deficiat, æqualenter, videlicet
„ pro quolibet floreno dicti reditus decem
„ florenorum ſemel, abſque eo quod Terræ
„ & res prædictæ ſint oneratæ de feudis, elee-
„ moſynis, vel aliis oneribus quibuſcumque,
„ ſtipendiis pro cuſtodia fortiliciorum, ac va-
„ dus pro officiariis dumtaxat exceptis. Et ſi
„ D. Galeaz habeat literas, & Inſtrumenta,
„ vel alia documenta, quæ ſint ad commo-
„ dum, & pro ſecuritate majori dictarum
„ Terrarum & rerum, ipſe eas & ea tradet
„ dicto D. Duci, ſeu ejus certo mandato no-
„ mine filiæ ſuæ ſupradictæ, & inducet & im-
„ ponet dictos futuros conjuges, ſeu deputa-
„ tos ab ipſis, vel ab ipſo D. Duce Turoniæ,
„ ſtatim cum ad dictum matrimonium fuerit
„ per Procuratorem, vel aliter per verba de
„ præſenti proceſſum, in poſſeſſione & ſanſvio
„ pacifica & quieta omnium rerum, Terra-
„ rum, Caſtrorum, Rocharum, & fortaliciа-
„ rum prædictarum, de quibus eſt ipſe in
„ poſſeſſione & ſanſvio, ut ſuperius eſt di-
„ ctum, & faciet idem D. Jo. Galeaz, quod
„ Vaſſalli, ſubditi, & fideles ſui earum re-
„ rum, Caſtrorum, & Terrarum prædicta-
„ rum, facient fidelitatem & homagium di-
„ cto Domino Duci, aut ab eo deputando no-
„ mine dictæ D. Valentinæ, de ipſis rebus &
„ Terris, & etiam juramentum, prout ad hoc
„ teneri noſcuntur, & facere conſueverunt
„ Domino dictarum Terrarum, Villarum, ac
„ Locorum. Et ſi aliquis, vel aliqui vellent,
„ aut conarentur impedire vel moleſtare in
„ prædictis ipſos futuros conjuges, prædictus
„ D. Jo. Galeaz debebit eos juvare toto ſuo
„ poſſe, manu militari & armata, ad defen-
„ dendum & cuſtodiendum ipſas Terras & res
„ contra & adverſus adverſarias perſonas quaſ-
„ cumque nemine excipiendo: quod quidem
„ juvamen ſeu auxilium ipſi facient ſuis pro-
„ priis ſumptibus & expenſis. Et in caſu, quo

A

B

C

D

E

„ dicta D. Valentina decederet, nullis filiis
„ vel filiabus relictis de dicto matrimonio
„ procreatis, prædictus D. Dux Turoniæ
„ teneatur reddere & reſtituere, ac red-
„ dere & reſtituere promiſit, de & cum au-
„ ctoritate, qua ſupra, dicto D. Jo. Galeaz,
„ vel ſuis, Terras & res ſupraſcriptas, in
„ caſu tamen, quo ipſæ res & Terræ per guer-
„ ram, vel rebellionem antea captæ & occu-
„ patæ non fuiſſent, niſi ipſa guerra, vel re-
„ bellio mota fuiſſet pro facto dicti D. N. Re-
„ gis, ſeu dicti D. Ducis Turoniæ, quo caſu
„ ipſi D. N. Rex, & Dux Turoniæ tenebun-
„ tur juvare dictum Dominum Mediolanen-
„ ſem ad recuperandum eaſdem; & ad hoc
„ tenendum, attendendum, & complendum
„ cum effectu per prædictum D. Ducem Tu-
„ roniæ, ceſſante fraude, & malo ingenio
„ quocumque, prædicti D. N. Rex, & Dux
„ Bituricenſis, & Burgundiæ ſe efficaciter
„ obligant per præſentes. Et eſt actum inter
„ partes, & in pactum expreſsè deductum,
„ quod de omnibus prædictis Terris dictus D.
„ Dux Turoniæ non tenebitur umquam face-
„ re fidelitatem, vel homagium dicto D. Jo.
„ Galeaz, vel ſuis; immo inientur, & fient
„ bonæ confœderationes & ligæ inter ipſum
„ D. Ducem Turoniæ, & dictum D. Jo. Ga-
„ leaz. Et promiſit idem D. Jo. Galeaz, &
„ quod nunc promiſit & promittit dictus Pro-
„ curator ſuus nomine ſuo, quod ipſe D. Jo.
„ Galeaz non faciet, neque permittet fieri
„ guerram de Terra & ſubditis ſuis adverſus
„ dictum D. Ducem Turoniæ, vel ſuos ho-
„ mines & ſubditos. Et vice verſa dictus D.
„ Dux Turoniæ promiſit, & iterum promit-
„ tit, ſi ſit opus, & ſuper hoc fuerit requiſi-
„ tus, quod neque de Terris, neque de ſub-
„ jectis ſuis ipſe faciet, vel fieri permittet
„ guerram contra dictum D. Jo. Galeaz, vel
„ ſuos homines vel ſubditos, immo ſeſe mu-
„ tuo & ad invicem juvabunt, ſicut bonus pa-
„ ter bonum filium ſuum, & bonus filius bo-
„ num patrem ſuum, juvare tenentur; & ſu-
„ per hoc fient bonæ ſecuritates tam per Re-
„ gem, quàm per patruos ſuos ſupradictos,
„ melioribus modis, & viis, quibus fieri po-
„ terit, ad commodum partium prædictarum.
„ Præterea eſt actum inter partes, & in pa-
„ ctum expreſsè deductum, quod ultra prædi-
„ cta memoratus D. Jo. Galeaz pro dote, no-
„ mine & ex cauſa dotis dictæ D. Valentinæ
„ natæ, dabit, conſtituet, aſſignabit, & ſol-
„ vet, & dictus Procurator dicto nomine
„ dare, conſtituere, aſſignare, & ſolvere
„ promiſit & promittit dicto D. Duci Turo-
„ niæ præſenti, & ſtipulanti, ut ſupra, aut ejus
„ certo mandato, ſummam quatricentum
„ quinquaginta millium florenorum, ducato-
„ rum boni auri, & legitimi ponderis, vel
„ valorem eorumdem, ſolvendam ad modum,
„ & ad terminos infraſcriptos, videlicet ſta-
„ tim, & in craſtinum diei ſponſationis, &
„ cum jacuerint inſimul dicti futuri conjuges,
„ ſummam trecentum millium florenorum;
„ alios centum & quinquaginta mille flore-
„ nos infra tres annos continuos, & proxi-
„ mos ſubſequentes, videlicet anno quolibet
„ quinquaginta mille florenos. Et de dictis
„ trecentis millibus florenis in craſtinum ſpon-
„ ſationis, ut eſt dictum, ſolvendis, dictus
„ D. Dux Turoniæ lucrabitur ipſe centum
„ mille florenos ad faciendum de ipſis ſuam
„ omnimodam voluntatem, abſque eo quod

„ um-

Digitized by Google

„ umquam reſtitutioni debeant ſubjacere; qui
„ quidem centum mille floreni tradentur &
„ ſolventur, & eoſdem centum mille florenos
„ prædictus Procurator dicto nomine tradere
„ & ſolvere promiſit & promittit eidem D.
„ Duci Turoniæ ſtipulanti, ut ſupra, in cra-
„ ſtinum dictæ ſponſationis, & cum ipſi con-
„ juges jacuerint inſimul, ut eſt dictum. Re-
„ ſiduum verò, videlicet ducentum mille flo-
„ reni, necnon alii centum & quinquaginta
„ mille floreni infra tres annos, ut eſt dictum,
„ ſolvendi, ſic ſolventur, deponentur, ſeu
„ cuſtodientur cum quatuor clavibus, quæ
„ claves cuſtodientur, videlicet duæ claves
„ pro parte conjugum, & aliæ duæ claves pro
„ parte dicti D. Jo. Galeaz in loco ſeu Civi-
„ tate Cameracenſi, aut Januenſi, ſeu in Sa-
„ baudia, videlicet illo dictorum locorum,
„ de quo dictus D. Jo. Galeaz, & Nuntii di-
„ ctorum D. N. Regis, & D. Ducis Turoniæ
„ magis fuerint concordes. Et eligent dictæ
„ partes quatuor Viros, de quibus eis vide-
„ bitur expedire, ſcilicet unaquæque pars
„ duos, qui poteſtatem habebunt quærendi
„ Terras, & hereditagia in Regno Franciæ,
„ vel extra, ut propinquius & commodius
„ fieri poterit, ad opus & pro dote ipſius D.
„ Valentinæ. In quarum quidem Terrarum,
„ & hereditagiorum emptione & acquiſitione
„ dictæ pecuniarum ſummæ, videlicet trecen-
„ ti & quinquaginta mille floreni per dictos
„ quatuor Viros, & de conſilio & aſſenſu Do-
„ minorum D. N. Regis, patruorum ſuorum,
„ & D. Jo. Galeaz, & non alibi, convertentur.
„ Et in caſu, quo dicta D. Valentina, nullis
„ relictis liberis de dicto matrimonio procrea-
„ tis, decederet, ut eſt dictum, dictus D. Dux
„ Turoniæ reddere, tradere, ſeu reddi & tra-
„ di facere tenebitur Terras & hereditagia,
„ quæ de dicta pecunia empta fuerint modo
„ præmiſſo, dicto D. Jo. Galeaz, vel ejus he-
„ redibus, aut eorum certis gentibus & Nun-
„ tiis, fraude & malo ingenio ceſſantibus qui-
„ buſcumque. In caſu verò, quo ipſa D. Va-
„ lentina decederet nullis liberis relictis, ut
„ ſupra, & nullis aut paucis Terris, & here-
„ ditagiis acquiſitis & emptis, prædictus D.
„ Dux Turoniæ, & alii, qui ſummam, quæ
„ ſupererit, in cuſtodia habebunt, illam dicto
„ D. Jo. Galeaz, ſeu ejus heredibus, aut eo-
„ rum certo mandato reddere tenebuntur,
„ exceptâ duntaxat quartâ parte ipſius ſummæ;
„ quæ quarta pars etiam, & quarta pars he-
„ reditagiorum, vel Terræ, quæ de dicta
„ ſumma ementur vel acquirentur, dicto D.
„ Duci Turoniæ, & ſuis, in omnem & quem-
„ cumque caſum reſtitutionis, tamquam res
„ ſua propria remanebit. Et in caſu, quo di-
„ ctus D. Dux Turoniæ præmoreretur, nullis
„ relictis liberis de dicto matrimonio procrea-
„ tis, eſt actum, & in pactum, ut ſupra ex-
„ preſsè deductum, quod Civitas Aſtenſis, &
„ omnes aliæ Terræ, Villæ, Caſtra, & Ro-
„ chæ ſupradictæ, & illa hereditagia, quæ de
„ dicta finaveria fuerint emptæ vel acquiſitæ,
„ empta vel acquiſita, ac etiam pecunia, quæ
„ ſupereſſet, exceptâ dumtaxat dictâ quartâ
„ parte, tam Terræ emendæ, quàm pecuniæ,
„ quæ ſupereſſet, ſint & remaneant liberè dic-
„ tæ D. Valentinæ, & diſpoſitioni ejuſdem,
„ ſive ipſa in viduitate permanſerit, ſive ad
„ ſecunda vota tranſiverit. Et poſt mortem
„ ipſius remaneant filiis aut heredibus ipſius
„ D. Valentinæ, vel ab ea cauſam habenti-

A „ bus; & ipſius filiis, filiabus, aut heredibus
„ non relictis, vel relictis, qui poſtea dece-
„ derent ſine liberis ab ipſis deſcendentibus,
„ Terræ, & finuriæ prædictæ ad dictum D.
„ Jo. Galeaz & ſuos permaneant, & liberè
„ revertantur, dictâ quartâ parte, prout ſu-
„ pra, dicto D. Duci Turoniæ remanente.
„ Item eſt actum, & in pactum ſolemni ſti-
„ pulatione vallatum expreſsè deductum,
„ quod in caſu, quo prædictus D. Jo. Galeaz
„ Vicecomes, Comes Virtutum, Dominus
„ Mediolani, decederet ſine liberis maſculis
„ de ſuo proprio corpore, & legitimo matri-
„ monio procreatis, dicta D. Valentina ſua
„ nata ſuccedat, & ſuccedere debeat inſoli-
B „ dum in toto dominio ſuo præſenti, & futu-
„ ro quocumque, abſque eo, quod per viam
„ teſtamenti, codicillorum, ſeu alterius ali-
„ cujus ultimæ voluntatis, aut donationis in-
„ ter vivos, ipſe aliquid faciat, ſeu facere
„ poſſit in contrarium quovis modo. Et ex
„ nunc ita voluit, conceſſit, & promiſit, &
„ vult, concedit, & promittit dictus Procu-
„ rator dicto nomine, & quod dictus D. Jo.
„ Galeaz ita faciet, & promittet, & ſuper
„ hoc dabit ſuas literas obligatorias ad dicta-
„ men ſapientum, quotieſcumque ſuper hoc
„ poſt dictum craſtinum diei ſponſationis, &
„ ipſi conjuges jacuerint inſimul, fuerit requi-
„ ſitus, faciet, quod Inſtrumento attingere
C „ fideles ſuos, & ſubditos, necnon Capita-
„ neos, Conſules, Proceres, nec non & Cu-
„ ſtodes Civitatum, Caſtrorum, & Fortali-
„ ciorum in dicto ſuo dominio conſtitutorum,
„ quod in caſu prædicto, videlicet quo Altiſ-
„ ſimus de ipſo, nullis ſuperſtitibus filiis ma-
„ ſculis legitimis procreatis de corpore ſuo,
„ faceret voluntatem, ipſi præfatam D. Va-
„ lentinam, & ejus liberos de dicto matri-
„ monio procreandos, ſuos veros Dominos
„ naturales reputabunt, ipſiſque, & eorum
„ poteſtati, tamquam ſuis Dominis naturali-
„ bus obedient cum effectu. Poterit tamen
„ idem Dominus Joannes Galeaz in caſu, quo
„ filias habebit, ipſis providere in denariis,
D „ & bonis mobilibus, prout ſibi placebit, &
„ honori ſuo videbitur convenire. Item eſt
„ actum, & in pactum ut ſupra deductum,
„ quod dictus D. Jo. Galeaz mittet dictam D.
„ Valentinam benè joyelatam, ornatam, &
„ jocalibus munitam, prout ſibi, & honori
„ ſuo, ſecundùm ſtatum perſonarum, videbi-
„ tur convenire; & quod in eventum reſtitu-
„ tionis jocalium, conſuetudo Regni Franciæ
„ debeat obſervari; quodque ipſam mittet aſ-
„ ſociatam honorabiliter, prout debebit cum
„ omnibus expenſis uſque ad pontem Civita-
„ tis Matiſconenſis. Ab inde autem ultra
„ prædicti D. N. Rex, & Duces conduci &
„ aſſociari facere ſuis ſumptibus debeant ho-
E „ norabiliter, prout eis videbitur & placebit.
„ Item eſt actum, & in pactum deductum,
„ ut ſupra, quod dictus D. Dux Turoniæ te-
„ nebitur donare, ſeu donalium, vel dotaci-
„ lium facere dictæ D. Valentinæ de ſumma
„ ſex millium librarum annui reditus, duran-
„ te vitâ dictæ D. Valentinæ, vel quod ipſa
„ habebit donalium, vel dotacilium ſecundùm
„ uſum Regni Franciæ in Terris, de quibus
„ D. Dux ſe Ducem, & Comitem, ſeu Do-
„ minum nominat de præſenti, videlicet il-
„ lud è duobus, quod ipſa duxerit eligen-
„ dum. Item eſt actum ut ſupra, quod Co-
„ mitatus Virtutum, & titulus dicti Comita-
„ tus

Digitized by Google

„ tus remaneant dicto D. Jo. Galeaz toto tem-
„ pore vitæ ſuæ. Poſtea autem perveniant ad
„ dictam ſuam natam, & ſuos heredes, vel
„ cauſam habentes, ſicut debet. Quæ omnia
„ univerſa & ſingula, prout ſunt ſuperius de-
„ clarata, ut plenum robur affirment, pariter
„ & effectum, prædictus Bertrandus Guaſchus
„ Procurator, & nomine procuratorio, quo
„ ſupra, ſponte, & ex certa ſcientia, & nullo
„ ductus errore, dicto D. Duci ſolemniter
„ ſtipulanti & recipienti, ac nobis Notariis
„ infraſcriptis, ut publicis perſonis, nomine
„ etiam ipſius D. Ducis, & omnium & ſingu-
„ lorum, quorum intereſt, vel intererit, ſeu
„ in futurum intereſſe poterit, quovis modo;
„ necnon vice verſa prædictus D. Turoniæ
„ de, & cum auctoritate, qua ſupra, in caſu
„ tamen, quo omnia prædicta pro parte Do-
„ mini Mediolani effectualiter compleantur,
„ in quantum quemlibet tangit, ſeu tangere
„ poteſt, dicto Bertrando Procuratori prædi-
„ cto præſenti, & modo conſimili nomine
„ cujuslibet prædictorum, D. Jo. Galeaz, &
„ D. Valentina, quorum vices gerit in hac
„ parte, ſtipulanti & recipienti, promittunt
„ & ſpondent, ac etiam per fidem ſuorum
„ corporum, quis unus alteri teneri vult &
„ intendit; & ſub hypotheca & obligatione
„ omnium bonorum dicti D. Jo. Galeaz, &
„ Valentinæ, & etiam dicti D. Ducis Turo-
„ niæ, mobilium & immobilium, præſentium
„ & futurorum, quomodocumque facere, te-
„ nere, ſolvere, executioni mandare, com-
„ plere & attendere cum effectu, purè, ſim-
„ pliciter, & bona fide, ut ſuperius concor-
„ data, & promiſſa ſunt; & ea omnia & ſin-
„ gula prædicti D. N. Rex, & Duces modo
„ præmiſſo fieri & adimpleri pro viribus pro-
„ curabunt, rejectis cavillationibus, fraudi-
„ bus, malo ingenio, & diffugiis quibuſcum-
„ que. Supponentes ſe, quo ad hoc, dictæ
„ partes, videlicet dictus Procurator dictis
„ nominibus juriſdictioni, cohertioni, & com-
„ pulſioni D. N. Papæ, & ulterius cujuſcum-
„ que Domini, vel Principis, quem aliqua
„ dictarum partium eligere maluerit, ita quod
„ executio per Curiam unius ipſorum Domi-
„ norum incepta, alterius exenitionis non
„ impediat, vel retardet, ſed ad tenenda præ-
„ miſſa, & complenda, prout ſcripta ſunt,
„ uno & eodem contextu temporis, cogi va-
„ leant & compelli. Renuntiantes partes præ-
„ dictæ, & quælibet ipſarum, ſponte ſua, &
„ bona fide, videlicet dictus Procurator no-
„ minibus, quibus ſupra, omni actioni, & ex-
„ ceptioni doli mali, metus, & in factum,
„ exceptioni ſupraſcriptorum non ita actorum,
„ dictorum, vel promiſſorum, ut ſuperius eſt
„ ſcriptum, omnique Juri Canonico, conſue-
„ tudinario, & Civili, per quæ una pars con-
„ tra aliam in præmiſſis, & circa præmiſſa
„ aliquid facere, dicere, ſeu objicere poſſet
„ quomodolibet, vel venire. Et ſpecialiter
„ Juri dicenti generalem renuntiationem non
„ valere. Et voluerunt dictæ partes, & quæ-
„ libet ipſarum, videlicet dictus Procurator
„ dictis nominibus, quod de & ſuper præmiſ-
„ ſis omnibus & ſingulis fiant & reficiantur
„ literæ opportunæ ad dictamen ſapientis, ſe-
„ mel, vel pluries, facti tamen ſubſtantiâ non
„ mutatâ. Acta fuerunt hæc Pariſiis in Caſtro
„ della Para, præſentibus Reverendiſſimo in
„ Chriſto Patre D. D. Petro Cardinali Lugdu-
„ nenſi, ac Reverendiſs. in Chriſto Patribus

A

B

C

D

E

„ Beluac. Bajocen. Prætan. Obrorcen. Epiſco-
„ pis, necnon Nobilibus & Magnificis Viris
„ D. Jo. Comite de Sacro Cæſare, D. Ludo-
„ vico Vicecomite Caſtri Beraudi, DD. Pe-
„ tro, & Giaco Cancellario Franciæ, Joanne
„ Canandi Cancellario Burgundiæ, Nicolao
„ Bragnæ, Joanne Marcerii, Meli de Fonte-
„ nai, Petro de Terener, Amanrico de Or-
„ diaronte militibus, Stephano de Templo,
„ & Franciſco Cartaprinæ dicti D. Regis
„ Conſiliariis, teſtibus ad hæc vocatis ſpecia-
„ liter, & rogatis, Anno, Indictione, & Pon-
„ tificatu prædictis. Et ad majus robur & te-
„ ſtimonium omnium prædictorum dictus D.
„ Dux Turoniæ præſentes literas, ſeu præſens
„ publicum Inſtrumentum fecit ſui ſigilli ap-
„ penſione muniri. Et ego Joannes de Bor-
„ donis Bachalarius in utroque Jure, Cano-
„ nicus & Pœnitentiarius Eccleſiæ Pariſienſis,
„ Secretarius D. N. Regis, ac publicus aucto-
„ ritate Apoſtolica, & ipſius Domini Noſtri
„ Regis Notarius ſupp. añtis, dationi, arre-
„ ſto, concluſioni, tractatibus dotis, aſſigna-
„ tioni, dationi, & conſtitutioni, promiſſio-
„ nibus, obligationibus, ſuppoſitionibus, re-
„ nuntiationibus, & omnibus aliis & ſingulis
„ in præſenti Inſtrumento manu alia ſcripto,
„ dum ſic tractarentur, agerentur, fierent,
„ interfui, & ipſum una cum Notariis ſub-
„ ſcriptis, publicavi, & in hanc publicam re-
„ degi, ſignoque meo ſolito, huic meæ ſub-
„ ſcriptioni, manu mea factæ propoſito, ſi-
„ gnavi requiſitus, & rogatus in teſtimonium
„ præmiſſorum. Et ego Blanchot in utroque
„ Jure Licentiatus, Pariſienſis Eccleſiæ Cano-
„ nicus, & D. N. Regis Secretarius, auctori-
„ tate Apoſtolica Notarius, univerſis & ſin-
„ gulis ſupraſcriptis, dum modo & forma
„ prælibatis fierent ſeu agerentur, una cum
„ teſtibus & Notariis præmiſſis interfui, præ-
„ miſſaque alia manu ſcripta publicavi cum
„ Notariis antedictis hìc me ſubſcribens, ſi-
„ gnum meum ſolitum requiſitus inferendo.
„ Et ego Petrus Mancha, &c. Apoſtolicus
„ Senonenſis Diœceſis, D. Regis Secretarius,
„ Apoſtolica auctoritate publicus Notarius,
„ univerſis & ſingulis ſupraſcriptis, dum for-
„ ma & modo prælibatis agerentur, ſeu fie-
„ rent, una cum teſtibus & Notariis præmiſ-
„ ſis interfui, præmiſſaque alia manu ſcripta
„ publicavi cum Notariis antedictis, hìc me
„ ſubſcribens, ſignum meum inferens ſolitum
„ requiſitus.

„ Notum facimus, & nos bona fide, gra-
„ viter, ac ex noſtri certa ſcientia, concor-
„ diam, arreſtum, concluſionem dotis, pro-
„ miſſionem, dationem, aſſignationem, con-
„ ſtitutiones, & alias promiſſiones, actus,
„ tractatus, pacta, conventiones, obligatio-
„ nes, ſubmiſſiones, renuntiationes, &
„ omnia alia univerſa & ſingula in di-
„ ctis infraſcriptis literis, ſeu Inſtrumen-
„ to contenta, ſpecificata, & declarata,
„ ratas, gratas, & firmas, ratos, gratos,
„ & firmos, ac rata, grata, & firma habui-
„ mus, & habemus, & eos, eas, & ea volu-
„ mus, laudamus, approbamus, & tenore
„ præſentium confirmamus, ratificamus, &
„ nihilominus ex abundantia promiſſionis de-
„ dimus, conſtituimus, aſſignamus, prædicto
„ nepoti noſtro Duci Turoniæ in dotem, &
„ pro dote Villas, Terras, Rocchas, fortali-
„ cia, pecuniarum ſummas, & alia onera in
„ dictis Inſtrumentis, literis, & Inſtrumento

„ la-

Digitized by Google

„ latius declarata, ſub modis, formis, & con-
„ ditionibus contentis in ipſis. Promittens
„ bona fide noſtra, & ſub obligatione & hy-
„ potheca omnium bonorum noſtrorum mo-
„ bilium & immobilium, præſentium & fu-
„ turorum quorumcumque, omnia univerſa
„ & ſingula in eiſdem Inſtrumentis, & præſen-
„ tibus literis, ſeu Inſtrumento contenta, at-
„ tendere, tenere, complere, & in perpe-
„ tuum, & inviolabiliter obſervare, nihil de
„ contingentibus obmittendo. In quorum om-
„ nium robur & teſtimonium has patentes li-
„ teras noſtras, ſeu Inſtrumentum conceſſionis,
„ noſtri fecimus ſigilli appenſione muniri, in
„ præſentia dictæ natæ noſtræ prædicta omnia,
„ univerſa & ſingula in ipſis literis, ſeu In-
„ ſtrumento contenta, in quantum ſe ipſam
„ tangit, ſeu tangere poſſit, cum licentia, &
„ expreſſo conſenſu noſtro, volentes, laudan-
„ tes, ratificantes, & approbantes. Necnon
„ Reverendi Patris in Chriſto D. Petri Epiſco-
„ pi Pariſienſis, Analdi de Corteylia militis,
„ primi Præſidentis in Curia Pariſienſi, Par-
„ lamenti Conſiliariorum, & Magiſtri Joannis
„ de Borchis Secretarii dicti Domini mei Re-
„ gis Francorum, Procuratorumque & nomine
„ procuratorio dicti D. Ducis Turoniæ, ac
„ Notariorum publicorum ſtipulantium, & re-
„ cipientium nomine, & ad opus dicti Domi-
„ ni Ducis, & omnium aliorum, quorum in-
„ tereſt, intererit, ſeu poterit in futurum in-
„ tereſſe quomodolibet, & etiam teſtium ſub-
„ ſcriptorum. Acta fuerunt prædicta omnia
„ Anno à Nativitate D. N. J. C. ſumpto ſe-
„ cundum curſum Civitatis Papiæ Milleſimo
„ trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, die octa-
„ vo Aprilis, decima Indictione, in Civitate
„ ipſa, in hoſpitio habitationis Illuſtris D.
„ Blancæ de Sabaudia, ipſius D. Comitis Vir-
„ tutum honoratiſſimæ genitricis, videlicet in
„ camera magna inferiori reſpiciente verſus
„ utrumque viridarium ejuſdem hoſpitii. Præ-
„ ſentibus Spectabilibus & Egregiis Militibus
„ D. Joanne de Vienna, Domino de Rolins
„ Admirato Franciæ, D. Franciſco, D. de
„ Caſſenagis, D. Orbaydo, D. da Caſcarone,
„ D. Antonio de Porris Comite Polentii, D.
„ Jacobo de Verme, ambobus Conſiliariis præ-
„ nominati D. Comitis, necnon Egregio Viro
„ Mormeto de Toz, & D. Vallegre, atque
„ Sapientibus & Egregiis Legum Doctoribus
„ D. Bartholomæo de Jacopo, & Fauſtino de
„ Lantanis ſimiliter Conſiliariis D. Comitis ſu-
„ pradicti, teſtibus ibi ad prædicta vocatis
„ ſpecialiter, & rogatis, & D. Manfredo Mar-
„ chione Saluciarum.

„ Ego Paſquinus de Capellis natus D. Bal-
„ dexaris Civis Cremonenſis, publicus Impe
„ riali auctoritate Notarius ratificationi, ap-
„ probationi, & firmationi, de qua ſuperius fit
„ mentio, & omnibus & ſingulis in ipſa rati-
„ ficatione, approbatione, & confirmatione
„ dictis, factis, pariter & concluſis, interfui,
„ & juſſu & rogatu partium prædictarum has
„ patentes literas, & hoc Inſtrumentum pu-
„ blicum rogavi, & tradidi, & pluribus inten-
„ tus & occupatus negotiis per infraſcriptum
„ Notarium in formam publicam ſcribi feci,
„ & me ſubſcribens, ſolitum meum ſignum &
„ nomen appoſui, in teſtimonium præmiſſorum.
„ Et ego Joannes Dempia Clericus Suſſir. Dioe-
„ ceſis, publicus Imperiali auctoritate Nota-
„ rius, hanc cartam rogatam, traditam, & im-
„ breviatam per ſupraſcriptum Paſquinum de
„ Capellis Notarium, & Secretarium infra-
„ ſcripti Illuſtris D. Virtutum Comitis ex ipſius
„ Paſquini imbreviaturis fideliter ſumpſi, &
„ extraxi, & in hanc publicam formam Inſtru-
„ menti de ipſius mandato redegi, ſcripſi, &
„ me ſubſcripſi, meo ſigno ſolito præpoſito in
„ teſtimonium præmiſſorum, &c.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo ottuageſimo ottavo, nacque grandiſſima diſcordia, nimicizia & guerra tra il Marcheſe Teodoro, & Amedeo Conte quintodecimo di Savoja, figliuolo del *quondam* Amedeo detto il Conte Verde, per riſpetto che avendo il *quondam* Marcheſe Giovanni padre di eſſo Teodoro, per oſſervanza d'una arbitramentale ſentenza, data per Giovanni Viſconte *quondam* Arciveſcovo di Milano poſta di ſopra nell'Anno Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono, dato & aſſignato la metà della Città d'Invrea, che per lui *inſolidum* ſi poſſedeva, al prefato Amedeo detto il Conte Verde, e poſto comunemente alla cuſtodia e reggimento di eſſa Città Aymone di Chialant, e Bertolello di Cereſeto: il memorato Conte non aveva oſſervato la predetta ſentenza, & era incorſo nella pena di cinquanta mila fiorini d'oro. Perocchè non aveva reſtituito al Marcheſe Giovanni i luoghi di Monteaſtruto, Cavazolio, e Vergnano. Et oltre di queſto Giacomo di Savoja *quondam* Principe d'Acaja dopo la predetta arbitramentale ſentenza avea occupato al predetto *quondam* Marcheſe Giovanni l'altra metà d'eſſa Città d'Invrea, e i luoghi di Collegio, Caſtello Uzone, e Cinzano: & eſſo Conte Amedeo parimente aveva occupato al *quondam* Marcheſe Secondotto i luoghi di Carruco, e Ripa; & ad eſſo Teodoro le Terre di Leinico, Cordua, Sambuico, & il Caſtello e luogo di Balangerio, che ſi teneva e poſſedeva per Bartolomeo di S. Giorgio Conte di Biandrà ſuo Vaſſallo e Coadjutore. Onde deſiderofi tutti e due di componere le diſcordie, controverſie, e nimicizie nate tra loro, ne fecero del meſe di Luglio dell'anno predetto amplo compromeſſo in Gio. Galeazzo Viſconte Conte di Virtù, e ne furono rogati ampli Inſtrumenti da Verolfo de Verulphis di Verolengo Notajo del predetto Marcheſe, e da Michelotto di Croſa Notajo del predetto Conte Amedeo, ſopra il quale compromeſſo fu ventilato lungo proceſſo, davanti M. Nicolao Spinelli, e M. Bartolomeo di Giacomo, Dottori di Legge, Conſiglieri e Commiſſarj del predetto Gio. Galeazzo.

„ quibus oporteret superius fieri mentionem
„ specialem in præsentibus, quibus omnibus
„ & singulis, quoad sublimationem, erectio-
„ nem, concessionem, infeudationem, & alia
„ supradicta, de plena & absoluta potestate,
„ & ex certa scientia præsentibus derogare
„ volumus, & etiam derogamus. Supplentes
„ omnem defectum, si quis obscuritate ver-
„ borum, solemnitatum omissarum, seu aliàs
„ quomodolibet repertus fuerit in præmissis,
„ jus tamen in dictis concessionibus nostris in
„ Imperio salvum maneat & illæsum. Nulli
„ ergo omnino hominum liceat hanc nostræ
„ illustrationis, sublimationis, creationis, de-
„ corationis, collationis, seu Decreti paginam
„ infringere, seu ei quovis ausu temerario
„ quomodolibet contraire. Si quis autem se-
„ cus attentare præsumpserit, præter indigna-
„ tionem nostram, gravissimam pœnam cen-
„ tum marcharum purissimi auri, toties quo-
„ ties contrafactum fuerit, se noverit irremi-
„ sibiliter incursurum, quarum medietatem
„ Regalis nostri ærarii, seu Fisci, residuam
„ verò partem suprascripti Ducis, & heredum,
„ ac successorum suorum usibus decernimus
„ applicari, præsentium sub Regiæ Majestatis
„ sigillo testimonio literarum. Dat. Pragæ
„ Anno Domini Millesimo trecentesimo nona-
„ gesimo secundo, die tertia mensis Octo-
„ bris, Regnorum nostrorum Anno Boëmiæ
„ XXXIV. Romanorum verò XXI.

L'Anno Millesimo trecentesimo nonagesimo sesto, agli otto del mese di Maggio, fra Teodoro Marchese di Monferrato, e Guglielmo suo fratello per l'una parte, & Lodovico Conte di Savoja con Amedeo Principe d'Acaja suo fratello per l'altra, cominciò grandissima guerra; perocchè il predetto Amedeo, pendente la predetta liga e confederazione, & contro la disposizione di essa, diede con le genti Armeniace condotte agli stipendj suoi grandi offensioni a i Territorj di Montevico Città del predetto Marchese, & altre Terre e Luoghi suoi, cioè Piperagno, Bannete, Moncuco, S. Sebastiano, Margarita, Roccabaudoro, Cunico, Dogliano, S. Damiano, Brezano, Rhodo, Castiglione, Rocca di Corio, e Montebarcherio.

Onde allo stipendio di Teodoro si condusse non poco numero d'Italiani, massime della fazione Gibellina; e co i predetti Conte, & Principe erano Oltramontani, & Armeniaci; la qual guerra con grande danno dell'una e l'altra parte si mantenne quasi il termine di un'anno. Et in esso termine il predetto Amedeo ebbe trattato con Faciotto Biglione di Montevico, al quale promise un luogo chiamato Lequetto, e con molti altri complici suoi,

ſuoi, di pigliare proditoriamente a i predetti Teodoro Marcheſe, e Guglielmo fratelli la predetta Città di Montevico, ovvero Monteregale, la quale ſi poſſedeva, & era ſottopoſta al dominio loro. E così poichè il detto Faciotto, e i complici ebbero fatto ribellare la detta Città, il predetto Amedeo del meſe di Luglio dell'anno predetto la occupò, nè d'all'ora in quà è ſtata ricuperata, benchè eſſo Marcheſe Teodoro con gran cura, e per forza d'armi attendeſſe a volerla ricuperare. Faciotto predetto, e ſuo figliuolo furono per lo predetto Marcheſe carcerati in Montecalvo, e puniti come traditori ſuoi.

L'Anno medeſimo Facino Cane Caſalenſe diffidò i predetti Lodovico, & Amedeo fratelli, e tolſe loro il Caſtello e luogo di Varnono nel diſtretto di Cheri, il Caſtello e luogo di Vargnano, dando loro ancora molti danni ne i luoghi e territorj di Torino, Cherio, Moncalero, Colegno, Pianezza, Carignano, Foſſano, Berme, S. Albano, la Trinità, Savigliano, Monaſterolo, Rolfredo, Villanova de' Falletti, Moretta, Barge, Villafranca, Vigone, Caſal graſſo, e molti altri luoghi del Piemonte.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſettimo, alli tre del meſe di Gennajo, eſſendo Tomaſo Marcheſe di Saluzzo nel Caſtello di Chivaſſo, richiedè al Marcheſe Teodoro l'inveſtitura di molti Caſtelli, Luoghi, e Terre, delle quali i Progenitori ſuoi anticamente erano ſtati inveſtiti da i precedenti Marcheſi di Monferrato, la quale benignamente gli fu conceſſa, così come ſi contiene nel ſeguente Inſtrumento, rogato da Verolſo de Verulphis, alla preſenza di molti onorevoli teſtimonj.

„ IN nomine Domini amen. Anno à Nativitate ejuſdem Domini Milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, Indictione quinta, die tertio menſis Januarii, Actum in caſtro Clavaxii, in camera Conſilii, ſive parlamenti, præſentibus Illuſtri D. Gulielmo de Monteferrato, nobilibus Viris D. Mattheo de Roccheta ex Marchionibus Inciſæ, & D. Philippino de Canibus militibus, Georgino Scarampo de Camino, & Thoma de Camino ejus filio, Lanzaroto de Saluciis, Antonio de Iſnardis de Valfenaria, & Bartholomæo de Mazucho teſtibus ibidem, & ante præſentiam Illuſtris Principis, & D. D. Theodori Marchionis Montis-ferrati, &c. conſtitutus Illuſtris & Magnificus D. D. Thomas Marchio Saluciarum, conſiderans, quod dignum & juſtum eſt, quod propter obitum Illuſtris bonæ memoriæ D. Federici Marchionis Saluciarum genitoris ſui, recognoſcat in ſuperiorem & Dominum dictum Illuſtrem D. Marchionem Montis-ferrati, tam de locis, de quibus dictus quondam genitor ſuus, & ſui alii prædeceſſores recognoverunt Illuſtres, & recolendæ memoriæ D. D. Marchiones Montis-ferrati, & ipſum D. Marchionem præſentem, quàm de ceteris aliis locis, quæ ſunt, & eſſe debent feuda, & de pertinentiis dicti D. Marchionis Saluciarum, & de Baronia, Marchionatu, & dominio D. Marchionis Montis-ferrati; habens dictus D. Marchio Saluciarum reſpectum ad debitum, & ad Imperialia privilegia dicti D. Marchionis Montis-ferrati, ex quorum tenore dicta loca comprehenduntur, & comprehendi debent. Quæ quidem loca, tam illa, de quibus antiquitus, & continuè Illuſtres D. D. Marchiones Montis-ferrati fuerunt recogniti in Dominos, quàm illa, de quibus præſentialiter recognoſcere ſe offert, inferius deſcripta, ſecundùm quod dictus D. Marchio Saluciarum, ipſa omnia loca in ſcriptis exhibuit mihi Notario infraſcripto, & prædicta latius & ſerioſius explicavit in præſentia dicti D. Marchionis, & teſtium prædictorum: Supplicavit dicto Illuſtri D. Marchioni Montis-ferrati, quatenus ipſum D. Marchionem Saluciarum dignetur de locis, de quibus ſui Prædeceſſores fuerunt inveſtiti, inveſtire, & alia prædicta in feudum concedere, & ipſum pariter inveſtire, offerens dicto D. Marchioni fidelitatis debitum juramentum, & alia, in quibus debitum Vaſſallatus dictorum locorum requirit. Qui Illuſtris D. Marchio Montis-ferrati, audita dicta juſta requiſitione, cupiens ipſi D. Marchioni Saluciarum conſanguineo ſuo in omnibus poſſibilibus complacere, ipſum D. Marchionem Saluciarum per ſe, & ſuos heredes, & ſucceſſores recipientem inveſtivit de omnibus locis prædictis, quæ dicti quondam Prædeceſſores D. Marchionis Montis-ferrati ſub modis, pactis, & conditionibus, quibus dicti D. Prædeceſſores D. Marchionis Saluciarum fuerunt inveſtiti. Alia autem loca prædicta conceſſit in feudum ipſi D. Marchioni Saluciarum, & de ipſis eum pariter inveſtivit. Et prædictas inveſtituras fecit dictus D. Marchio Montis-ferrati cum una ſpata, quam in ſuis tenebat manibus, ut eſt ſui moris, ac ipſas inveſtituras, & conceſſionem, & omnia & ſingula ſupraſcripta fecit dictus D. Marchio Montis-ferrati omni jure, via, modo, & forma, quibus melius & efficacius potuit & poteſt. Salvo jure ſuperioritatis, & feudi, & omni alio jure dicti D. Marchonis Montis-ferrati, &c. ac reſervato jure alterius cujuſcumque perſonæ. Quibus ſic actis & factis dictus D. Marchio Saluciarum per ſe, heredes & ſucceſſores ſuos, promiſit ſolemniter dicto D. Marchioni Montis-ferrati pro ſe, & ſuis heredibus, & ſucceſſoribus ſtipulanti, ac juravit ad Sancta Dei Evangelia, tactis corporaliter ſacris ſcripturis, in manibus dicti D. Marchionis Montis-ferrati, quod de ipſis locis & pertinentiis eorum erit perpetuò ipſius D. Marchionis Montis-ferrati, & ſucceſſorum ſuorum fidelis & bonus Vaſſallus, & quod de ipſis locis & pertinentiis prædictis, faciet & adimplebit ſuo poſſe, tam in facto guerræ, treguæ, pacis, militiis, quàm aliis omnibus, quicquid debitum, & natura Vaſſallatus dictorum locorum infraſcriptorum, & cujuslibet eorum exigit & requirit, & prout fecerunt, & facere debebant dicti D. D. Prædeceſſores D. Marchionis Saluciarum prædicti, & prout fidelis Vaſſallus pro ſuo legitimo & naturali Domino facere tenetur & debet, & prout in capitulis fidelitatis novæ & veteris formæ continetur. Præcipientes de prædictis dicti Illuſtres D. D. Marchiones, unum, & plura ejuſdem tenoris fieri publica Inſtrumenta per me Verulphum Notarium infraſcriptum.

„ Dicta verò loca, de quibus Illuſtres D. D. Marchiones Saluciarum recognoverunt antiquitus Illuſtres D. D. Marchiones Montis-ferrati ſunt hæc, primo

„ Locus Doliani, poderio cujus cohærent

„ loca

„ loca & poderia locorum Bacinarum, Montiſclari, Belvedere, Montis-fortis, Somani, „ & Rudivi.

„ Item feudum & locus Marcenaſchi, cujus „ poderio cohærent fines locorum Murræ, Al„ bæ, & Barrolii.

„ Item feudum & locus Bonvicini, cujus „ poderio cohærent fines locorum Mullazani, „ Dogliani, & Brozolaſchi.

„ Item feudum & locus Marſaliæ pro me„ dietate, cujus poderio cohærent fines lo„ corum Mullazani, Rochæ Cigleri, & Ca„ ſtellini.

„ Item locus Cameyranæ, poderio cujus „ cohærent fines locorum Montis-zemolæ, „ Montis-barcherii, & Saliceti.

„ Item loca Montis-barcherii, & S. Benedi„ cti, poderiis quorum cohærent fines loco„ rum Mullazani, & Niellæ.

„ Item locus Caſtelletti; cohærent fines Per„ ni, Serralongæ, & Montis-fortis.

„ Item locus Demontis, & Rochæ Sparve„ riæ, & alia loca Vallis Sturanæ.

„ Loca quidem, de quibus dictus D. Mar„ chio Saluciarum de novo ſe ſubmiſit dicto „ D. Marchioni Montis-ferrati, & de quibus „ fuit de novo inveſtitus, ſunt hæc, primo

„ Locus Marſaliæ pro medietate.

„ Item locus Somani.

„ Item locus Caſteglioni.

„ Item locus de Belvedere.

„ Item loca Mullazani, & Faregliani.

„ Item feudum Erbazorum de Somano.

„ Item loca, & feuda *Z*oxoni, Rudini, & „ Lequii.

L'Anno Milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſettimo, all'ultimo del meſe di Luglio, nel Caſtello di Pavia, nella camera della Torre, Guglielmo di Monferrato, a ſuo nome, e come Procuratore di Teodoro Marcheſe di Monferrato ſuo fratello, & Lodovico di Savoja a ſuo nome, e come Procuratore di Amedeo Principe di Acaja ſuo fratello, fecero compromeſſo in Gio. Galeazzo Viſconte Duca di Milano, di tutte le guerre, diſcordie, e controverſie, ingiurie, rancori, differenze, liti, e queſtioni loro; & delle querele, le quali il predetto Marcheſe aveva d'Antonio Piffero, familiare del predetto Amedeo, e di tutte le occupazioni, cauſe, e riſpetti, le quali erano ſtate origine della guerra tra loro, nel modo e forma, che ſi contiene nel ſeguente Inſtrumento, ricevuto per Catalano de Chriſtianis Notajo publico di Pavia.

„ Illuſtris D. Gulielmus de Monteferrato „ ſuo nomine, & procuratorio nomine, ac „ nomine & vice Illuſtris Principis, & Ma„ gnifici D. Theodori Marchionis Montis„ ferrati, & Illuſtris D. Ludovicus de Sabau„ dia ſuo nomine, & procuratorio nomine, „ ac nomine & vice Illuſtris & Magnifici D. „ Principis D. Amedei de Sabaudia Principis „ Achayæ, compromiſſum faciunt ſub infra„ ſcriptis pactis & conventionibus in Illuſtrem „ Principem, & Magnificum D. Jo. Galeaz „ Ducem Mediolani, &c. Papiæ, ac Virtu„ tum Comitem, tamquam in eorum arbitrum, „ arbitratorem, & amicabilem compoſitorem „ & amicum, de omnibus, & ſuper omnibus „ & ſingulis guerris, & diſcordiis, controver„ ſiis, contentionibus, inimicitiis, rancoribus, „ litibus, differentiis, & quæſtionibus inter „ dictas partes, & quamlibet earum, tam „ conjunctim, quàm diviſim vigentibus, ſeu „ quæ vigere poſſent quoquomodo, vel vige„ bunt, ſeu orientur durante præſenti com„ promiſſo. Et de, & ſuper omnibus & ſin„ gulis cædibus, offenſionibus, injuriis, roba„ riis, ſpoliationibus, invaſionibus, occupa„ tionibus, & detentionibus; & etiam de om„ nibus & ſingulis invaſis, ſpoliatis, innova„ tis, & occupatis, ac perpetratis, durante „ præſenti guerra, quæ inchoata fuit die octa„ va Maji MCCCLXXXXVI. & etiam ab hoc „ tempore citra, quo inchoata fuit, ſeu per „ ipſum tempus, & etiam quæ fierent durante „ præſenti compromiſſo; & de querelis, quas „ D. Marchio habet de Antonio Piffero D. „ Principis Achayæ, & de tangentibus factum „ ipſius Antonii; & de omnibus cauſis, occa„ ſionibus, & reſpectibus, moventibus ipſas „ partes, & quamlibet earum ad præſentem „ guerram, & quæ cauſam dederunt ad ipſam „ guerram, ut præſcribitur, incœptam. Et ge„ neraliter de omnibus & ſingulis damnis & „ diſpendiis factis, illatis, occurſis, commiſ„ ſis, ſeu datis per dictas partes, ſeu eam al„ teram, vel aliquam ipſarum partium, vel „ aliquam ex dictis partibus, inter ſe ipſas „ ad invicem una contra alteram, vel altera „ contra alteram, in perſona, vel rebus, vel „ quocumque alio modo, qui dici vel excogitari poſſet; & etiam tam conjunctim, quàm „ diviſim, & etiam quæ darentur, ſeu fierent, „ durante præſenti compromiſſo; & de omni„ bus, & ſuper omnibus & ſingulis dependen„ tibus, emergentibus, & connexis prædi„ ctis, & à prædictis, & quolibet prædicto„ rum. Et de omnibus & ſingulis cauſantibus, „ vel quæ cauſarent, ſeu cauſare poſſent ſu„ pradicta, vel aliqua ſupraſcriptorum, arbi„ trio, & arbitramentato, & diſpoſitioni dicti „ D. Arbitri, & Arbitratoris. Dantes & con„ cedentes dicti Procuratores, ſuis, & quibuſ„ cumque nominibus, & quolibet ſupraſcripto„ rum, nomine dicto, eorum arbitro, & ar„ bitratori, & amicabili compoſitori, poteſta„ tem & bayliam omnimodam tractandi pa„ cem & concordiam per viam amicabilis com„ poſitionis de partium voluntate, ac arbitran„ di, arbitramentandi, pronuntiandi, ſenten„ tiandi, diſponendi, committendi, declaran„ di, condemnandi, & abſolvendi, corrigen„ di, emendandi, & ſuper pronuntiatis ſemel „ & pluries ſtatuendi, ordinandi, & mandan„ di in prædictis, & ſuper prædictis, & quo„ libet prædictorum, tam conjunctim, quàm „ diviſim inter dictas partes, & quamlibet ex „ eis, & ſuper dependentibus, emergentibus, „ & connexis prædictis, & à prædictis, & „ quolibet prædictorum de jure, vel de facto, „ juris ordine ſervato, vel non ſervato, &c. „ Et demum in omnibus, & per omnia, prout „ & ſicut dicto Arbitro & Arbitratori vide„ bitur vel placuerit ſecundùm ejus liberam „ voluntatem, judicialiter, ac extrajudicialiter, „ &c. dummodo laudum, & ſententia, & ar„ bitramentum proferatur de partium volun„ tate expreſſa, & ſpeciali beneplacito earum, „ & in quantum non adeſſet conſenſus utriuſ„ que partis, ut ſupra, ratis ſupraſcriptis om„ nibus manentibus, uſque ad ſententiam pro„ ferendam excluſivè per dictum D. Arbitrum, „ poſſit, & liceat; ac liberum arbitrium, & „ facultatem Procurator ipſius, & utriuſque „ ipſorum ſuis, & quibus ſupra nominibus, „ dicto Arbitro dederunt pronuntiandi, lau„ dandi, & ſententiandi de jure, tantum de

„ COR-

„ conſilio , & ſecundùm tenorem Conſilii
„ utriuſque Collegii Doctorum , & Judicum
„ Civitatum Papiæ , & Mediolani , vel alterius
„ eorum , videlicet aut amborum Collegiorum
„ Papiæ , aut Collegii Mediolani , & non ali-
„ ter , nec ultra . Dantes etiam dictæ partes ,
„ & utraque ipſarum nominibus quibus ſupra
„ Egregiis Juris utriuſque Doctoribus D. Joan-
„ ni de Creſpis Conſiliario , Uberto de Lam-
„ pugnano , Magiſtro Intratarum prædicti D.
„ Ducis , & Chriſtophoro de Caſtiliono pote-
„ ſtatem , quod poſſint recipere acta , & quaſ-
„ cumque facere ordinationes uſque ad ſen-
„ tentiam excluſivè , &c. Emologantes ex nunc
„ omnem ſententiam ferendam per prædictum
„ D. Arbitrum , &c. Promittentes eidem ſta-
„ re , & parere , &c. ſub pœna florenorum
„ quadraginta millium boni auri , & juſti pon-
„ deris , in quam pœnam incidat pars non
„ obſervans parti obſervanti , & toties com-
„ mittatur & exigi poſſit , quoties contrafa-
„ ctum fuerit , qua pœnâ exactâ , vel non ,
„ rata maneant pronuntianda , &c. Similiter
„ hujus publici Inſtrumenti vigore prædictæ
„ partes , ſuis , & quibus ſupra nominibus ,
„ viciſſim promiſerunt , ſe ſe facturos , & cum
„ effectu curaturos , quod decem hinc inde de
„ infraſcriptis decem octo hominibus electis
„ pro ſingula , & ab utraque parte , cum con-
„ ſenſu Domini ſui , promittent ſolemniter &
„ legitimè per publicum Inſtrumentum infra
„ menſem unum , in publicam formam , & cum
„ juramento , prædicto D. Duci per dictas
„ partes tranſmittendum , quod eo caſu , quod
„ non obſervaretur pronuntiatio dicti D. Du-
„ cis ſuper pace & contentis in præſenti com-
„ promiſſo fiendo , quod ſe præſentabunt in
„ Civitatibus Mediolani , vel Papiæ in arbitrio
„ D. Ducis , & ad omnem ipſius requiſitionem
„ infra unum menſem tunc proxime futurum.
„ Et ibidem pro obſidibus reſidebunt , indeque
„ non diſcedent , donec arbitramentum & ſen-
„ tentia dicti D. Ducis fuerit executioni de-
„ mandata ; quam promiſſionem ipſi homines
„ cum , & ſub juramento , fide , & corpore
„ ipſorum , & obligatione omnium bonorum
„ ſuorum per publicum Inſtrumentum ſolem-
„ niter & legitimè teneantur confirmare in-
„ fra unum menſem proxime futurum . Et caſu
„ quo contigerit ante obſervatam pronuntia-
„ tionem fiendam per prædictum D. Ducem
„ ut ſupra , mori unum ex decem hominibus
„ obſidibus de quavis partium prædictarum ,
„ poſſit altera pars nominare quatuor ex no-
„ bilibus ſubditis alteri parti , cujus mortuus
„ erit , & ille ex Dominis prædictis , cujus
„ morietur , teneatur de illis quatuor facere
„ obligari unum infra menſem , tunc proxime
„ futurum , ad omnia & ſingula ut ſupra ; &
„ ita obſervari , & fieri debeat pro ſingulo di-
„ ctorum decem , ab utraque partium prædi-
„ ctarum obligandorum .

„ Nomina verò decem octo electorum pro
„ parte D. Principis de Nobilibus ſubditis D.
„ Marchioni ſunt infraſcripta , videlicet : Pe-
„ trus de Cochonato de Primelio , Joannes de
„ Robella , Franciſcus de Gabiano , Bonifacius
„ de Mirolio , Nicolaus de Tilio , Henricus
„ de Cerexeto , Paulus de Lignano , Guliel-
„ mus de Cavagnolio , Franciſcus de Monti-
„ lio , Thomas de Camino f. q. Georgii , Pau-
„ linus de Caſtiliono , Percival Boba , Obertus
„ de Fraxinello , Gulielmus Zabaudanus ,
„ Ubertus de Pogliano , Ravicia de Monti-
„ lio , Baudracus de Cella , Maphietus de
„ Montilio .

„ Nomina verò decem octo electorum pro
„ parte D. Marchionis ſubditorum D. Principis
„ ſunt infraſcripta : D. Philippus Simon , D.
„ Joannes de Fruzaſcho , Ubertus de Ploza-
„ ſcho , D. Romeus de Canalibus , Ribaldus
„ de Ripalta , Philippus de Solario de Moreta ,
„ Iſoardus de Valle S. Martini , Michaël de
„ Lucerna , Gulielmus de Noſeto , Guronus
„ Capellus , vel frater , Borinus de Areſcha
„ de Plozaſcho , Milletus Simon , Antoniotus
„ de Canalibus , vel Gulielmus ejus filius , cum
„ auctoritate patris , Bruno de Plubicis , Od-
„ donetus de Nono , Valentinus Provanus ,
„ Joannes filius Antonii Sorte , vel frater Si-
„ mondus filius Guzeti , de Cambignono . Ad-
„ dendo , quod dicti D. Marchio , & Princeps
„ directè , vel indirectè , nec quovis modo pro-
„ curabunt , ſeu operabuntur , quod D. Dux
„ non pronuntiet infra terminum præſentis
„ compromiſſi ; quinimmo ex nunc cum omni
„ inſtantia Procuratores ipſi à prædicto D.
„ Duce requirunt , quod ſummariè dignetur
„ ſententiare infra terminum præſentis com-
„ promiſſi . Digneturque per ſuas literas pa-
„ tentes promittere , eamdem facere pronun-
„ tiationem , ac etiam promittere fidejubere ,
„ ad obſervantiam contentorum in præſenti
„ compromiſſo pro utraque parte , & quod erit
„ pro parte obſervante contra partem non ob-
„ ſervantem toto ſuo poſſe . Quæ omnia & ſin-
„ gula promiſerunt obſervare , &c. quod qui-
„ dem compromiſſum voluerunt valere , &
„ durare uſque ad annum proximè venturum
„ cum poteſtate prorogandi uſque ad ſex men-
„ ſes , & poſt dictos menſes per alios ſex men-
„ ſes , prout dicto D. Arbitro videbitur . Cui
„ prorogationi promittunt ſtare &c. Jurantes ,
„ &c. Renuntiantes , &c. Præcipientes , &c.
„ Actum Papiæ in Caſtro prælibati D. Ducis
„ Mediolani , in camera Turris reſpicient
„ mane verſus Jardinum ſitum in Porta S. Pe-
„ tri ad Murum , in Parochia Sanctæ Mariæ
„ in Pertica . Anno à Nativitate ejuſdem Mil-
„ leſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo , In-
„ dictione quinta , die ultima menſis Julii ,
„ hora inter vigeſimam primam , & vigeſimam
„ ſecundam .

Fatto e concluſo il compromeſſo ſopraſcrit-
to , ſuſſeguentemente tra eſſe parti , a nome
loro e de i partecipi dell' antecedente guerra ,
fu fatto una tregua , che aveſſe a durare tanto
tempo , quanto durava il compromeſſo ; per
la quale ſi diſponeva , che il Marcheſe Teodo-
ro doveſſe rimettere in mani di terze perſone
i Caſtelli e luoghi di Benne , Aragnano , Por-
moncello , e Pavarolio ; & il ſimile doveſſe fare
il Principe d'Acaja de i Caſtelli e luoghi di
Moreſio , Bannette , Gareſono , e Gaſſeno , per
fino a tanto che Gio. Galeazo Duca di Milano
aveſſe ſentenziato e dichiarato ſopra le diffe-
renze loro per vigore del compromeſſo in lui
fatto ; e con un capitolo toccante in iſpecie la
Città di Montevico , & aggiunta di altri capi-
toli , compreſi in eſſa tregua , il tenore della
quale è queſto .

„ IN nomine Domini Jeſu Chriſti , ejuſque
„ matris Mariæ Virginis glorioſæ , totiuſ-
„ que Cœleſtis Curiæ amen . Ibidem Illuſtris
„ D. Ludovicus de Sabaudia , ſuo nomine , &
„ procuratorio nomine , ac nomine & vice
„ Illuſtris Principis D. Amedei de Sabaudia
„ Prin-

Digitized by Google

„ Principis Achayæ, &c. & etiam nomine & A
„ vice Illuſtris D. Aymonis de Sabaudia ; &
„ Illuſtris D. Gulielmus Procurator, & pro-
„ curatorio nomine Illuſtris & Magnifici D.
„ Theodori Marchionis Montis-ferrati ejus
„ fratris ; necnon nomine & vice Illuſtris D.
„ Marchionis Saluciarum, D. Vigonis de Sa-
„ luciis, & omnium eorum, qui de præſenti
„ guerra ſe intromiſerunt, &c. eorumque &
„ cujuslibet ipſorum filiis, adhærentibus, ſe-
„ quacibus, & ſubditis, &c. omnibus meliori
„ modo, jure, via, & forma, quibus melius,
„ validius, & ſolemnius potuerunt, & poſſunt;
„ ſponte, non vi, dolo, nec metu inducti,
„ faciunt, ineunt, & contrahunt bonam, pu-
„ ram, atque firmam treguam duraturam hinc B
„ ad annum unum proximè venturum, & ul
„ terius per ſex menſes de contramando poſt
„ dictum terminum ſub pactis & conventio-
„ nibus infraſcriptis.

„ Primò, quod dictæ partes ſe adinvicem
„ non offendant, nec offendi faciant, nec eo-
„ rum ſubditos, adhærentes, ſequaces, nec
„ ipſorum Dominorum, ſubditorum, adhæren-
„ tium, & ſequacium bona quovis modo di-
„ rectè, nec per indirectum, & quod offen-
„ dentibus, ſive offendere intendentibus dictos
„ Dominos, ſeu aliquem eorum, vel eorum,
„ ſeu alicujus eorum ſubditos, adhærentes,
„ & ſequaces, non dabunt tranſitum, recepta-
„ culum, victualia, nec alium quemcumque C
„ favorem, ſed toto eorum poſſe, bona fide,
„ prohibebunt per ipſorum territoria, contra
„ taliter offendentes, ſeu offendere intenden-
„ tes, ut ſupra.

„ Item, quod præſenti tregua durante, præ-
„ fati Domini, eorumque ſubditi, adhærentes,
„ ſequaces, & coadjutores poſſint ire & redi-
„ re, converſari, morari, & alia facere, vi-
„ delicet una pars, ejuſque ſubditi, & ſequa-
„ ces, & coadjutores per Territoria alterius
„ partis, & è converſo; & decurſus aquarum
„ ſint liberi, omni impedimento ceſſante,
„ prout & quemadmodum faciebant, & erant
„ ante præſentem guerram motam, & tempo-
„ re inceptæ guerræ prædictæ, prout & quem- D
„ admodum ſi pax foret inter prædictos Do-
„ minos, ſolvendo tamen pedagia, & alia ſo-
„ lita ſolvi ante præſentem guerram motam.
„ Ita tamen, quod una pars, ejuſque ſubditi,
„ adhærentes, & ſequaces non poſſint ingredi
„ fortalicia alterius partis, abſque licentia
„ Rectoris, & Officialis exiſtentis in fortalicio,
„ ſalvis infraſcriptis.

„ Item, quod in Terris & locis captis per
„ partes durante guerra, nec in eorum terri-
„ toriis dictæ partes, ſeu aliqua earum non
„ poſſint facere, nec fieri, nec permitti face-
„ re aliquam Roccham, Baſtitam, Caſtrum,
„ Cittadellam, nec aliud fortalicium, ſalvo
„ quod circumquaque Terras poſſint fortifica- E
„ re de muris, foſſatis, balfredis, & ſimilibus.
„ Dum tamen talis fortificatio non dividat
„ Terras aliter quàm diviſæ eſſent ante præ-
„ ſentem guerram inchoatam, quodque dictæ
„ partes, nec aliquæ earum non poſſint, nec
„ debeant facere, nec fieri facere aliquam
„ donationem, venditionem, translationem,
„ ſeu alienationem, vel alium contractum in
„ aliquam perſonam, Communitatem, Colle-
„ gium, vel Univerſitatem de prædictis locis,
„ vel aliquo ipſorum, præſenti tregua duran-
„ te; fortalicia autem facta liceat reædificare
„ ad libitum Domini ea tenentis, tam in lo-
„ cis depoſitis, quàm in aliis.

„ Item, quod prædictus D. Marchio tenea-
„ tur, & debeat liberè & expeditè dare, tra-
„ dere, & dimittere infraſcriptas Terras cum
„ Rocchis in eis exiſtentibus, videlicet Ben-
„ nas, Aragnanum, & Pormoncellum infra
„ decem dies, & Pavarolium infra menſem
„ proximè venturum in manibus infraſcripta-
„ rum perſonarum, videlicet Bennas in ma-
„ nibus Joannis Zoppi cum paghis decem;
„ Aragnanum in manibus Matthæi Gavoni
„ cum paghis quindecim ; Pormoncellum in
„ manibus Thebaldi Bonæ de Creſcentino cum
„ paghis ſex; & Pavarolium in manibus Ala-
„ manni Lanciavegiæ cum paghis quindecim,
„ qui durante dicta tregua ſint Caſtellani &
„ cuſtodes dictarum Roccharum, & qui dictas
„ Rocchas tenere & cuſtodire debeant nomi-
„ ne, & ad inſtantiam prædicti D. Marchio-
„ nis, donec per Illuſtrem Principem, & Ex-
„ cellentiſſimum D. Jo. Galeaz Ducem Me-
„ diolani &c. ſententiatum & pronuntiatum
„ fuerit inter prædictos Dominos, vigore
„ compromiſſi facti per prædictos Dominos,
„ ſeu eorum Procuratores in prædictum D.
„ Ducem Mediolani. Qua ſententia, ſeu pro-
„ nuntiatione facta, teneantur & debeant di-
„ cti Caſtellani & cuſtodes facere & diſpone-
„ re de dictis Rocchis & Terris, prout &
„ quemadmodum ſententiatum & pronuntia-
„ tum fuerit, ſtatim cum eis denuntiata fue-
„ rit per literas prædicti D. Ducis forma ipſius
„ ſententiæ. Teneantur etiam ipſi Caſtellani
„ & cuſtodes promittere & jurare, & ſe &
„ ſua bona obligare per eorum literas ſigilla-
„ tas & ſubſcriptas, dandas prædicto D. Duci,
„ de ſic attendendo & obſervando, ut ſupra.

„ Item, quod prædictus D. Princeps tenea-
„ tur & debeat liberè & expeditè dare, tra-
„ dere, & dimittere infraſcriptas Terras, &
„ Rocchas in eis exiſtentes, videlicet More-
„ ſium infra decem dies proximè venturos,
„ & Bannetas infra menſem proximè ventu-
„ rum in manibus infraſcriptarum perſona-
„ rum, videlicet Morezium in manibus Chri-
„ ſtophori de Puteo cum paghis duabus, &
„ Bannetas in manibus Matthæi filii D. Geor-
„ gii de Puteo cum paghis quinque; qui du-
„ rante dicta tregua ſint Caſtellani & cuſto-
„ des dictarum Roccharum, & qui dictas Ter-
„ ras & Rocchas tenere & cuſtodire debeant
„ nomine, & ad inſtantiam prædicti D. Prin-
„ cipis, donec per prædictum Illuſtrem D. Jo.
„ Galeaz Ducem Mediolani ſententiatum fue-
„ rit vigore compromiſſi in eum facti, qua
„ pronuntiatione facta, prædicti Caſtellani &
„ cuſtodes teneantur facere, ut ſupra dictum
„ eſt.

„ Item, quod prædictus Princeps teneatur
„ infra decem dies liberè tradere & dimitte-
„ re Terram & Roccham baſtitæ Careſoni in
„ manibus Branchæ de Puteo cum paghis quin-
„ que, qui durante dicta tregua ſit Caſtella-
„ nus & cuſtos dictæ Rocchæ, & qui eam
„ cuſtodire habeat nomine ipſius D. Princi-
„ pis, donec per Illuſtrem D. Ducem Media-
„ lani pronuntiatum fuerit, ut ſupra. Et caſu
„ quo pronuntiaretur per prædictum D. Du-
„ cem, Civitatem Montiſregalis ſpectare &
„ pertinere prædicto D. Marchioni, & per di-
„ ctum D. Principem debere reſtitui, & per
„ Cives dictæ Civitatis debere præſtari obe-
„ dientiam prædicto D. Marchioni: teneantur
„ prædicti D. Princeps, & Cives exequi fi-

„ quod

„ quod pronuntiatum fuerit, & eo etiam in-
„ caſu teneatur dictus Caſtellanus remittere
„ dictam Roccham in manibus & forciis Ci-
„ vium prædictæ Civitatis. Et caſu, quo dicti
„ Cives recuſarent facere id, quod pronun-
„ tiatum fuerit per prædictum D. Ducem,
„ tunc prædictus D. Princeps, ac Caſtellanus
„ & cuſtos dicti loci teneatur receptare in
„ fortalicio Villæ, non tamen in Roccha,
„ gentes prædicti D. Ducis, & dicti D. Mar-
„ chionis, & ipſis gentibus permittere libe-
„ rum tranſitum per ipſum locum; adeo quod
„ poſſint ire & redire pro exequendo ſenten-
„ tiam prædictam contra dictam Civitatem,
„ & ipſis Civitati & Civibus non dare eo in
„ caſu auxilium, conſilium, nec favorem,
„ donec dicta executio facta fuerit.

„ Item prædictus D. Princeps teneatur in-
„ fra dies decem proximè futuros expeditè di-
„ mittere Caſtrum & Terram Gaſſeni in for-
„ tiam D. Ducis Mediolani, qui ad omne
„ ejus libitum facere, & fieri facere poſſit il-
„ lud fortalicium, quod ſibi placuerit, expen-
„ ſis tamen ipſius D. Principis, in quo forta-
„ licio poſtea ſtare debeat Caſtellanus per di-
„ ctum D. Ducem deputandus, videlicet Fe-
„ dericus de Puteo cum illis paghis, de qui-
„ bus eidem D. Duci videbitur; qui Caſtella-
„ nus illud tenere habeat nomine dicti D.
„ Principis, donec ſententiatum fuerit, ut ſu-
„ pra; qua ſententia, ſeu pronuntiatione fa-
„ cta, teneatur ipſe Caſtellanus de dictis Ca-
„ ſtro & Terra Gaſſeni facere & diſponere,
„ prout pronuntiatum fuerit per prædictum
„ D. Ducem, ſtatim cum ei denuntiata fuerit
„ forma ipſius ſententiæ; & teneatur etiam
„ dictus Caſtellanus ſe, & bona ſua obligare
„ per ejus literas ſigillatas & ſubſcriptas, &
„ ſimiliter homines dictæ Terræ de attenden-
„ do & obſervando id, quod pronuntiatum
„ fuerit per prædictum D. Ducem, ut ſupra.
„ Et quod prædictus D. Dux pro aviſamento
„ ſui, & agendorum, poſſit videri facere vi-
„ ctualia in ipſa Terra exiſtentia.

„ Item, quod liceat D. Duci prædicto Ca-
„ ſtellanos & Officiales dictorum locorum
„ poſitorum, ut ſupra, tam per dictum D.
„ Marchionem, quàm per dictum D. Princi-
„ pem, & loci Gaſſeni, & cujuslibet eorum
„ amovere, & alios loco ipſorum ſubrogare,
„ ex quacumque cauſa neceſſaria ſuperveniente
„ te, & ad quodcumque tempus maluerit,
„ conditionibus tamen & modis ſupraſcriptis,
„ & faciendo mutationem de perſonis infra-
„ ſcriptis tantum, videlicet in Caſtris, quæ
„ dimitti debent per D. Principem, de Jor-
„ dano, Georgino, & Joanne filio quondam
„ Nicolini omnibus de Puteo. Et in Caſtris,
„ quæ dimitti debent per prædictum D. Mar-
„ chionem, de Ricardino Tizono filio Joan-
„ nis, & Joanne de Tizonibus minore, Jaco-
„ bo de Petra Sancta de Caſſinis, & Guido-
„ ne de Bonſignoribus de Laude.

„ Item, quod datis, traditis, & aſſignatis
„ Terris, locis, & Fortaliciis ſupraſcriptis,
„ perſonis prædictis, factiſque ratificationi-
„ bus Dominorum principalium, tam de tre-
„ gua, quàm de dicto compromiſſo, vel ſal-
„ tem facta ratificatione per D. Principem,
„ prædictus D. Marchio teneatur & debeat
„ ſtatim removere, ſeu removeri facere ba-
„ ſtitas, & alia propugnacula ſuo nomine fa-
„ cta & facta ad obſidendum & offendendum
„ dicti Terram Gaſſeni, vel poni eas jubeat,

A

„ & faciat in manibus dicti D. Ducis, qui de
„ ipſis faciat, prout ſibi videbitur, & amove-
„ ri faciat, ut ſupra. Et ſimiliter ſtatim præ-
„ dictus D. Princeps ponat, & poni faciat
„ quoddam Fortalicium factum, durante
„ guerra præſenti, verſus Caſtrum Vioi, quod
„ tenetur per dictum D. Marchionem in for-
„ tia prædicti D. Ducis, quod ipſum Forta-
„ licium cuſtodiri faciat, prout ſibi videbitur,
„ videlicet per Bernabovem de Puteo filium
„ Branchæ.

„ Item, quod quilibet prædictorum Domi-
„ norum ſatisfaciat, & ſatisfieri faciat Caſtel-
„ lanis, & eorum ſociis deputatis, & depu-
„ tandis ad cuſtodiam dictarum Roccharum,
B „ & Fortaliciorum, videlicet quilibet eorum
„ ſuis Caſtellanis, ut ſupra.

„ Item, quod non obſtantibus infraſcriptis,
„ prædicti Domini, & ipſorum quilibet poſ-
„ ſint, & eis, & eorum cuilibet, adhærenti-
„ buſque & ſequacibus liceat, victualia ſua
„ in ſuis Terris reſtringere & ſervare, ſalvo
„ quod ſi unus ex Dominis prædictis, vel ejus
„ ſubditi, adhærentes, & ſequaces haberent
„ poſſeſſiones in Territorio alterius Domini,
„ ejuſque adhærentium & ſequacium, quia
„ tunc liceat eis dictas poſſeſſiones laborare,
„ ſeu laborari facere, & fructus ac reditus,
„ qui ex dictis poſſeſſionibus perciperentur &
„ colligerentur, conducere & conduci facere
C „ ad eorum domos & habitationes, vel quò
„ voluerint, ſolutione tamen pedagii, & one-
„ ribus ſolitis, ac antea guerram ſolvi con-
„ ſuetis, ſemper ſalvâ, non obſtantibus ali-
„ quibus inhibitionibus in contrarium; &
„ idem è converſo ſervetur ſalvis infraſcri-
„ ptis.

„ Item, quod tam in Terris depoſitis,
„ quàm in aliis quibuſcumque, quæ per di-
„ ctos Dominos, ſeu eorum alterum, vel
„ ipſorum adhærentes & ſequaces detinen-
„ tur, & in ipſarum Terrarum poderiis, nul-
„ lus bannitus, rebellis, & forenſitus poſſit
„ habitare, ſtare, converſari, ſeu ejus poſſeſ-
„ ſionibus uti & frui, abſque expreſſa licen-
D „ tia Domini, per quem Caſtrum illud deti-
„ netur.

„ Item, quod dictæ partes teneantur & de-
„ beant eligere perſonas duas, videlicet quæ-
„ libet pars duas pro conſervatione dictæ tre-
„ guæ infra dies quindecim proximè futuros,
„ ad quas prius habeatur recurſus pro tollen-
„ dis ac remediandis inconvenientiis, ſi quæ
„ oriri continget, præſenti tregua durante.
„ Et in caſu, quo providere non poſſent, ha-
„ beatur recurſus ad prædictum D. Ducem
„ Mediolani, qui ſit, & eſſe intelligatur ſu-
„ premus Conſervator præſentis treguæ; &
„ quod dictæ partes teneantur dare auxilium
„ & favorem Conſervatoribus prædictis in
E „ omnibus occurrentibus neceſſariis & oppor-
„ tunis. Qui Conſervatores teneantur & de-
„ beant promittere & jurare de faciendo offi-
„ cium ſuum debitè, ac legaliter, & bona
„ fide, in manibus eligendi pro parte, vide-
„ licet D. Marchionis in præſentia Officialis
„ Taurinenſis; & eligendi pro parte D. Prin-
„ cipis, in præſentia Officialis de Clavaxio,
„ & de exercendo dictum officium in loco
„ magis apto illi negotio, de quo quæſtio age-
„ tur.

„ Item, quod dictæ partes, & earum quæ-
„ libet incurrat pœnam quadraginta millium
„ florenorum, ſi non obſervaverint præſentem

„ tre-

Digitized by Google

„ treguam, & omnia & ſingula in ea contenta, & quæ ad ea ſpectabunt & pertinebunt.

„ Item, quod quilibet ex Dominis prædictis teneatur & debeat infra unum menſem recedi facere de ejus Territorio, ſuorumque adhærentium & ſequacium, omnes gentes armigeras, forenſes, & quoſcumque alios ſtipendiarios, videlicet D. Marchio Italicos, & Theutonicos, & dictus D. Princeps Ultramontanos, Italicos, & Theutonicos, & facere evacuari Territoria ſua de ipſis gentibus abſque ſubditorum læſione. Et intelligatur facta dicta evacuatio, etiam dato quod ipſi Domini, ſeu eorum alter retineret pro ſpecialibus cauſis non venientibus contra præſentem treguam, uſque inequis centum pro quolibet.

„ Item, quod quilibet ex dictis Dominis, eorumque adhærentes & ſequaces habeant liberum & expeditum aditum, introitum, acceſſum, & regreſſum, cum bonis & ſequacibus ſuis ad ſua loca, & Caſtra, non obſtantibus aliquibus impedimentis; ſolvendo tamen pedagia uſitata. Dummodò quod aliquis ipſorum non poſſit ire ad Rocchas, quæ deponi debent, ut ſupra, nec ad Terras, ſive Caſtra ſuperius expreſſa.

„ Item, quod ſi per ſubditos, adhærentes, vel ſequaces unius partis fiat aliqua offenſio ſuper Territorio alterius partis, ſive ſequacium, vel adhærentium à viginti hominibus infra, etiam quod caperetur aliquod Caſtrum, vel Terra, poſt menſem à die præſentis treguæ computandum, non intelligatur ex his treguam eſſe fractam, ſed pro tali offenſa recurſus habeatur ad Dominum Superiorem facientium offenſionem, vel ad eum, in cujus Territorium ſe reduxerit perſona offendens, qui Superior teneatur infra quindecim dies poſt factam ſibi notitiam fieri facere parti læſæ emendam debitam, & punitionem de perſonis & bonis talium offendentium; & ſi expediens fuerit, habeatur etiam recurſus ad dictos Conſervatores treguæ, qui providere teneantur ſuper prædictis. Nec pars, cujus erunt ſubditi, vel in cujus Territorium ſe reduxerint tales offenſores, incurrat pro tali offenſa ſupraſcriptam pœnam treguæ, dummodo fecerit circa emendam & punitionem id, quod Conſervatores, ſeu major ipſorum pars ordinaverit. Ad quod faciendum prædicti Domini ſuum auxilium, conſilium, & favorem præbere teneantur. Et caſu, quo caperetur per unam partem alteri parti aliquod Caſtrum, vel Fortalicium, vel fuerit aliqua offenſio per homines, qui eſſent à viginti infra, & infra menſem prædictum: teneantur partes prædictæ ſibi ad invicem ad reſtitutionem dicti Caſtri, vel Fortalicii, & ſimiliter ad reſtitutionem bonorum captorum. Si verò Caſtrum, vel Fortalicium caperetur, vel offenſio fieret à viginti hominibus ſupra poſt menſem prædictum, intelligatur fieri contra treguam & pœnam commiſſam, & fiat reſtitutio antedicta, & omnium damnorum refectio.

„ Item, quod caſu, quo Illuſtris D. Comes Sabaudiæ faceret, vel moveret guerram contra prædictum D. Marchionem, ejuſque adhærentes, vel ſequaces, præcedente diffidatione, & mitteret ſuos Capitaneos cum banderiis ipſius D. Comitis cum tanta quantitate gentium, quod appareat, ipſum D. Comitem guerram velle facere contra prædictum D. Marchionem, eo in caſu, ſi prædictus D. Princeps eſſet cum dicto D. Comite, non intelligatur facere contra præſentem treguam; ita tamen, quod ipſe D. Princeps non poſſit, nec debeat directè, vel per indirectum inducere, nec induci facere prædictum D. Comitem, nec eidem ſuadere, quod guerram faciat contra prædictum D. Marchionem: quod ſi fecerit, vel fieri fecerit, incidat in pœnam prædictam.

„ Item, quod caſu, quo Illuſtris Princeps D. Rubertus Dux Barenſis faceret, vel moveret guerram contra præfatum D. Principem Sabaudiæ, ejuſque adhærentes, vel ſequaces, præcedente diffidatione, & mitteret ſuos Capitaneos cum banderiis ipſius D. Ducis cum tanta quantitate ſuarum gentium, quod appareat, prædictum D. Ducem Barenſem guerram velle facere contra ipſum D. Principem, eo in caſu ſi præfatus D. Marchio eſſet cum ipſo D. Duce, non intelligatur facere contra præſentem treguam. Ita tamen, quod ipſe D. Marchio non poſſit, nec debeat directè, vel per indirectum, inducere, nec induci facere prædictum D. Ducem, nec eidem ſuadere, quod guerram faciat contra prædictum D. Principem; quod ſi fecerit, vel fieri fecerit, incidat in pœnam prædictam.

„ Item, quod D. Dux Mediolani teneatur & debeat eſſe pro obſervante dictam treguam contra non obſervantem; & quod ſit, & eſſe intelligatur fidejuſſor dictarum partium; & pro omnibus & ſingulis in præſenti tregua contentis, dictæ partes teneantur præſtare præfato D. Duci auxilium, conſilium, & favorem.

„ Item, quod prædicti D. Gulielmus, & Ludovicus promittent ſe facturos & curaturos cum effectu, quod prædicti DD. Marchio, & Princeps, ac nominati, & nominandi adhærentes & ſequaces, infra unum menſem ratificabunt præſentem treguam, ac omnia & ſingula in ea contenta cum debitis & ſolemnibus promiſſionibus, obligationibus, juramentis, fide corporum, renuntiationibus & cautelis opportunis. Et ultra, quod contra nolentes ratificare, & non ratificantes infra dictum tempus ſupraſcriptam treguam, & qui de ſuis locis guerram vel captionem feciſſent, vel recepiſſent, præbere teneantur una pars alteri; & è contra auxilium, conſilium, & omnem poſſibilem favorem. Ceteri verò non ſubditi, qui offenderent de locis ſuis, aut captivos & prædas receptaverint, & qui dictam treguam ratificare infra dictum tempus non vellent, gaudere non debeant beneficio præſentis treguæ, nec debeat aliquis prædictorum Dominorum directè vel indirectè eos juvare, ſeu eis dare auxilium, reductum, vel tranſitum, vel favorem.

„ Item, quod per prædicta non derogetur alicui Juri D. Marchionis in facto, de quo declaravit Illuſtris D. Dux Borboni, caſu quo tenentes dictum locum, pro adhærentibus nominentur, & velint eſſe ſub exiſtente tunc cum eis in præſenti tregua.

„ Item, quod Illuſtris D. Marchio Saluciarum, ejuſque Vaſſalli, adhærentes, ſequaces, & ſubditi quicumque nominati & comprehenſi in alia prima tregua, inter dictos DD.

„ DD. Principem, & Marchionem Saluciarum facta, ſpecialiter & expreſsè eſſe intelligatur in præſenti tregua, & beneficio hujus treguæ gaudere debeat; & caſu quo ſequeretur pax inter dictos D. Marchionem Montisferrati, & D. Principem, dicta tregua DD. Principis, & Marchionis Saluciarum vigere & continuare intelligatur, & vigeat inter eos, eorumque ſubditos, ſub modis & conditionibus contentis & deſcriptis in tregua, quæ inter eos vigebat ante præſentem guerram, uſque ad annum unum, incipiendo poſt finem & terminum præſentis treguæ, ſub tali conditione, quod ſi dictus D. Marchio Saluciarum frangeret dictam treguam, D. Marchio Montisferrati non poſſit, nec debeat ipſum D. Marchionem Saluciarum juvare. Si verò è contra rumperetur ipſi D. Marchioni Saluciarum, liceat eidem D. Marchioni Montisferrati eum juvare, non obſtante pace prædicta, & hoc cognoſci debeat per Conſervatores dictæ treguæ inter ipſum D. Principem, & D. Marchionem Saluciarum.

„ Item, quod ipſi Domini teneantur facere, & faciant publicari dictam treguam ſuper ſuis Territoriis, adhærentiumque & ſequacium ſuorum, videlicet D. Marchio in Clavaxio, Montecalvo, Alba, Doliano, & Saluciis die quinto menſis Auguſti proximo futuri. Et D. Princeps in Taurino, Cherio, Saviliano, Monteregali, & Maſerano, etiam in dicta die.

„ Item, ſi uſque ad quintam diem Auguſti prædicti incluſivè per ſtipendiarios, ſeu gentes armigeras, adhærentes, ſubditos, & ſequaces unius partis caperentur, ſeu invaderentur aliquæ Civitates, Caſtra, Terræ, vel Fortalicia alterius partis, ſeu adhærentium, ſubditorum, vel ſequacium, liberè reſtituantur illi, vel illis, quorum erant ante dictam captionem, ſeu invaſionem. Si verò infra dictum tempus fierent aliquæ robariæ, ſeu prædæ aliquorum bonorum mobilium, ſive perſonarum, bona ipſa ſint capientis, ſeu capientium, & capti poſſint redimi.

„ Quam quidem treguam, & omnia in ea contenta promiſerunt dictæ partes attendere, &c. obligantes, &c. jurantes, &c. renuntiantes, &c. præcipientes, &c.

L'Eccellentiſſimo, e celeberimo Dottore M. Angelo de Ubaldis di Peroſa, dopo lungo e diſpendioſo proceſſo, ventilato davanti a Gio. Galeazzo Viſconte Compromiſſario, e i deputati ſuoi, eſſendo richieſto a volere giuridicamente conſigliare ſopra la reſtituzione della Città di Montevico, ovvero Monteregale, col diſtretto e territorio ſuo, la quale Città era ſtata occupata per lo predetto Amedeo di Savoja Principe d'Acaja al memorato Marcheſe Teodoro, come ſi è veduto: diſcorrendo l'origine, mezzo, e fine delle dette guerre e diſcordie, conſigliò quanto per ragione gli pareva, e ſecondo che in un ſuo Conſiglio trecenteſimo decimo ſettimo, il quale comincia: *In Dei nomine, & ſuæ matris Virginis glorioſæ amen. In quæſtione vertente inter Illuſtrem Principem Dominum Theodorum Marchionem Montisferrati, & D. Gulielmum ejus fratrem ex una parte, &c.* & in un' altro Conſiglio ſuſſeguente trecenteſimo decimo ottavo, il quale comincia: *Item Sereniſſimus Princeps Vinceslaus Romanorum Imperator &c.* deſcritti ne i volumi de' Conſigli ſuoi ſi contiene; a i quali Conſigli ognuno deſideroſo d'intendere il ſucceſſo della occupazione della predetta Città, potrà avere ricorſo e refugio.

L'Anno MCCCXCIX. nella ſettima Indizione, a gli undici del meſe di Settembre, il memorato Marcheſe Teodoro fece donazione all' egregio Facino Cane di Caſale figliuolo del *quondam* Emanuele, del Caſtello e luogo del Borgo S. Martino, con le pertinenze & omaggio, & infeudògli eſſo luogo, come ſi contiene nell' Inſtrumento ſopra di ciò rogato da Verulfo de Verulphis di Verolengo Notajo del predetto Signore.

L'Anno Milleſimo quadringenteſimo, l'Indizione ottava, alli ſei del meſe di Febbrajo, nella Città d'Aſti, tra Guglielmo di Monferrato a ſuo nome, e del Marcheſe Teodoro ſuo fratello per l'una parte, & Lodovico di Savoja a ſuo nome, e come Procuratore di Amedeo di Savoja Principe d'Acaja ſuo fratello, fu fatto compromeſſo in Filippo di Borgogna figliuolo del *quondam* Giovanni Re di Francia, di tutte le diſcordie, guerre, e differenze, che foſſero ſtate tra loro; & vollero, che il compromeſſo aveſſe a durare per tutto il meſe di Maggio proſſimo avvenire: del che ne fu rogato Inſtrumento da Verulfo de Verulphis di Verolengo.

L'Anno medeſimo, del meſe di Giugno, nella Vigilia di San Bernardo, Guglielmo di Monferrato, Signore prudentiſſimo, di buona natura e qualità, mancò di vita, e fu ſepolto in Montecalvo nella Chieſa di San Franceſco dell' Ordine de' Frati Minori: e per non eſſere pervenuto all' amminiſtrazione dello Stato, non è commemorato tra i Marcheſi di Monferrato.

Il predetto Anno, Amedeo Conte di Savoja fece ſcrivere al Marcheſe Teodoro le lettere del tenore infraſcritto.

„ Nos Comes antedictus promittimus harum „ ſerie, per noſtram bonam & legalem fidem „ noſtri corporis Illuſtri D. Theodoro Mar„ chioni, pronuntiabimus, præcipiemus, & „ faciemus, quod omnes Terræ, loca, caſtra, „ & fortalicia, quæ per Principem Achayæ, „ & ejus gentes captæ fuerunt D. Marchioni „ ex illis, quas dictus D. Marchio tenebat „ in dicta guerra, & poſt dictum tempus „ MCCCLXXXXVI. & quæ nomine ipſius „ Principis tenentur perſonaliter, & ſpeciali„ ter Civitas Montis-regalis cum ejus fortali„ ciis & pertinentiis, & loca Bannitii, Pipe„ ragni, Margaritæ, Bannetarum, & alia loca „ nunc tenta in dicto tempore capta, reſti„ tuentur liberè, & ſine ulla contradictione „ D. Marchioni prædicto infra menſem unum „ proximum, poſt pronuntiationem per nos „ fiendam, & quam facere promittimus, ut „ ſupra, infra duos menſes proximos, à data „ literarum poteſtatis nobis per dictum D. „ Marchionem dandæ. Ita & taliter, quod di„ ctus D. Marchio realiter habebit poſſeſſio„ nem corporalem de locis & fortaliciis præ„ dictis. Et quod ſic, & ut ſcriptum eſt, fa„ ciemus, promittimus ſub dicta noſtra bona „ fide, & obligatione bonorum noſtrorum. „ Et caſu, quo homines alicujus, vel aliquo„ rum dictorum locorum ſe opponerent, in „ permittendo dari poſſeſſionem prædictam, „ volumus teneri, dum ſtabunt in oppoſitio„ nem prædictam, ad ipſos tractandum, & „ tra-

„ tractari faciendum per nos, & quoſcumque
„ noſtros ſubditos, tamquam publicos inimi-
„ cos, & ad ponendum fortalicia, ſi quæ in
„ ipſis locis & diſtrictibus ſunt, ſicut fortali-
„ cium Baſtitæ, Caroſomi, Morezium, Ban-
„ netas, & Montaldum, in fortia prædicti D.
„ Marchionis. Et ad eundum nos, & Prin-
„ ceps, vel ſaltem nos, vel Mareſcallus no-
„ ſter, cum banneria noſtra, & cum lanceis
„ centum ad minus gentium armigerarum no
„ ſtris expenſis, & perſeverandum uſque ad
„ obtentum dictæ poſſeſſionis cum prædicto
„ D. Marchione, vel ſuo generali Locumte-
„ nente, & faciemus, quod prædictus Avun-
„ culus noſter Princeps prædicta effectualiter
„ obſervabit. Dat. Camberiaci die VII. menſis
„ Septembris MCCCC.

Poi alli ventidue del meſe di Novembre proſſimo, nel Caſtello di Chivaſſo, tra il predetto Marcheſe Teodoro, & Ibleto di Chialant, Capitano di Piemonte furono fatti gl' infraſcritti capitoli.

„ IN nomine Domini amen. Anno à Nati-
„ vitate Domini Milleſimo quadringente-
„ ſimo, Indictione octava, die 22. menſis No-
„ vembris. Actum in Caſtro Clavaxii, vide-
„ licet in camera appellata camera Conſilii,
„ præſentibus egregiis & nobilibus Viris Geor-
„ gio de Carretto ex Marchionibus Savonæ,
„ D. Uberto Natta utriuſque Juris Doctore,
„ Joanne de Camptolino Locumtenente infra-
„ ſcripti D. Capitanei, Franciſco de Manfre-
„ do ex Dominis Montilii, Rogerio Bellardo,
„ & Joanne Provana teſtibus vocatis & roga-
„ tis; quorum præſentia cum Magnificus D.
„ Ibletus D. Chalandi, & Montis-joveti, Ca-
„ pitaneus Pedemontium, &c. anhelans ad
„ bonum infraſcriptorum Illuſtrium Domino-
„ rum, ac Patriarum ſuarum, requiſiverit
„ Illuſtrem Principem, & D. D. Theodorum
„ Marchionem Montis-ferrati, ut de, & ſuper
„ quæſtionibus, debattis, & differentiis verten-
„ tibus inter eum ex una parte, & Illuſtrem
„ D. Principem Achayæ ex altera, velit face-
„ re compromiſſum in Illuſtrem Principem,
„ & Magnificum D. D. Comitem Sabaudiæ
„ ejus nepotem. Attento potiſſimè, quod ipſe
„ D. Comes affectat omnibus viribus bonum
„ utriuſque partis, & Terrarum ſuarum; &
„ quod etiam ipſe D. Comes in ſecuritate, &
„ tuitione ipſius D. Marchionis obſervabit &
„ adimplebit omnia cum effectu contenta in
„ quadam litera ejuſdem D. Comitis, data in
„ Camberiaco die 7. menſis Septembris. Et
„ ultra quod faciet, & concedet, & mittet
„ ipſi D. Marchioni infra dies viginti proxi-
„ mos alias literas infraſcripti tenoris, & in
„ eis expreſſa perficiet & adimplebit juxta
„ exigentiam & continentiam earumdem,
„ quarum literarum mittendarum primò tenor
„ infra ſcribitur.

„ Nos Amedeus Comes Sabaudiæ, ſentito
„ ac percepto per noſtrorum fide dignam re-
„ lationem, quod Illuſtris Avunculus noſter
„ cariſſimus D. Marchio Montis-ferrati, tam
„ ſingularem fiduciam & amorem geſtat in no-
„ bis, quod palam ſuper debattis vertentibus
„ inter ipſum, & Illuſtrem Avunculum no-
„ ſtrum Principem Achayæ, declarationem
„ noſtram ſe obtulerit acceptare, & per In-
„ ſtrumentum compromiſſi nobis præbere ple-
„ niſſimam poteſtatem: Viſum fuit honori no-
„ ſtro convenire, quod ſuper quibuſdam, quæ
„ inter dictos noſtros vertuntur, & verti poſ-
„ ſunt, Avunculos, & de quibus noſtri parte
„ eidem D. Marchioni datum fuit intelligi,
„ quid facturi ſumus, eidem tenore præſen-
„ tium pandamus. Et pro tanto medulliter
„ advertentes debatta prædicta, & recto tra-
„ mite intuentes, dicimus, & tenore præſen-
„ tium promittimus, & ſic ſub juramento no-
„ ſtro, & ſub fide noſtri corporis effectualiter
„ faciemus, quod de aliquibus damnis, ex-
„ penſis, & intereſſe illatis & paſſis hinc inde
„ temporibus retroactis in pronuntiamento per
„ nos ferendo vigore compromiſſi prædicti in
„ nos facti die 22. menſis Novembris, non
„ faciemus aliquam conventionem, nec dice-
„ mus, quod dictus D. Marchio teneatur ad
„ relaxationem, dimiſſionem, ſeu depoſitio-
„ nem locorum, quæ non fuerint capta per di-
„ ctum D. Marchionem eidem D. Principi
„ tempore guerræ, de qua fit mentio in com-
„ promiſſo. Item, quod ſuper facto Taurini,
„ Collegii, & Gaſſeni, dicemus ſolummodò,
„ quod ſententia arbitramentalis data Papiæ
Essendo venuto el Sig. Virgilio Orsino, e Pierino de' Medici con circa 25. Squadre di Cavalli, e assai Fantaria in Val di Chiana per voler rimettere Pierino in Fiorenza, il quale voleva da noi passo e vettovaglia, e offersecì a noi Sanesi, innanzi che entrasse sul nostro, darci el Ponte a Valiano, e la Bastìa, e pigliarla alle sue spese; e finalmente, come è detto, passò sul nostro senza darci el Ponte, con dare certe scuse, e andavano temporeggiando sul' nostro, e disfacevano el nostro Contado: E adì 4. di Dicembre el Sig. Pavolo Orsino con poca Gente cavalcò in Val d'Ambra, e predorono dei Buoi, e tra Cavalle, Asini, e Pecore circa 80.; e ritiroronsi.

Adì 8. di Dicembre 1495. el Re Ferrando Giovano riebbe a patti Castelnuovo di Napoli; el Padre suo Alfonso è morto a Mezzara in Sicilia.

Essendo stato tutta questa State grandi Piove, e continue fino di Dicembre, adì 4. detto in Venerdì traboccò in Roma el Tevere sopra le Strade tre huomini, & ha fatto molto danno, & è restata in Roma molta ribaldaria, & evvi morta Gente assai.

Le Genti del Sig. Virgilio Orsino, e di Pierino de' Medici, che sono pel Val d'Ombrone, per la Greta, e Val d'Asso, & altri luoghi, da prigioni in fuore, fanno ogn'altro male, cavano Grano delle Fosse, scassano case, e robbano ciò, che trovano, per lo servizio del Ricetto hanno da noi. Ma poco prudente giudico chi credesse, che tali Genti desideresse altro, che male alla Republica Sanese; e cominciorono a buon'ora a non osservarsi i Patti, che innanzi entrassero sul Terreno de' Sanesi ci dovevano dare el Ponte a Valiano, e non l'hanno fatto.

La Signoria di Venezia ha rimesso in Faenza un Fratello del Signore contro la volontà de' Fiorentini, che l'avevano in protezione, & eranne come Signori.

Adì 3. di Gennajo 1495. in Domenica venne di Pisa un Figliuolo di Maestro Andrea Calzolajo Tedesco, e recò un polizzuolo stretto nascoso in un cento alla Balìa di Siena; e conta sotto brevità, come e Pisani hanno avuto la Cittadella di Pisa dal Castellano Francioso; e come al Castellano hanno dati sedicimila Ducati, e due mila alla Fantaria, e come immediate che l'ebbero avuta, si dero a guastare a Populo.

E adì 4. detto con tutta la notte misse una grandissima Neve; e adì 7. la notte fu un grande Tremtuoto.

A dì 9. di Gennajo. El Sig. Virgilio Orsino, e Pierino de' Medici partirono da Sciano; e vanno verso Todi mal contenti, e vani della loro Impresa; e a noi non hanno osservata la fede, e disfatto el nostro Contado, e Cittadini, e Contadini; e questa lor venuta fu per ordine di pochi di Balìa, con patto d'aver prima el Ponte a Valiano, e non avendoci osservata la fede, non si è proceduto più innanzi.

Giovedì adì 28. di Gennajo Miss. Bartolomeo Sozzini andò Imbasciadore a Milano per via di Piombino, per non fidarsi per quel di Firenze, perchè i Fiorentini l'hanno minacciato, perchè dicono, quando el Re di Francia entrò in Pisa, & essendovi condotto a leggere, el detto Miss. Bartolomeo sollevò i Pisani a domandare al Re grazia, che li dovesse liberare, & anco al Re li raccomandò,

e però

e però li Fiorentini l'hanno in odio.

A consolazione di chi avesse caro di saperlo, e non d'altri, so noto, come nel Duomo, e Chiesa Cattedrale di Siena, e per ornamento di essa, cioè nelle Volte, e Archi, oltre alli azzurri, e belli fregi di variati colori, sono state messe nelle dette Volte ottomila ottantaquattro Stelle, computato cento grandi, che sono nella Tribuna. Item Baccinetti mille secento trentotto con quelli della Tribuna, che sono 120. Item Rose 1153., in tutto pezzi 10875. tutti dorati; E questo ornamento ha fatto fare Miss. Alberto Aringhieri Operajo di Duomo, e Cavaliere di San Giovanni.

Domenica sera adì 31. di Gennajo 1495. circa ore 22. vennero a Fonte Becci le Genti de' Fiorentini a cavallo, e a piei; cioè il Duca d'Urbino, el Conte Ranuccio da Marciano, & altri lor Condottieri, e con gran quantità di Cerne; e con li nostri Fuorusciti, e lor Commessarj erano Pier Giovanni da Ricasole, Pier Capponi, Braccio Martelli, e Bernardo Nasi, & avevano con esso loro squadre 22. di Cavalli, e vennero fino al Palazzo de' Diavoli, e lì n'albergò una parte, e tutto el resto da inde in là. E in Siena tutti li Cittadini con lo Signore Giovan Savello nostro Condottiere si missero in arme, e providdesi alla Guardia della Città; e parte della Gente andò a trovare e Nimici, e fu tolto un cavallo Giannetto a uno de' nostri Fuorusciti; e tamen annotandosi, la Brigata si ridusse sul Prato a Camollia, e parte s'andorono a riposare, e a Porti aperte. E inteso, e veduto li Commessarj, e Condottieri Fiorentini, e Fuorusciti, che dentro non si faceva alcuna novità, ma che eravamo tutti disposti a difendarci dalli nostri cordialissimi Nimici Fiorentini, e non per non volere i nostri Cittadini Fuorusciti, ma con altro modo; sichè la notte *insalutato hospite* se n'andorono per tre vie, cioè per Val d'Elsa, per lá Castellina, e per Chianti; & era tanta la Gente, che s'era condotta, e che si conduceva con sacchi in collo, che è cosa incredibile a dirla. Che se cominciavano a entrar dentro, tutta la Città metteva a sacco e fuoco; & in questo li Fiorentini giontorono li nostri Fuorusciti, che lo' derono ad intendere di menar manco Gente in lor favore; e così faranno sempre mai di cercare di ruinare la Città di Siena, se potranno. Ma Dio ne lo' tolga la possa, e a noi dia concordia, e pace tra li nostri Cittadini; e chi non volesse vivare con giustizia, se ne sperga il seme.

Adì 26. di Ferrajo 1495. e Genovesi ebbero da' Francios Serazzana, e Serazzanello in Venerdì; e pagarono 22. milia Ducati; e Fiorentini rimasero bocco.

Adì 26. di Marzo il Marchese di Mantova entrò in Roma, e va nel Reame in favore del Re di Napoli, per cacciare i Francios, & è huomo della Signoria di Venezia, con Cavalli . . . . . .

Adì 30. di Marzo venne un Cavallajo da Lucca a notificare alla Signoria di Siena, come i Luccheſi avevano avuto da' Francios Pietra Santa, e Motrone, e pagato Ducati 25. milia. e Ducati 4. milia per mangiami; in tutto Ducati 29000.

Adì 4. d'Aprile 1496. fu detto, e avverato per molti, che fuor della Porta a Laterino era piovuto sangue; & evvi andata molta Gente a vedere: tamen gli Uomini di giudizio non lo credono.

Adì 9. detto venne nuove da Lucca, come e Pisani di notte assaltorono el Campo de' Fiorentini nella Valle di Calcio innanzi dì, & ammazzoronne, e presenne assai.

Adì 15. d'Aprile 1496. Pietro di Nofrio Borghesi scoperse un Trattato menato per lui, Maestro Luzio Belanti, Giorgio Vieri, e Prode Capitano della Piazza, e quali volevano rimettare in Siena i Reformatori Fuorusciti con favore de' Fiorentini, e ammazzare certi Populari, e quali non vo' nominare. El detto Prode Capitano della Piazza riprese Pietro Borghesi, che haveva detto contro di lui falsamente; e Pietro ratificò, e disse di nuovo, esser vero ciò, che haveva detto. Aggiunse Pietro al Capitano, che si dovesse andar con Dio; e'l Capitano disse, che non se ne voleva andare. Di poi Pietro con certi compagni lo andò a trovare a casa, e ferillo; e lui si fuggì in Palazzo de' Signori, per non esser morto; questo fu adì 23. detto.

Adì 22. d'Aprile venne in Siena Miss. Antonio Stanga Imbasciadore del Duca di Milano, e fulli trovata la stanza in casa dell'Erede di Giovanni di Guido di Carlo Piccolomini sul Campo.

Lo sopradetto Trattato di Maestro Lutio avevano ordenato, e tratto fuor voce, che fusse apparita la Vergine Maria a uno Schiavone, che stava a Fonte-Nuova in Siena, el quale Schiavone diceva, che si dovesse fare una Processione con tutto il Populo, e andare a offerire a S. Maria a Tressa, che così voleva e comandava la Vergine Maria; e per pochi dì ebbe tanto concorso di Persone il detto Schiavone a casa sua, che fu una maraviglia; ed *etiam* li furo fatte delle limosine; e questo fu ordenato, per poter meglio eseguire il lor disegno. Ma Dio non volse.

Item si dice, e così afferma Fazino di Pier' Antonio da Sticciano, che lo spirito di Fogna già sua Donna era apparito, e venuto in casa, e parlato a certe fanciulle, e una fantesca, e annunziava di molto male alla Città, se non si teneva altri modi. E pertanto erano li Cittadini tanto impauriti, e per lo sangue si diceva esser piovuto, che alcune Compagnie della Città cominciorono a far particolari Processioni, e di mano in mano tutte le Parrocchie di Siena con tutto il lor Populo maschi, e femmine; e tutti andavano all'Altare di nostra Donna di Duomo, e offerivano un Cero; e chi riscoteva prigioni, e offeriva; e chi maritava una fanciulla; e facevano cantare una Messa Solenne al detto Altare. E simile fecero tutte le Compagnie di Siena, chi di dì, e chi di notte, battendosi, e scalzi, e sempre cantando Letanie, e altre buone Orazioni, acciochè Dio ci liberasse dalle tribulazioni. Questo fu innanzi allo Schiavone: non so che me ne debbia dire.

Adì 6. di Maggio 1496. La Balìa fe' Capitano della Piazza el Signor Giovanni Savello, non tollendoli la condotta delli huomini d'arme, che ha da questa Signoria di Siena. E questo dì è venuto da Pian Castagnajo un Romitello, mandato da Frate Filippo de' Mancini, che sta in uno Romitorio presso a Piano nella Montagna, il quale tiene vita molto stentata, e non mangia cosa cotta. El detto Romitello haveva sur un bastone una testa di morto con una polizza attaccata,

che

che diceva: *Ecce venio cito, & velociter. Eſtote parati*. E poſe detto teſchio ſu l'Altare Maggiore di Duomo per comandamento di detto Frate Filippo; e al ſecolo era chiamato Pippo Quadro.

Adì 16. di Maggio 1496. Miſs. Franceſco Secco Condottiere de' Fiorentini poſe uno agguato a un ponticello preſſo a Vico Piſano, el quale ponte lo doveſſero tagliare, quando le genti de' Piſani, che ſtavano in Caſcina, paſſavano il detto ponte; e paſſorono 18. cavalli leggieri, e certi Fanti, e non paſſandone più, fu tagliato il detto ponte, e preſi tutti i cavalli. E Miſs. Franceſco Secco fu morto di un Paſſavolante di Caſcina. E però quelli, che inganni fanno, quando lor torna el danno, è coſa giuſta.

Adì 4. di Giugno in Sabbato furono due grandiſſimi Tremuoti.

Adì 15. detto Miſs. Bolgarino Dottore andò a Venezia Ambaſciadore della Signoria di Siena.

E Piſani corſero adì 24. di Giugno fino a Bibona, e preſer la Terra, e molti prigioni, e beſtiame.

Fino a queſto dì .... di Luglio 1496. e Francioſi hanno avuto una rotta nel Reame, ed è ſtato morto Camillo Vitelli da Città di Caſtello.

Item e Piſani avendo cavalcato fra preſſo a S. Gimignano, e fatta grandiſſima preda, finalmente li fu ritolta, e preſi circa 50. cavalli de' loro.

Adì 20. di Luglio eſſendo aſſediati i Francioſi nel Reame a una Terra, chiamata la Fella, e non avendo di che vivare, domandonno patti al Re, e finalmente ebbero tempo 20. dì, e in caſo che ſoccorſo del Re di Francia non veniſſe, che loro s'arrendino al Re di Napoli, e il Re li debbi mandare in Francia per Mare, e non poſſino ſmontare, nè toccare in niun luogo in Italia; e debbano laſſar l'arme, e cavalli; e debbano dare ſei Statichi, cioè due Taliani, due Francioſi, e due Svizzeri. E in caſo che ſoccorſo veniſse, non s'intenda eſſer ſoccorſo, ſe non eſce fuore alla campagna, e facci una volta fatti d'arme col Campo del Re di Napoli, e non ſtia in Terra murata; con condizione ancora, che ſe alcun Signore del Reame ſe ne voleſſe andare in Francia, poſſi; ſe nò, reſtare alla diſcrezione del Re di Napoli.

A Montepulciano è ſtato preſo Cenni di Goro di Cenni, che ordinava un trattato in Montepulciano.

Adì ... d'Agoſto fu dato ſoccorſo di gente, e vettovaglia a Gaeta di Navi Francioſe. E Signori; cioè Monſignore di Monpenſiero, e Signor Virgilio Orſino, Pavolo Vitelli, e altri Signori ſono Prigioni del Re di Napoli. E li Saneſi hanno poſto Campo al Baſtione di Valiano. E li Piſani hanno cavalcato in quel di Campeglia, e di Volterra.

Adì 4. di Settembre fu preſo un Giovan' Antonio del Veſcovo da ..... el quale è ſtato già noſtro Soldato. Preſelo Baldaſſarre di Scipione Rimbotti nell' Oſteria di Caſtiglioncello, preſſo a Staggia; e confeſsò, come Maeſtro Luzio Belanti aveva trattato, e capitolato con li noſtri Fuoruſciti, e dovevano ammazzare, Pandolfo Petrucci, e Giacoppo ſuo Fratello Neri Placidi, Miſs. Antonio Bichi, e Firmano ſuo Figliuolo, e Miſs. Niccolò Borgheſi, & altri. E le dette Convenzioni, e Capitoli ſi moſtrano ſcritti, e ſoſcritti per le mani di piu Perſone Fuoruſcite.

Adì 15. di Settembre fu dato bando di Ribello a Maeſtro Luzio Belanti Dottore in Medicina; e qualunque Ribello, o Sbandito l'ammazzaſſe infra 100. miglia, haveſſero 300. Ducati, e fuſſe reſtituito alla Patria, e nella Robba; e qualunque altro, che non fuſſe Sbandito, o Ribello l'ammazzſſe pur fra le 100. miglia, aveſſe Ducati 500. E trovaſi Miſs. Lonardo ſuo Fratello carnale in Palazzo Capitano di Populo.

E Fiorentini ſi ſono dolti con li Saneſi, che loro faccino tirare con l'Artegliaria da fuoco alla Torre di Valiano; e proteſtano, che ſe ſeguitano el tirare, s'intenda eſſer rotta la Guerra infra loro ſenza Montepulciano. E li Saneſi hanno riſpoſto, che e primi ſono ſtati loro, cioè quelli della Torre di Valiano a trarre al noſtro Campo dì e notte; e che ſe volevano, che fuſſe rotta la Guerra, ſteſſe a loro. E adì 26. di Settembre le lor Genti d'Arme, cioè circa ſei Squadre di Cavalli, e 2000. Fanti paſſorono da Fojano, e vennero alle Bertole ſul noſtro. E adì 27. detto Giovanni Savello noſtro Condottiero, e Commeſſario fero levare il Campo, e ridurſi al ſicuro.

Adì 8. d'Ottobre ſon venute lettere, che affermano, el Re di Napoli eſſer morto adì V. detto. Poco è ſtato Re.

E Montepulcianeſi hanno deliberato adì detto, e vento fra loro in Conſeglio, che i Saneſi faccino la Rocca in Montepulciano per ſtar con l'animo più ſicuro.

Adì 11. d'Ottobre Antonio d'Andrea della Vacca haveva contrafatte le Chiavi della Porta a S. Marco per rimettare i Fuoruſciti, e provandole, ne ruppe una nella ſerratura; e viſto, che la coſa non era atta a riuſcire, tentò Auſtino di Martino Portiere del Monte de' Dodici, narrandoli el ſegreto; e che ſe lui voleva ajutare con ſegreto modo a trarre la detta Chiave rotta, che li farebbe fare, e dare buona parte; e che aveva tal commeſſione da' Fuoruſciti, che poteva in tutto quello, che biſognava. E finalmente Auſtino diſſe di farlo, e voler andar per un Magnano, che cavaſſe la detta Chiave, e ſubbito lo andò a rivelare a Pandolfo Petrucci. E perchè s'indugiò a trovar Pandolfo, el Bargello, el detto Antonio della Vacca s'indovinò della coſa, e andoſſi con Dio, e fu preſo Ser Luca Piovano di Sarteano.

Fino adì 23. di Settembre 1490. morì Miſs. Borgheſe di Miſs. Auſtino Borgheſi Dottore, huomo di gran cervello, e governo; ed era el primo del Monte de' Nove e di tutta la Città, el qual Monte de' Nove teneva il Principato del Governo, come più atto Monte al Governo, per benchè adoperaſſe le forze de' Proviſionati, che tenevano alla Piazza, e Gente d'arme per la Città, con molti Spadaccini, e Cagnetti, a' quali davano proviſione alle ſpeſe de' povari Cittadini. El detto Miſs. Borgheſe quando morì laſsò per ricordo a' ſuoi, che avevano a governare, ſe volevano ſtare in Sedia, tre coſe, cioè: Che ſi teneſſe fermo el Governo del Reggimento a un Monte: Secondo la Balìa: Terzo e Proviſionati. E perchè nella Balìa fuſſe di tutti i Monti, dalli Nove in fuore, non vi era

Digitized by Google

era huomo, che poteſſe più, che ſi voleſſero quelli del Monte de' Nove; e chi non faceva a lor modo, era il mal trovato; e così hanno fatto fin queſto dì, e faranno, ſe Iddio non ci provede. Sotterroſſi el detto Miſs. Borgheſe adì 25. in Sabbato, e fulli fatto grandiſſimo onore alla ſua ſepultura, con molti Doppieri, & altra Cera. Stimo, che Pietro non li avrà potuto tenere ſerrata la Porta a sì gran Barbaſſorro.

Adì 26. d'Ottobre di notte gionſero in Siena due Ambaſciadori di Maſſimiliano Imperadore, e Re de' Romani, el quale ſi trova a Piſa in favore, e per difender Piſa da' Fiorentini, come huomo della Lega, e lor Soldato, e per ſuo intereſſe: E la mattina adì 27. li detti Ambaſciadori andoro alla Signoria a eſporre la loro Imbaſciata, e domandoro, che li Saneſi mandaſſero due Imbaſciadori all'Imperio. Secondo volevano due noſtre Bombarde. Terzo le noſtre Genti pagate. Quarto, che non ſi faceſſe accordo neſſuno con li Fiorentini.

Adì 29. detto tornò Miſs. Bulgarino da Venezia, che era Ambaſciadore per la Signoria di Siena.

Adì 31. detto venne un Cavallajo della Signoria Fiorentina a notificare alla Signoria di Siena, come l'Armata del Re di Francia era gionta a Livorno, e dato ſoccorſo per li Fiorentini di Gente, e di gran quantità di Grano: Et inſieme è avviſo di più luoghi, come ſono pochi Legni ſoldati per li Fiorentini, per condurre il lor Grano di Provenza, o d'altri luoghi, perchè n'hanno gran careſtia; e funne preſi parte de' detti Legni dall' Armata dell' Imperadore, e de' Piſani. El Grano, che entrò in Porto, non nel potranno trarre a lor poſta, perchè le Genti de' Piſani lo' romparanno la via. E li Fiorentini hanno fatto gran feſta, per dimoſtrare, che hanno del Grano aſſai, acciochè noi allarghiamo la mano a dar lo' del noſtro; E queſta ſera ſono partite le noſtre Bombarde di Siena, per andare a Livorno per via di Talamone a petizione dell' Imperadore.

Adì primo di Novembre 1496. ſi ſcoperſe la Nunziata, fatta di nuovo dietro all' Altare Maggiore di Duomo all' entrata de' nuovi Signori, eſſendo Capitano Miſs. Sozzino Begliarmati. E ſon partiti l'Imbaſciadori dell' Imperio per via di Fiorenza.

Adì 2. di Novembre 1496. partirono di Siena Miſs. Andreoccio Ghinucci Veſcovo di Groſſeto, e Miſs. Giovan Battiſta di Miſs. Santi, per andare Ambaſciadori a Maſſimiliano, che è a Piſa.

Aliſſandro di Scipione Rimbotti eſſendo Caſtellano di Portercole, preſe, o vero comprò Ducati 100. un Padrone di Nave Franciſo che ruppe in terra, chiamato Monſignor della Torre, e vendello a un Genoveſe 500. Ducati: la qual coſa diſpiacque a tutta la Città, e al Banco de' Pini, e Compagni, che avevano la Ragione, e'l Traffico a Lione in Francia, lo' parbe mala novella. E ſubbito mandonno un Cavallajo a Staffetta a loro di Lione a notificar lo' il fatto, acciochè ſi ſalvaſſero per lo meglio ſi poteva: E mentre hanno mandato a far riſquotare el detto Prigione per lo meglio ſi potrà, acciochè il lor Traffico in Francia non vadi male: E per queſto la Balìa ha tolto al detto Aliſſandro la detta Rocca, che l'haveva con li ſuoi Compagni per anni . . . . . e hannola conſegnata a detti Pini per lor danni, e intereſſi. Eraci aſſai Cittadini, che l'arebbeno voluto impiccare, e chi mandar preſo al Re di Franoia, per dimoſtrar, che tal coſa non era di voluntà del Publico, nè etiam de' Privati; e ſe non fuſſe ſtato de' Nove, forſe &c.

Alcuni di Balìa, che poſſono più degli altri hanno voluto da Miſs. Alberto Aringhieri Operajo di Duomo Ducati 1400. d'oro; e hannoli avuti in due volte; e Pandolfo Petrucci ha promeſſo, e giurato più volte di ſtrani giuramenti contra di sè, e de' Figliuoli, che li ſaranno renduti in ogni modo.

E nel 1480. Antonio Belanti, Miſs. Placido Placidi, e Miſs. Lonardo d'Andrea di Tolomeo ſe ne fero preſtare dal detto Miſs. Alberto in due volte Ducati 1300., e per anco non ſono renduti. E a queſto modo la Vergine Maria è pelata. O per queſto; o per le novità, o per qualunque altra coſa ſi fuſſe, a tutti a tre fu tagliata la teſta per le Rocche; e credo, che Iddio lo permetta, e permetterà, per voler maneggiare e danari della Chieſa, de lo Spedale, e della Pietà, e tutte l'Entrate del Comuno di Siena, con molte preſte, che ſi pongono, e vendeſi l'Uffizj. Iddio provegga.

IL FINE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
BONONIENSES
F. HIERONYMI DE BURSELLIS
BONONIENSIS
ORDINIS PRÆDICATORUM
Ab Anno MCDXVIII. uſque ad MCDLXXXXVII.

Nunc primùm prodeunt

Ex MSto Codice Bononienſi.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ANNALES BONONIENSES

FRATRIS HIERONYMI DE BURSELLIS

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII

JAm dedi Annales Bononienſes *Matthaei Griffonis* Latine ſcriptos; dedi & ejuſdem Urbis *Miſcellam Hiſtoriam* in Tomo XVIII. Collectionis hujus. Et nonnullis quidem videri poſſit, ſatis per hoſce Scriptores conſultum dignitati praeclariſſimae Urbis; ejuſque res geſtae hujuſmodi ſubſidiis in ſat bono lumine collocatae nihil ultra expoſcere credantur. Verum non ſatis mihi viſum eſt, cupienti Bononienſium ſplendorem atque eruditionem amplificare, quantum per me liceat, ſimulque meum erga Cives illos mei amantiſſimos obſequium luculentius teſtari. En ergo novum Opuſculum de Bononienſium rebus, nempe Annales ejus Urbis ab Anno 1418. uſque ad Annum 1497. digeſtos curâ *Fratris Hieronymi de Burſellis Ordinis Praedicatorum*, quos uti numquam antea editos & mihi indicavit, & e MStis Codicibus deſcribendos curavit Johannes Baptiſta Bianconus Bononienſis, Prior Parochialis Eccleſiae *della Maſcarella*, & publicus Literarum Graecarum Profeſſor in Bononienſi Gymnaſio, mihi ſingulari neceſſitudine & amicitiae foedere junctus. Diffiteri autem nolim, Scriptorem hunc non ab Anno revera 1418. ſed quidem a remotiore aevo initium feciſſe ſcribendi. Attamen quando Griffonis antiquioris Auctoris Annales jam habemus uſque ad Annum 1426. deductos, ſatius duxi Burſellianos Annales in ea tantum parte retinere, quae Griffonianae lucubrationis continuatio foret, adjectis decem praecedentibus annis, ut inde comparatio narrationis fieri poſſit inter utroſque, ſcilicet inter hoſce diverſos Annales. Ad Burſellum vero quod attinet, eum Albertuccia Familia protulit; ſed quia pro more temporum genti huic ſuperadditum fuerat *Burſelli* agnomen, hinc factum, ut & ipſe *Frater Hieronymus de Burſellis* appellaretur. Quis illi pater fuerit, teſtem ipſum dabo ad Annum 1445. ubi Annibalis Bentivoli necem enarrat, in haec verba ſcribens: *In hoc furore occiſus eſt & Petrus de Burſellis, ſive de Albertuciis, qui amore accenſus patriae arma corripuit, Canetuloſque quantum valuit, impugnavit. Nec aliquis miretur, ſi militem gregarium inter Nobiles pono, quia hic meus genitor fuit, qui haec ſcribo.* Ordini Praedicatorum nomen ſubinde dedit Hieronymus, ibique pietatis ac literarum profeſſione adeo claruit, ut ſuis temporibus inter praeclariores numeraretur. Neque ejus nomen Eruditis antehac ignotum. Leander Albertus de Vir. Illuſtr. Ord. Praedicat. Lib. IV. pag. 146. laudat *Hieronymum Albertuccium Bononienſem, cognomento Burſellum, virum rariſſimum, & in praedicando diſertiſſimum*, cujus etiam vitam idem Leander ſe ſcripſiſſe tradit. Rurſus in deſcriptione Italiae, ubi de Bononia, ejuſque Hiſtoricis agit, eumdem Burſellum Praedicatorum Ordini adſcriptum memorat, eique tribuit brevem *Hiſtoriam Pontificum Romanorum uſque ad Alexandrum VI. & Librum de compluribus Italiae Civitatibus & Chronicon Ordinis Praedicatorum*, ac demum *Chronicon Bononienſe, uſque ad Annum* 1497. illud nempe, cujus poſtremam partem nunc eo vulgatum. Paria de illo habent Antonius Senenſis Luſitanus in Biblioth. Ord. Praedicat. & Michaël Plodius (ſive Piò) in Vit. Viror. illuſtr. Ord. Praed. in Appendice col. 414. & Ambroſius de Altamura in Bibliotheca Ord. Praedic., ubi eum nobis exhibet in Bononienſi Civitate Anno 1493. *Inquiſitorem haereticae pravitatis*; & Vincentius Rivalius in Catalog. illuſtr. Scriptor. Lombardiae, & Bumaldus, hoc eſt Ovidius Montalbanus in Minerval. Bononien. Illius quoque honorifice mentionem fecit Andreas Rovetta Ord. Praedic. in Biblioth. Chronolog. illuſtr. virorum Provinciae Lombardiae ad Annum 1494. Cent. III. eum appellans *virum ſui ſeculi ſplendidiſſimum jubar, Provinciaeque Lombardiae gloriam, qui*

Con-

Digitized by Google

Conventus Bononienſis exſtitit jure merito Studii Generalis Regens, Prior, ejuſdemque Urbis Apoſtolicus adverſus haereticam pravitatem Inquiſitor &c. Praeterea Gallici viri PP. Quetif & Echard in Libro de Scriptorib. Ord. Praedicat. ante paucos annos edito Burſellum multis commendant, eumque teſtantur ex pleuritide Anno 1497. die XXV. Novembris naturae legibus ſatisfeciſſe. Quae ſi certa ſunt, neceſſe eſt, aliena manu addita fuerit hiſce Annalibus electio Julii II. Summi Pontificis non ſemel heic memorata.

Quos vero ingenii ſtudiive ſui fructus poſt ſe Burſellus reliquerit, nunc eſt edicendum. Plerique ejus Libri ad Hiſtoriam pertinent, & fere omnes adhuc MStos ſervari Bononiae in Conventu Sancti Dominici, nonnulli memoriae prodiderunt. Sed eorum pars potior noſtris temporibus, uti ego certior ſum factus, illic fruſtra conquiritur. En horum catalogum ex praememoratis Scriptoribus excerptum.

Annales Ordinis Praedicatorum ab Anno 1215. uſque ad 1484.
De Viris illuſtribus Ordinis Praedicatorum.
De Generalibus Magiſtris Ordinis Praedicatorum.
Annales Coenobii Bononienſis Sancti Dominici ab ejus exordio uſque ad ſua tempora.
Chronicon, ſeu Epitome geſtorum ab Orbe condito uſque ad Annum 1497.
Hiſtoria Romanorum Pontificum a Sancto Petro ad Alexandrum III. Papam.
Chronicon, ſeu Deſcriptio complurium Italiae Civitatum.
De Doctoribus aſſerentibus Deiparam originali peccato fuiſſe aliquando obnoxiam.
Sermones de tempore per totum annum.
Sermones varii de Sanctis.
Liber Sermonum pro tempore Quadrageſimali.

Denique *Annales Urbis Bononiae*, quorum portio ad complementum Bononienſis Hiſtoriae nunc mihi eſt evulganda.

AN-

Digitized by Google



ANNALES
BONONIENSES
FRATRIS HIERONYMI
DE BURSELLIS.



Nno Dom. 1418. Martinus V. Pontifex Maximus Mantuæ existens nuntium Bononiensibus misit, qui dicebat se velle venire Bononiam & ejus dominium obtinere. Ad eum missi sunt Ambasciatores Dominus Bartholomæus de Manzolis, Dominus Florianus de Castro Sancti Petri, & Matthæus de Canetulo. Conclusum est cum Pontifice, ut septem millia Florenos Ecclesiæ solverent Bononienses; Papa autem non ultra se intromitteret de regimine Civitatis.

Consilium Populi abdicavit quosdam à Magistratu, & creavit novos, qui Libertatis Defensores essent. Fuerunt autem hi, Antonius Bentivolus Doctor, Gozadinus de Gozadinis Miles & Doctor, Antonius Guidotus, Matthæus Canetulus, Ludovicus Malvitius Basilius de Arengheria, Matthæus Marescalcus, Nicolaus de Foglia, Paulus Napeus, Nicolaus Zambeccarius.

Frater Manfredus Ordinis Prædicatorum Vercellensis Bononiam veniens cum magna multitudine, quæ illum sequebatur, quia vir sanctissimus habebatur, quatuor mensibus prædicans, magnos peccatores convertit ad pœnitentiam; deinde multiplicatâ sequelâ virorum & mulierum Romam accessit.

A Anno Domini 1419. Dominus Antonius filius quondam Domini Joannis de Bentivolis palatium Communis ingressus armata manu, Civitatis regimen sibi vindicare volebat. Matthæus de Canetulo se opposuit cum sequacibus suis. Ex utraque parte *Vivat Populus & Artes* clamabatur. Congregata multitudine in platea Civitatis, ut pugnarent ad invicem, Dominus Bartholomæus de Manzolis, & Antonius de Guidotis tumultum sua prudentia sedaverunt, jussumque est, ut omnes arma deponerent.

Baptista de Canetulo, Balthasar frater, & filii Matthæi Veronam ad confinia missi sunt.

B Decreto publico mandatum est, ut meretrices recederent de loco turris Catelanorum, & ad locum eis deputatum illico irent, qui est locus, ubi aliàs fuerunt domus illorum de Andallò.

Anno Domini 1420. Martinus Quintus Pontifex Maximus videns statum Civitatis Bononiæ male ac pessime gubernari, Bononiensibus nuntium misit, qui dixit, Pontificem libere velle dominium Civitatis. Responsum est, quòd secundùm prima Capitula stare volebant. Ambasciatoribus nostris minatum est interdictum, & bellum, nisi mandatis Ecclesiæ consentirent. Perseverante contumacia regiminis nostri, interdicta est Civitas, &

C bellum inceptum, Braccio de Perusio copiarum Ecclesiæ Duce. Bononienses damna sua prævidentes, finaliter cum multis capitulis dominium Civitatis Ecclesiæ tradiderunt. Cardinalis Venetus Dominus Gabriel Condolmerius, qui ibat Legatus in Marchiam, loco Papæ Bononiæ honoratus est, donec de

alio

Digitized by Google

alio Legato per Pontificem est facta provisio.

Dominus Antonius de Bentivolis Doctor, ne forte contra Ecclesiæ statum aliquid ageret, per Pontificem factus est Comes Campaniæ cum conducta multorum bellatorum. Castrum Bolognesium pro suo honore & stipendio accepit à Papa.

Anno Domini 1421. Dominus Alphonsus Hispanus Cardinalis Sancti Eustachii Bononiam à Papa Legatus missus est. Ille alius accessit in Marchiam Anconitanam.

Legatus Baptistam, & Baldaseram de Canetulo ab exilio revocavit; Bentivolos vero iniquo animo persequi cœpit; nam cum quosdam Cives Bentivolis fidissimos nihil tale suspicantes ad se venire jussisset, eos carceri mancipavit. Hi fuere Antonius, & Benincasa de Bargellinis, Joannes Blanchetus, Nicolaus Stancabos, Andreas de Albertutiis. De multis etiam amicis Bentivolorum factum est idem in Sancto Joanne in Persicero.

Ad Ducem Mediolanensem confœderatum Papæ missi sunt Ambasciatores à Legato Riccardus de Pepulis, & Ludovicus Muzarellus. Dominus Nicolaus Episcopus Bononiensis ad Regem Galliæ à Pontifice Martino missus est.

Anno Domini 1422. Cingari primò venerunt Bononiam, multos incautos decipientes. Dicebant, se ex Ægypto venire, & expulsos à dominio suo, & habere furandi licentiam usque ad quamdam pecuniæ quantitatem. Ad horum confirmationem quasdam Bullas falsas demonstrabant. Visum tamen est postea, quòd Cingari gens est de quibusdam Insulis contra Siciliam sitis.

Anno Domini 1423. cum Dominus Antonius de Bentivolis Castrum Bolognesium teneret, Legatus Bononiæ illuc exercitum misit, ut omnia nascentia terræ destruerent, nisi inde Dominum Antonium prædictum expellerent.

Dominus Antonius prædictus timens damnum habitatorum Castri, acceptis quingentis aureis, cum fratre suo Hercule inde recessit.

Grassante in multos Epidimia cum lacrymis omnium Processio celebrata est.

Executor Prætoris a Domino Galeoto de Canetulo sindicatus, Matthæo de Griffonibus, Ludovico Muzzarello, secundum merita capite plexus est.

Dux Mediolani Philippus contra Malatestas bellum movit, cui Legatus Bononiæ favebat; Imolam furto accepit, capto Domino Ludovico de Alidosiis Domino Imolæ.

Anno Domini 1424. Dominus Bernardinus de Zambeccariis Legum Doctor valde peritus, mortuus est, & sepultus in Ecclesia Sancti Francisci.

Martinus Pontifex Dominum Alphonsum Legatum Bononiæ revocavit, & misit Dominum Cardinalem Condolmerium superius nominatum. Res magnæ tunc in Italia gerebantur. Dux Mediolani Philippus magnam ac potentissimam classem, Duce Guido Torello, Neapolim misit contra Alphonsum adoptivum filium Reginæ Ioannæ, Martino Pontifice suadente. Braccius de Montone cum suo exercitu fusus est. Comes Franciscus Sfortia à Duce Mediolani recedens, Marchiam invasit. Concilium, quod fieri Papiæ debebat, Senas propter pestem translatum est. De Senis autem Basileam cum termino annorum septem. Braccius de Montone apud Aquilam ab exercitu Ecclesiæ occisus est. Hujus exercitus caput & ductor fuit Dominus Franciscus de Pizolpassis Bononiensis, & Episcopus Aquilanus: ejus solertiâ Braccii exercitus confractus est.

Prædictus Condolmerius, quia secrete cum Florentinis sentiebat, a Pontifice revocatus est; loco ejus missus est Bononiam in Gubernatorem Dominus Ludovicus Archiepiscopus, qui pauco intercedente tempore pileum Cardinalatus accepit, & legationem. Hic bene ac sapienter Civitatem rexit.

Angelus Pergulanus Imolam de manu Ludovici proditorie accepit nomine Ducis Mediolani. Ludovicus cum filio Mediolanum ductus, & a Duce libere quò vellet abire jussus, Ordinem Minorum ingressus, post parum vita functus est.

Anno Domini 1425. Bononiæ collacrymatum est propter severitatem Nicolai Marchionis Ferrarienſis, qui Dominam Parisiam de Malatestis Uxorem suam decapitari fecit, & filium suum spurium similiter, quia ambo simul ex amore coibant.

Dominus Antonius, & Hercules Bentivoli ad stipendium Florentinorum militantes, Hercules apud Faventiam contra Ducem Mediolani viriliter pugnans occisus est.

Palatium Legati ad Aquilonarem partem incœptum est cum armis Papæ Martini Columnensis.

Anno Domini 1426. Dominus Nicolaus de Albergatis, Cartusiensis, & Episcopus Bononiensis, per Martinum Quintum, ipso renitente, quia sanctus erat, Cardinalis tituli Sanctæ Crucis effectus est. Accepto pileo ad componendum pacem inter Venetos, & Ducem Mediolani, Venetias a Pontifice missus est. Ad ingressum ipsius de Roma Bononiam magnum festum celebratum est.

Acutum tectum de testudine, & laminis plumbeis ornatum, super Campanile Sancti Petri, qui prius erat de ligno, Episcopus Bononiensis ex pecuniis Fabricæ fecit. Lapis autem in modum lilii sculpti tectus est auro, qui in summitate positus est: ad inaurandum ducati 40. expositi sunt.

Superiora Turris Asinellorum lignea incuriâ Custodis incensa sunt. Ultra ignis progredi non potuit propter testudinem superius positam.

Anno Domini 1427. Hospitale Mortis fundatum est. Primarium lapidem Dominus Legatus posuit in columna versus plateam, ubi sunt ejus Insignia. Rector dicti Hospitalis tunc erat Ser Bernardinus de Maletis procurator, vir civilitate ac modestia clarus.

Dominus Joannes de Platea Legum Doctor famosus vitam finivit, sepultus in Ecclesia Sancti Petri in sepulcro eminenti de gypso cum figuris.

Dominus Antonius de Bentivolis Romam vadens, a Papa & a Cardinalibus libenter visus, acceptis stipendiis Comes Campaniæ creatus est.

Conventus Sancti Dominici cum esset male gubernatus in temporalibus, & pejus in spiritualibus a Fratribus dictis Conventualibus, introducti sunt Fratres ejusdem Ordinis Observantiales, qui sua conversatione, & dignissimo modo officiandi in Ecclesia, non parum Civitatem nostram, & dictum Conventum exornant. Conventuales autem a dicto Conventu ejecti sunt.

Anno Domini 1428. Baptista de Canetulo cum

cum ſuis ſequacibus prima die Auguſti in platea Communis Bononiæ papilionem combuſſerunt, & multas apothecas. Pars vero Bentivolorum congregatione facta juxta domum Joannis de Malvitiis, verſus plateam venit. Cardinalis vero Sanctæ Crucis huic tumultui ſe oppoſuit, ſed parum aut nihil fecit. Commiſſum eſt civile prœlium, & multi ex utraque parte vulnerati ſunt. Legatum Bononienſem Canetuli comprehenderunt, & ad domum Domini Matthæi de Canetulo ducentes, ejus bona deprædati ſunt.

Palatium Poteſtatis ſimiliter prædæ expoſitum eſt. Regimen novum erectum eſt. Civitas a Pontifice interdicitur, & ſacra ceſſarunt. Bellum contra nos inſtauratum eſt ab Eccleſia.

Frater Antonius de Fontaria Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini cum novem aliis propter proditionem, quam tractabant, in eminentiori furca ſuſpenſi ſunt.

Frater Conradinus de Brixia Ordinis Prædicatorum cum prædictum interdictum Papæ Bononiam, obedientia cogente, portaſſet, a Regentibus Civitatem in carcerem intruſus eſt.

Canetuli, qui in regimine Principatum tenebant, hunc fame in carcere moriendum deſtinaverant; quidam autem ex Civibus, qui hunc Fratrem noverant, Magiſtratui dixerunt: *Vos putatis quid magnum facere contra iſtum Fratrem, ſi fame moriatur in carcere; ſed ſciatis, quia aliud tantum deſiderat quam pro obedientia mori; ſanctus enim vir eſt, & religionis magnæ.* Cum hæc intellexiſſent, liberum dimiſerunt.

Platea Communis Bononiæ ampliata eſt, & ad meliorem formam redacta.

Anno Domini 1429. Alamanus Blanchetus, & filius ſuus capite puniti ſunt, quia copiis Eccleſiæ portam Sancti Vitalis tradere curabant. Propter hanc proditionem multi alii capite truncati ſunt, inter quos fuit Domina Jacoba de Gigante Pelacano.

Eccleſia Sancti Michaëlis in Buſcho a Communi Bononiæ cuſtodita eſt, ne gentes Eccleſiæ illuc irent, & contra Civitatem ſe fortificarent; jam enim ante acceperant Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Monte, & ex hoc loco cum tribus machinis ſive bombardis Civitatem infeſtabant; omnes tamen bombardæ infra paucos dies fractæ ſunt.

Albertus de Ferro Vexillifer Populi, Melchion de Nigris, Guido Paganellus Notarius, & Antonius filius Prioris Sancti Syri, quia cum ſuperioribus inventi ſunt portam Sancti Vitalis ſe velle tradere copiis Eccleſiæ, primo forcipibus ignitis nudi per Civitatem educti, deinde in furcam ſuſpenſi ſunt.

Albertus autem prædictus, quia caput proditionis erat, ad caudam equi uſque ad forum nudus tractus, & in partes quatuor diviſus, indigniſſimum ſpectaculum præbuit. Huic promiſſum fuerat, quod ſi illam portam traderet, Capitaniatum Montis per annos decem poſſideret.

Eodem anno Jacobutius Caldora Dux exercitus Eccleſiæ adeo Bononiam tenebat oppreſſam, ut aquam neque ex Rheno, neque ex Sapina habere poſſet. Neceſſe fuit frumentum molere cum piſtrinis. Ligna combuſtibilia fuerunt in caro foro. Centenarium lignorum valebat ſolidos quinquaginta; corbella carbonum ſolidos quadraginta; in tota Quadrageſima piſces non ſunt viſi; corbis frumenti non tranſivit ſolidos 20. cum anno illo ſeminatum non ſit.

Propter hoc ad majorem ſecuritatem quinque portæ muro forti clauſæ ſunt, porta Stratæ majoris, porta Sancti Donati, porta Maſcarellæ, porta de Lamis, porta Pratelli, porta ſtratæ Caſtilionis.

Bravium Sancti Roſſelli poſitum eſt ad curſum in die ſuo; verum propter exercitum Eccleſiæ, qui extra portam Stratæ majoris apud pontem majorem ſuper Sapinam erat, equi barbari incœperunt curſum ab Eccleſia Sancti Nicolai, & cucurrerunt recte uſque ad Eccleſiam Sancti Iſaïæ.

Bravium ſimiliter Sancti Petri ſuo die ad curſum poſitum eſt; nam equi incœperunt curſum à porta Sancti Felicis, & cucurrerunt uſque ad ſaligatam Sancti Franciſci; deinde per eam currentes verterunt ſe ad ſeralium currendo per portam novam, & per plateam, & clavaturas uſque ad portam Stratæ majoris.

Campana, quæ collegia convocat, in Turri Communis Bononiæ poſita eſt.

Cardinalis dictus de Comitibus miſſus eſt in exercitum Eccleſiæ à Martino Pontifice, qui ſtatim omnes induxit, ut vineas extra portam Sancti Stephani præciderent. Fere omnes vineæ inciſæ ſunt.

Baſtia, quæ erat in Sancta Maria in Monte, à Bononienſibus eſt ſæpius oppugnata, ſed non habita.

Equus cum porchetta in feſto Sancti Bartholomæi ad curſum expoſitus eſt. Cucurrerunt equi à porta Stratæ majoris per forum de medio, vertentes ſe per viam Scutellarum uſque ad portam Sancti Mammæ.

Ad pacem componendam à Pontifice Martino miſſus eſt Bononiam Dominus Rolandus cum auctoritate pleniſſima. Congregatum eſt Conſilium ſexcentorum hominum, in quo propoſitæ fuerunt conditiones pacis. Primò, quod Bononienſes Dominos Antianos facere poſſent, & Confalonerios populi. Item, quod omnes Vicarii Caſtrorum eſſent de Civitate. Claves portarum apud Legatum una pars maneat, alia pars penes Dominos Antianos. In officio bullettarum duo maneant, unus ex parte Legati, alius ex parte Communis. Item, quod Legatus in Palatio maneat majori, & Domini Antiani in Palatio Notariorum. Item, quòd Palatium majus compleatur expenſis Communitatis Bononiæ. Item, quod electio Poteſtatis pertineret ad Papam, cum hoc quod placeret Dominis Antianis. Item, quod nullus Legatus mitteretur Bononiam, qui diſpliceret regimini Civitatis, & miſſus amoveretur, ſi diſpliceret eidem. Item, quod Legatus teneret equos trecentos, & totidem Domini Antiani, Communitatis expenſis. His propoſitis concluſum eſt, quod obedientia daretur Eccleſiæ, & ſic pax ſecuta eſt.

Pace firmata, hoc anno die 25. Septembris Cardinalis de Comitibus Romanus Legatus Papæ, qui præerat in obſidione Bononiæ, cum magno honore Civitatem ingreſſus eſt. Ad portam Stratæ majoris tota Civitas cum Magiſtratu occurrit; & Dominos Antianos ab excommunicatione in Eccleſia parva Sancti Homoboni extra Civitatem Legatus abſolvit.

Interdictum, quod per annum duraverat, ablatum eſt. Primam Miſſam idem Legatus cantavit in Sancto Petronio. Aqua Rheni ad molendina dimiſſa eſt; antea enim per piſtrina molebatur, quæ poſita erant per Civita-

tem in ſingulis Parochiis. Baſtiæ Sancti Michaëlis, & Sanctæ Mariæ in Monte deſtructæ ſunt.

Anno Domini 1430. Baptiſta de Canetulo, vir acuti ingenii, ac vulpinæ prudentiæ, cum illis Civibus, qui partem Domini Antonii Bentivoli ſequebantur, pacem fecit, promittendo, quod omnes ejectos in Civitatem reduceret; erat enim tunc Dominus Antonius extra cum fere octuaginta amicis ſuis. Die autem ſeptima Februarii tantum decem reducti ſunt; die verò 20. Aprilis in Conſilio Civitatis Dominus Nicolaus de Arioſtis dixit, quod aliqui erant, qui volebant ſtatum Civitatis mutare, reducere volendo Dominum Antonium de Bentivolis, & Albertus, & Jacobus de Cazanimicis, & Antonius Strazarolus, qui erant illi, manifeſtarent.

Dictum eſt, ut nominarentur. Nominati autem ſunt hi: Eganus de Lambertinis, Nicolaus de Malvitiis, Bagarotus de Blanchis, Philippus de Anulis, & Thomas de Montecalvo. Hi ſic publicè nominati, dixerunt illos mentiri. Cum autem in Conſilio fieret magna commotio ſuper hoc, Domini Antiani hos quinque nominatos in quadam camera Palatii concluſerunt. In ſero unus ex Dominis Antianis cœnavit cum eis; horâ verò quintâ noctis Canetuli cum Zambeccariis ad arma currentes ad dictam cameram devenerunt, in quam ingreſſi omnes jam dictos crudeliſſimè trucidarunt. Eorum cadavera, ut à quibuſdam dicitur, denudata in Hoſpitale Mortis delata ſunt. Iidem verò nondum humano ſanguine ſatiati, recedentes ad domum Benincaſæ de Barzelinis venerunt, quem cum non inveniſſent, repertum in domo cujuſdam ſui amici crudelius occiderunt. Hanc proditionem Abbas de Zambeccariis, vir ſuo tempore ſceleratiſſimus, cum Baldaſſare de Canetulo pertractavit. Hæc verò fecerunt, ut partem Domini Antonii aut extinguerent, aut minuerent. Ad hanc etiam crudelitatem perficiendam Vexillifer Juſtitiæ Florianus de Griffonibus ſe ſocium præbuit. Legatus cum hæc intellexiſſet, à Bononia recedens Centum petiit.

Paucis diebus elapſis octava die Aprilis Albertus, & Jacobus dè Cazanimicis cum Antonio, dicto Nigro, capite puniti ſunt.

Propterea cum Canetuli hoc modo Bononiæ dominatum invaſiſſent, ut meliùs ſtatum firmarent, Antonium Bentivolum cum omnibus amicis tamquam rebelles relegarunt, ipſos accuſantes, quod contra pacificum libertatis ſtatum ad muros Urbis acceſſerant, ipſoſque fregerant, ut proditionem facerent. Præcipuè ex relegatis hi fuere: Antonius Bentivolus cum filiis, Lodovicus Bentivolus, Baptiſta Poëta, Carolus Malvitius, Nicolaus Ruſticanus, Jacobus Aldobrandus, Franciſcus Fantuccius, Magiſter Franciſcus Juſtignanus Medicus, Matthæus Leonorius, Matthæus, & Albertus Blancheti, Guido Antonius Lambertus, Joannes Malvitius, Franciſcus, & Melchion Bargelini, Verzuſus Ludoviſius, Fantucius de Fantuciis, Jacobus de Lino, Ludovicus Mareſcottus, aliàs de Calvis Legum Doctor, Joannes Blanchetus, Petrus de Purgo, Joannes Fantucius, Joannes de Lino, Thadæus Bentivolus, & alii ad numerum quinquaginta quinque, quos longum eſſet recenſere.

Pontifex Summus audiens humanum ſanguinem in Civitate Bononiæ crudeliſſimè fundi, die 16. Julii in agrum Bononienſem ſuum exercitum miſit. Canetuli, & ſequaces timentes, ne exercitus Eccleſiæ in Sancto Michaële in Buſcho ſe fortificaret, Eccleſiam cum Monaſterio funditus diruerunt. Nullus ruſticorum de manentibus extra Bononiam ad duo milliaria, poterat ingredi Civitatem. Ita Legatus cum his ordinaverat, ſi volebant, ne exercitus Eccleſiæ eis noceret, & ut non poſſent aliquid victualium in Civitatem inferre. Aqua Rheni in molendina influens ſubtracta eſt. Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monte à regimine Bononiæ incaſtellata eſt.

Ad Burgum Panigalem Eccleſiæ exercitus ſe ponens, Monaſterium Cartuſienſium fortilitium fecit. Commiſſa eſt pugna cum noſtris, qui exierant portam Sancti Felicis, & multi vulnerati ſunt, & rejecti ab exercitu Eccleſiæ. In his diſcordiis fuit ſatis abundantia victualium. Pro uno ſolido 30. unciæ panis boni tritici dabantur, & unciæ ſex pro quatrino; libra una carnis bovinæ pro denariis 10., porcina pro denariis 14. vendebatur.

Anno Domini 1431. multa furta committebantur in Civitate propter guerras prædictas, unde in populo querelæ multæ oriebantur de malo regimine Civitatis; duo latrones comprehenſi, populi fuerunt furore ſuſpenſi. Unus illorum erat Apoſtata Ordinis Cartuſienſium, alius Sacerdos ſecularis. Ad perquirendos latrones octo Civibus eſt data poteſtas, ut plene agerent contra tales; fuerunt autem hi, Dominus Joannes de Canonicis Doctor, Dominus Gaſpar de Lupariis mercator ſerici, Dominus Joannes de Angelino Doctor, Azo della Volta, Petrus Aza Pelacanus, Jacobus à Pannolini, Dominus Carolus de Ghisleriis Miles, Joannes de Griffonibus.

Hoc anno Dominus Jacobus de Iſolanis Cardinalis, relictis duobus filiis legitimis, & uno naturali, Mediolani mortuus eſt. Hic magnas divitias reliquit, quas acquiſiverat Genuæ, ubi pro Duce Mediolani multo tempore Gubernatoris eſt functus Officio. Inter Maltraverſos Bononiæ virtute ac prudentia tenuit principatum, antequam Cardinalis eſſet. Fuit famoſus Doctor, ac aureatus miles. Uxore ſua mortua, quia Bononiæ ſtatum ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ reduxit, Joannes XXIII. Cardinalem fecit. Patrem habuit nomine Joannem filium Mengoli de Iſolanis, qui propter quamdam proditionem, quam faciebat contra Bononiam pro Vicecomitibus de Mediolano, Bononiæ capite punitus eſt.

Martino Quinto defuncto Romæ, & ſepulto in Eccleſia Lateranenſi in ſepulcro aureo, & Eugenio Quarto creato, ad meliorem ſpem Bononienſes erecti, ut pacem haberent, Legationem ad Pontificem mittunt.

Ambaſciatores autem fuerunt Dominus Bartholomæus de Zambeccariis Abbas Sancti Bartoli de Ferraria, Dominus Petrus de Ramponibus Canonicus Sancti Petri & Clericus Cameræ Apoſtolicæ, Dominus Romeus de Foſcarariis Doctor & Miles, Dominus Galeotus de Canetulo Doctor.

Mulier quædam Bononiæ in turlione puerum unum integrum, & puellam unam ſine capite peperit.

Dominus Galeotus de Canetulo ſtatim à Summo Pontifice duo Brevia obtinuit, miſſa Legato Epiſcopo Turpiæ, qui morabatur in Sancto Joanne in Perſiceto, præcipientia ut om-

omnem offenſam Bononienſibus remitteret, cum quibuſdam tamen conditionibus regimini noſtro diſplicentibus. Unde Romam iterum miſſum eſt ad Dominum Galeotum, ut Papæ voluntatem plenius inveſtigaret. Ultimò Papa Bononiam Nuntium miſit, qui pacem Bononienſibus daret, quibuſdam tamen capitulis obſervatis. Die ergo 24. Aprilis pax præconizata eſt cum magno gaudio Civitatis. Commiſſarius Papæ cum vexillis Communitatis, & Eccleſiæ cum honore condigno in Civitatem ductus eſt.

Cum eo Gatamellata ductor exercitus Eccleſiæ ingreſſus eſt. Confalonerii de populo de novo creati ſunt; ſtatutum eſt, ut non amplius manaretam geſtari facerent poſt ſe, ſed enſem cum boclerio.

Dominus Fantinus Dandolus Venetus Bononiam loco Papæ Gubernator venit, qui tamen etiam Protonotarius erat, & ſimul cum Ambaſciatoribus omnia capitula confirmata à Pontifice detulit.

Multi banniti à Civitate, & de parte Domini Antonii de Bentivolis Caſtrum Sancti Joannis in Perficeto intrarunt, ut illud pro Duce Mediolani contra Eccleſiam poſſiderent.

Tunc Gaſpar de Canetulo, & Thomas de Ghisleriis aſſumto exercitu ad Sanctum Joannem accedentes dictos ingreſſos ad fugam coëgerunt, quoſdam occidentes, & quoſdam captos ſuſpendentes; ſicque Caſtrum liberatum eſt. Hæc cum intellexiſſet Dominus Antonius Bentivolus, timens ne comprehenderetur Romæ, Faventiam venit, ubi aliquo tempore moram traxit.

Jus reddi incœptum eſt, quod ante per tres annos redditum non erat. Studium deſtructum reformari incœptum eſt.

Ad Pontificem Ambaſciatores miſſi ſunt Dominus Delfinus de Gozadinis Epiſcopus Civitatis Pennæ in Aprutio, Dominus Petrus de Ramponibus, & Dominus Joannes de Griffonibus.

Anno Domini 1432. Eugenius IV. literas Bononiæ miſit, qualiter Baſilienſe Concilium revocabat, & illud Bononiæ ponebat. Similes ad Imperatorem Placentiam miſit.

Mortuo Domino Petro de Scappis Milite, Sancti Joannis, manſio, ſive *la Maſone*, Domino Aloviſio de Griffonibus, qui antea cum magna ſolemnitate in Sancto Petronio per Legatum Miles effectus fuerat, collata eſt.

Abbas de Zambeccariis ſceleratorum hominum caput & fautor, qui ſtabat in Sancto Proculo, cum Baptiſta de Canetulo in diſcordiam venit; ex utraque parte armatorum congregatio facta eſt; ſed ultra proceſſum non eſt, Joanne de Griffonibus viro pacifico pacem & unitatem ſuadente. Fugit tamen Abbas prædictus è Civitate ad Vignolam de Graſſonibus cum omnibus fratribus ſuis.

Dominus Hieronymus de Piaſtrellis cum eſſet de numero Antianorum, relicta dignitate in Monaſterio Sancti Dominici Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt. In Novitiatu ſuo antequam profiteretur, mente captus effectus, ad domum ſuam reverſus eſt, quæ ſita erat è regione ad portam Leonum Sancti Petri.

Anno Domini 1433. Dominus Fantinus Bononiæ Gubernator ſibi timens (cauſa ignoratur) è Civitate occulte fugiens, ad Caſtrum Sancti Petri pervenit, & Bononiam non amplius reverſus eſt.

Pontifex Eugenius Legatum Bononiam miſit Dominum Marcum Condulmerium Epiſcopum Tarantaſienſem affinem ſuum. Tempore hujus Legati Bononienſes Eccleſiæ rebellarunt.

Magni terræmotus Bononiæ fuere, qui multa ædificia dejecerunt. Fulgur è Cœlo cadens Turrim Aſinellorum multipliciter offendit.

Cum pluvia prohiberet collectionem frumenti, nec ceſſaret, viſum eſt, ut figura Sancti Lucæ per manum ejus depicta, quæ ſervabatur in quadam Eccleſia Montis Guardiæ, Bononiam portaretur; ante enim non portabatur. Delata eſt à Battutis Societatis Mortis, & à Civitate cum lacrymis ſuſcepta; finitâ proceſſione tempus clarificatum eſt, & corbis frumenti, quæ aſcenderat ad quadraginta Bononinos, venit ad XX.

Caſtrum Montis Velli, quia defecerat à Bononienſibus, prædæ expoſitum eſt.

Anno Domini 1434. Cum Legatus Gattammellatam, qui erat pro Eccleſia in agro Bononienſi, in Civitatem conducere tentaret, à Canetulis in Palatio invaſus, auctoritate privatus eſt. Facti ſunt Civitatis Rectores Riccardus de Pepulis, Gozadinus de Gozadinis, Joannes de Ludoviſiis, Braiguerra de Cazanimicis, Nicolaus de Ghisleriis, Galeotus de Canetulo, Joannes de Iſolanis, Bernardinus Muletus, Albertus de Albergatis.

Caſtrum Sancti Petri à Nicolao Picinino deprædatum eſt.

Anno Domini 1435. Dominus Aloyſius de Griffonibus Miles Sancti Joannis, & Florianus ejus frater, exiſtente ſtatu popularium Canetulorum, crudeliter occiſi ſunt. Primus de Palatio Notariorum dejectus; alius, ſcilicet Florianus, in platea vulneratus, poſtea in Hoſpitali Mortis occiſus eſt.

Eugenius Papa Bononiæ dominium rehabuit, Canetulis in Lombardiam pulſis. Caſtra vero agri Bononienſis, quæ Nicolaus Picininus Dux copiarum Ducis Mediolani tenebat, concorditer ſimiliter ac pacifice in ſuum dominium habuit.

Dominus Daniel Epiſcopus Concordienſis, Theſaurarius Papæ, Gubernator eſt Bononiam à Pontifice miſſus. Baldaſſar de Offida Marchianus, vir iniquæ conditionis, per Eugenium eſt Poteſtas Bononienſis effectus; Gaſpar vero de Tuderto, latrone nullo in furando inferior, ad bulletas per eumdem Pontificem poſitus eſt. Hujus Gaſparis conſilio multa mala Bononiæ perpetrata ſunt, inter quæ unum non eſt ſilentio prætereundum.

Cum Dominus Antonius de Bentivolis per aliquot annos, ideſt quindecim, extra patriam pro Eccleſia à Martino V. honorificè occupatus fuiſſet, revertendi Bononiam ab Eugenio Quarto liberam licentiam habuit. Bononiæ gratanter receptus, & à Civibus aſſociatus Regentibus Civitatem, honor eſt ei exhibitus. Quadam autem die ut palatium Legati aſcenderet invitatus, cum inde deſcendere vellet, in pede Scalæ palatii detentus, ibidem capite truncatus eſt die 23. Decembris. Eâdem horâ Thomas de Zambeccariis, qui detentus erat, ſuſpenſus eſt in palatio Poteſtatis. Interim de mandato Pontificis Eugenii Dominus Bartholomæus de Zambeccariis Abbas, frater dicti Thomæ, Florentiæ detentus eſt, & carceri traditus.

Fons per meatum ſubterraneum Bononiam conductus eſt uſque ad Hoſpitale Mortis; datierii autem vini videntes ſibi obeſſe, deſtruxerunt.

Anno Domini 1436. Eugenius Quartus occiſis, qui ſecundum ſuam opinionem Bononiæ ſtatum poterant perturbare, de Florentia Bononiam venit, ubi cum ſua Curia longam ſatis moram traxit.

Comes Franciſcus Sfortia apud Medicinam in agro Bononienſi Baldaſſarem de Offida cepit, & ligatum in Marchiam miſit; dictus enim Comes intellexerat per literas, & nuntios, quod iſte Baldaſſar eum conabatur occidere, & quod multa in ejus mortem fuerat machinatus. In Marchiam ergo Baldaſſar crudelis, & hominum carnifex ductus, & ſecundum ſcelera utcumque punitus, in carcere miſerabilem vitam finivit.

Monachi nigri Congregationis Sanctæ Juſtinæ, viri regulari vita clariſſimi, Abbatiam Sancti Proculi Bononiæ multipliciter deformatam reformaverunt.

Non multo poſt Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monte, quæ conjuncta erat cum Abbatia Sancti Felicis, per Eugenium Papam Sancto Proculo juncta eſt; dicti enim Monachi, quando primò Bononiam venerunt, Eccleſiam, & Monaſterium Sancti Felicis incoluerunt; verum cum arbitrarentur, ſe melius manere in Sancto Proculo, locum auctoritate Pontificis mutaverunt.

Corpus Domini Antonii de Bentivolis, quod per annum fuerat ſine honore in Eccleſia Sancti Chriſtophori tumulatum, in Eccleſia Sancti Jacobi Fratrum Eremitarum eſt translatum, & in eminenti ſepulcro collocatum.

Joannes de Imola Vir præclari ingenii, Legum ac Jurium famoſiſſimus Doctor, cum multa digna Opera edidiſſet, mortuus eſt, ac ſepultus in Eccleſia Sancti Dominici in Capella Apoſtolorum Petri & Pauli; reliquit enim in teſtamento, ut ſui heredes ſibi ſepulcrum facerent. Verum hereditate conſumta, & magnifica domo ejus Ser Alexandro de Buttrigariis vendita, nihil factum eſt, ſicque tantus vir ſepulcri honore privatus.

Anno Domini 1437. Petrus Janpaulus de Urſinis, ductor copiarum Eccleſiæ, tamquam amicus in Buttrium agri Bononienſis ingreſſus, totum incendio ferroque vaſtavit; muros & foſſas complanavit; quinquaginta homines in agris laborantes occidit. Mandante Eugenio hæc facta ſunt, quia tempore, quo Comes Franciſcus Sfortia illic cum armata manu Eccleſiæ copias fudit, homines Butrii fugientes introducere noluerunt.

Campana Arrenghi, & campana groſſa Sancti Petri, quia fractæ erant, de novo fuſæ ſunt.

Apothecæ juxta Hoſpitale Mortis contra Sanctum Petronium ex latere fabricatæ ſunt.

Anno Domini 1438. Eugenius Quartus Bononia recedens, Ferrariam cauſa congregandi Concilium acceſſit. Fortilitium Portæ Galeriæ conſtructum eſt: propter hoc Imbottatum poſitum eſt. Murum merlatum palatii Communis ex parte Meridionali cum ſcarpa ad palatium ædificavit circum circa.

Pontifice Maximo exiſtente Ferrariæ, Nicolaus Picininus ſine aliqua reſiſtentia Bononiæ dominium ſibi vendicavit.

Paucis interpoſitis diebus Annibal de Bentivolis Bononiam venit.

Anno Domini 1439. Magiſter Nicolaus de Fabiis ſuo tempore Philoſophus acutus, ac Medicorum princeps, vita functus, & ſepultus eſt in Eccleſia Fratrum Eremitarum poſt capellam majorem in ſepulcro eminenti elevato.

Antiani cum quoſdam facinoroſos Canetulorum ſatellites incarceraſſent, Thomas de Canetulo per Civitatem diſcurrens, ſeditionem fecit. Poteſtas illi obviare volens vulneratus eſt. Bentivoli cum amicis audaciam Canetulorum repreſſere.

Cervattus Siccus à Duce Mediolani Bononiam mittitur Gubernator, revocato Sacromoro viro crudeli, hominibuſque inviſo.

Imperator Græcorum Bononia tranſiens, in Epiſcopatu cum honore ſuſceptus eſt.

Anno Domini 1440. Annibal de Bentivolis Raphaëlem Foſcararium Civem Nobilem Bononienſem propter privatas inimicitias juxta Hoſpitale Mortis ad meridianam partem occidit. Nicolaus Picininus, qui hunc Raphaëlem amabat tamquam ſuum Theſaurarium, & qui primus fuerat, qui ei dederat Civitatis dominium, diſſimulavit ad tempus.

Eccleſia Sancti Joannis in Monte, quæ vetuſtate minabatur ruinam, de novo ad ſimilitudinem Eccleſiæ Sancti Petronii novi ædificari cœpta eſt.

Nicolaus Picininus, congregata concione Bononiæ, decem hominès de Baylia depoſuit, ut ſedecim Urbis Reformatores crearet. Creati igitur ſunt iſti, Dominus Joannes de Ludoviſiis eques, Ludovicus Bentivolus, Gaſpar Malvitius, Ludovicus Manzolus, Carolus Ghislerius eques, Antonius Rainutius Medicus, Rainaldus de Arioſtis, Guid-Antonius Lambertinus, Abbas Zambeccarius, Florianus de Sancto Petro, Romeus de Pepulis. Juris Conſulti Baldaſſar de Trentaquattris, Nicolaus Gozadinus, Hieronymus Bolognînus, Baptiſta de Poëtis, Joannes Fantucius. A Bononia recedens Nicolaus Picininus Florentinis bellum intulit.

Annibal Bentivolus Doninam Lanzellotti Vicecomitis filiam, Duce Mediolani tradente, accepit Uxorem: cum digno comitatu ſicut Mediolanum acceſſerat, ita reverſus eſt.

Baptiſta de Canetulo dimiſſus à Duce Mediolani, Galeotus Canetulus, & Benedictus Bonfilius in Romandiola in locis diverſis detenti ſunt; Thomas Graſſus Mediolani detentus eſt.

In Feſto Sancti Rophili in foro haſta certatum eſt, & bravium ſerici pro præmio bene certandi Floriano de Tauſignano datum eſt.

Thomas de Canetulo decapitatus eſt cum uno, quia Comiti Franciſco Sfortiæ voluit prodere Civitatem.

Dominus Thomas de Lojano Legum Doctor capite punitus eſt, quia exercitui Eccleſiæ voluit tradere Civitatem.

Cuſtos portæ Sancti Stephani in quatuor partes diviſus eſt, hoſpes Lunæ obtruncatus.

Cervattus cum filiis civilitate Bononienſi donatus eſt, ut poſſet ſicut Civis Magiſtratum aſcendere.

Nicolaus Sanutus eques aureatus à Philippo Duce Mediolani creatus eſt, deinde Prætor Senas acceſſit.

Datis tribus millibus ducatorum aureis, omnes portas Civitatis à Nicolao Picinino Bononienſes habuerunt.

Anno Domini 1441. Annibal Bentivolus Dominam Doninam Vicecomitem de menſe Maji Uxorem duxit. Solemnitas nuptiarum cum gaudio celebrata eſt; multi donaria obtulerunt.

An-

Digitized by Google

Annibal Bentivolus Eliſabettam ſororem Domino Romeo de Pepulis in Conjugem tradidit. Jacobus Romei frater filiam Thomæ de Gozadinis eodem tempore Uxorem accepit.

Anno Domini 1442. Franciſcus filius Nicolai Picinini Bononiæ Gubernator, cum de Bononia, quia erat æger, ad Caſtrum Sancti Johannis ire vellet, tamquam gratam ſocietatem ſecum duxit Annibalem de Bentivolis, Gaſparem, & ejus filium Dominum Achillem de Malvitiis. Hos poſt paucos dies in Lombardiam ligatos miſit in diverſis carceribus recludendos. Annibal in arce Varrani incluſus eſt.

Bononienſes talem capturam ægrè ferentes, multis modis apud Nicolaum Picininum eos liberare curarunt; ſed nihil precibus effectum eſt.

Nicolaus Piſanus Capitaneus peditum, tranſitum faciens ſine licentia per agrum Bononienſem, apud vadum Buccorum captus, datus eſt Cervatto cuſtodiendus.

Euſtorgius Faventinus, qui cum eo habebat inimicitias capitales, cum quibuſdam ſociis cuſtodiæ locum ingreſſus, ipſum occidit. Bononienſes viri dignitatem conſiderantes, cum honore in Sancto Petronio humari curarunt.

Tectum Eccleſiæ Sancti Petronii circa auroram cadens, nemini nocuit. Prædicabatur tunc in Sancto Petronio de mane cum magno populi concurſu, quia erat Adventus Domini.

Anno Domini 1443. Galeaz de Mareſcottis cum fratre ſuo Sydeo, cum Daneſio Parolario, & duobus aliis, cogitare, & ad invicem conferre cœperunt, quomodo poſſent è carcere Annibalem liberare. Poſt maturam determinationem in agrum per menſem accedentes, nocte cum ſcalis de funiculis contextis in Arcem Varrani aſcenderunt. Primus, qui ſe eis voluit opponere, trucidatus eſt; Caſtellanus cum ſociis ab his comprehenſus Annibalem liberum tradidit. Inde magna cum prudentia recedentes, & cum periculis, & laboribus magnis Tarrum flumen ex pluviis augmentatum tranſeuntes, Bononiam advenerunt; in quam ingreſſi per chordas ab amicis dimiſſas, congregata aliqua amicorum parte plateam Civitatis comprehendentes, ſtatum Franciſci Picinini turbaverunt. Palatium Communis circa horam nonam captum deprædatum eſt; Franciſcus Picininus de Gubernatore captivus factus, non ante dimiſſus eſt, quam Gaſpar Malvitius, & filius ejus Bononiam ex carcere, ubi erant, remiſſi ſunt. Arcem portæ Galeriæ totus populus viriliter oppugnavit; omnis ætas, & omnis ſexus, omniumque conditio ad hanc extirpandam convenerunt. Fratres multi in Theologia Magiſtri, Sacerdotes, Seculares, Doctores, & alii, ut Caſtellum hoc deſtrueretur, ſuam opem dederunt. Nec prætereundum eſt id, quod Dominus Joannes de Anania Doctor famoſiſſimus fecit; nam depoſita Doctorali Toga manu propria bellantibus auxilium ad vallum faciendum præbuit. Tamdem quidam nomine Tartarus à Bononienſibus accipiens quamdam pecuniæ quantitatem, cum eſſet principalis in arce, eam tradidit: illico populus Bononienſis dictam arcem Galeriæ funditus evertit.

Poſt hanc victoriam Annibal Bentivolus timens exercitum magnum Ducis Mediolani, qui erat in agro Bononienſi, cujus ductor erat Comes Aloyſius de Verme, cum Galeatio Mareſcotto, qui domi ſedebat propter vulnus grave acceptum in bello, ſuper quid agendum ſingulare ac ſecretum conſilium habuit. Concluſum eſt inter hos duos, ut Annibal, ex quo benevolentiam populi erga ſe videbat, cum auxiliariis dictum exercitum invaderet. Civitas noſtra tunc ſtipendio conduxerat Petrum de Navarino cum equis quingentis, & trecentis pedeſtribus. Florentini in auxilium noſtrum miſerunt Simonetum cum trecentis equis, & Tibertum Brandolini cum equis quadringentis. Numerus autem equorum copiarum Ducis Mediolani erat quinque millium, pedeſtrium autem duorum millium. Annibal congregato Bononienſi populo, & dictis auxiliariis, exercitum Ducis Mediolani aggreſſus eſt intra Caſtrum Sancti Georgii, & Sanctum Petrum in Caſale. In die Aſſumptionis Virginis Mariæ à mane uſque ad horam vigeſimam ſecundam pugnatum eſt. Ex utraque parte multi occiſi. Adverſariorum exercitus fuſus eſt, & omnia eorum bona prædæ expoſita ſunt. Annibal Bononienſium Dux triumphans Bononiam ingreſſus eſt. Ex hac victoria vir prudens non eſt in ſuperbiam elatus, ſed ſicut erat ante, affabilem ac communem ſe omnibus præbebat.

Paulus de Roma, & Joannes Villanus Squadrerii probatiſſimi Ducis Mediolani, qui in hac pugna capti fuerant, poſtquam fuerunt Bononiam ducti, ab Annibale cum ſuis armis, & honore dimiſſi ſunt.

Propter hanc victoriam decreto publico ſtatutum eſt, ut tali die Magiſtratus cum Artibus, & Clero proceſſionaliter omni anno viſitaret Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Monte, oblationes, quæ imponuntur, faciendo.

Dominum Thomam Sancti Bartholomæi Rectorem, Bentivolorum amicum, nocte per cloacam quidam Canetulorum amici in domum ejus ingredientes, ſedentem ad ignem multis ictibus percuſſerunt: poſt diem XII. exſpiravit. Res impunita manſit, quia auctores mali non fuerunt cogniti.

Indulgentia plenaria omnibus viſitantibus Sanctum Petronium data eſt in tribus diebus Pentecoſtes ab Eugenio Papa pro dictæ Eccleſiæ fabrica.

Nix cecidit illis diebus cum admiratione omnium.

Dominus Nicolaus de Albergatis Epiſcopus Bononienſis, & Cardinalis Sanctæ Crucis, Senis vita functus eſt. Sepultus eſt in Monaſterio Cartuſienſium ad ſecundum milliare juxta Florentiam. Hic fuit per omne tempus ſanctiſſimæ vitæ. Pontifex Maximus lapidem in veſica Sancti Viri generatum, & propter quem mortuus eſt, habere voluit ex devotione. Statuit, ut per ſingulos dies eleemoſyna in Epiſcopatu daretur: quod per aliqua tempora ſervatum eſt, deinde imminutum, ut tantum die Lunæ & Jovis daretur. Univerſa Curia eum Sanctum judicabat, & verè ſic erat.

Concio ſexcentum virorum ſexdecim Reformatores Magiſtratu abdicavit, & decem Bayliæ viros creavit cum ſumma rerum poteſtate. Fuerunt hi Annibal Bentivolus, Joannes Griffonus, Carolus de Ghisleriis, Romeus de Pepulis, Joannes Manzolus, Dionyſius de Caſtello, Ludovicus Manzolus, Joannes Fantucius, Hieronymus Bologninus, Matthæus

Ga-

Digitized by Google

Gazadinus. Octo præterea viri electi ſunt, qui onera Civibus imponerent.

Duo juvenes ex arce Galeriæ miſſi à Tartaro, ut Annibalem Bentivolum jugularent, detecti in quatuor partes diviſi ſunt, & contra arcem ſuſpenſi.

Petrus Zanetus Doctiſſimus Phyſicus è vita emigravit, in ægritudine viſitatus à principalioribus de Canetulo dixit: *Si cum Bentivolis unionem habueritis, diu felices eritis: ſin autem, uſque in quartam generationem malum ſentietis.*

Annibali Bentivolo Datium Carticellarum per quinque annos conceſſum eſt; qui verò liberaverant eum à carcere, ſinguli mille libras habuerunt.

Annibal Vexillifer Juſtitiæ cum conſilio Collegii ſtatuit, ut XX. Viri crearentur, qui nomina Civium ſcriberent aptorum regimini, & poſtea ſorte extraherentur.

Nicolaus Prior Canonicorum Lateranenſium Romæ prælatus in Epiſcopum in itinere obiit.

Anno Domini 1444. Dominus Joannes de Ligo de Ludoviſiis creatus miles, vir ſtrenuus, & qui fuerat Senator Romanus, vita functus eſt, & ſepultus apud Fratres Prædicatores in clauſtro cum vexillis, & honore non parvo. Super hujus ſepulcrum in lapide circulari eſt ſculptus equus cum ſeſſore armato.

Baptiſta de Canetulo Vexillifero Juſtitiæ facto, bravium gioſtratum datum eſt Galeotto Mazzavillano, & Baldaſſari Ferrarienſi.

Ad Leonellum Ferrariæ Principem, qui Uxorem ducebat Alphonſi Aragonum Regis filiam, cum dignis muneribus Ambaſciatores miſſi ſunt Dominus Joannes de Ludoviſiis, & Nicolaus Ghiſilardus.

Bononiæ vectigalia aucta ſunt.

Nicolaus Picininus Bononienſium, & Florentinorum hoſtis, Mediolani moritur, relictis duobus filiis Jacobo, & Franciſco, patri in bellicis valde ſimilibus.

Joannes Landi amicus Canetulorum à filiis Domini Ludovici Mareſcotti in platea occiſus eſt, quia dicebat bona ſua, quando fuit exul cum Canetulis, ab eis uſurpata fuiſſe. Hujus mortem ægrè tulit Canetulorum factio.

Timore Ducis Mediolani, ne bellum nobis inferret, miſſi ſunt Venetias Ambaſciatores Philippus de Pepulis, & Baptiſta de Canetulo; Florentiam verò Dominus Carolus de Ghisleriis, & Dominus Gaſpar de Aringheria.

Quia Carolus Capellus in die Jovis Sancto vulneravit ad mortem Matthæum de Corrigiis, & fugerat in domum illorum de Mareſcottis, Canetuli concitati ſunt. Ex utraque parte armatorum congregatio facta, prudentium virorum arte pacata eſt.

Annibal ut in patria quietè viveret, Gaſpari de Canetulo ſororem ſuam ſpopondit uxorem. Civili diſcordia interveniente ſponſalia ſoluta ſunt, & data eſt in conjugem Ghirardo Bevilaquæ Comiti Ferrarienſi, ex qua filios ſuſcepit.

Claruit Beatus Stephanus Bononienſis inſtaurator Religionis Canonicorum Sancti Salvatoris.

Anno Domini 1445. cum propter victoriam habitam, ut ſupra narratum eſt, apud Dominos Italiæ Annibal de Bentivolis grande nomen haberet, & multi ex iis literas ſcriberent, invidia perculſi Canetuli, de morte ejus cogitare cœperunt. Conjuratione igitur facta à Ludovico, & Bettotio cum Domino Nicolao de Sancto Domnino, Delphino de Aticone, & Domino Franciſco de Ghisleriis cum multis aliis in die Sancti Joannis Baptiſtæ horâ tertiarum Annibalem juxta domum Comitum de Bruſculo multis impoſitis vulneribus dicti conjuratores occiderunt. Primus, qui manum ad arma poſuit, dictus Bettotius de Canetulo fuit. Illo die partibus contra ſe invicem inſurgentibus, ſcilicet Bentivolorum, & Canetulorum, multi occiſi ſunt, & magna ſtrages facta. Mortuo Annibale Bentivolo, ſtatim verſus Eccleſiam Sancti Joannis Baptiſtæ Canetuli acceſſerunt. Juxta verò Eccleſiam Sancti Iſaïæ tres fratres filios Domini Ludovici de Mareſcottis in via invenientes, Johannem, & Thadæum, & Antinorem, occiderunt. Galeatius autem Mareſcottus, alter ex his fratribus cum vidiſſet non poſſe ex multitudine adverſariis repugnare, per Monaſterium Monialium Sancti Mathiæ aufugit, hortoſque poſteriores tranſgreſſus, ad domum ſuam acceſſit, & cum ſociis arma ſumens, velut leo contra hoſtes verbis & armis viriliter pugnaturus acceſſit. Per totam diem Sancti Joannis perſeveravit civilis pugna.

Baptiſta de Canetulo, vir ſubtilis ingenii, & Canetulæ factionis caput, de quodam latibulo eductus, & crudeliter occiſus, in plateam Civitatis tractus, jam mortuus ibidem diſcerptus eſt. In hoc furore occiſus eſt & Neſtor de Malvitiis; juxta eum Franciſcus de Blanchis occiſus eſt, & Petrus de Burſellis, ſive de Albertuciis, qui amore accenſus patriæ arma corripuit, Canetuloſque quantum valuit impugnavit. Nec aliquis miretur, ſi virum gregarium inter Nobiles pono, quia hic meus genitor fuit, qui hæc ſcribo, voluique reddere patri, & ſi non quantum debeo, tantum quantum poſſum. Ad Hiſtoriam cum brevitate revertor. Tranſactis veſpertinis horis Canetuli ſuccubuerunt, & à Civitate exire coacti ſunt. Ex duabus domibus Canetulorum, & Ghisleriorum equimellum factum eſt, & bona eorum mobilia prædæ expoſita, immobilia verò Fiſco applicata ſunt. Sepultus eſt autem Annibal in Sancto Jacobo Fratrum Eremitarum, ubi imago equi cum ſeſſore inſculpta eſt.

Circa principium Auguſti Bartholomæus Culionus Bergomenſis cum exercitu à Duce Mediolani in agrum Bononienſem miſſus multa Caſtra accepit. Apud pontem Caſalechii ſæpe cum noſtris confligebat; hiberno tempore ad hyemandum in Caſtra accepta exercitum miſit.

Nicolaus Beccarius fautor partis Canetulorum occiſus in die Sancti Joannis Baptiſtæ, & nudato corpore toto, manibus abſciſſis, per pedes ſuſpenſus eſt in platea.

Quia ferè totus Comitatus Bononiæ invaſus fuerat per conducterios Ducis Mediolani, qui tenebat cum Eugenio, à Venetis nobis auxilia miſſa ſunt: Fortilitium Saxii in valle Rheni, quod occupatum fuerat à quibuſdam expulſis de Civitate, rehabitum eſt, ſex ex eis comprehenſi, & Bononiam ducti ad arengeriam Poteſtatis ſuſpenſi ſunt.

Baldaſſar de Ghisleriis non fuit occiſus, quia in Civitate non erat quando Annibal occiſus eſt.

Cla-

Digitized by Google

Claruit Frater Bartholomæus Beruáldus Ordinis Jeſuatorum.

Anno Domini 1446. Bononienſes cum non haberent aliquem de Bentivolis, qui vellet ſumere principatum, conduxerunt ex Florentia quemdam Juvenem annorum viginti duorum, filium quondam Herculis de Bentivolis, qui cum die 13. Novembris Bononiam veniſſet, & viſitaſſet Dominos Antianos, illico miles aureatus creatus eſt.

Bononiæ in via de Magarotis cuidam blaſphematori natus eſt puer monſtruoſus cum dentibus, inciſis labiis, ſine ano, cum ſex digitis in manibus, & pedibus. Hic dixit uxori ſuæ, quod ſi faceret ei amplius femellas, eam interficeret cum fœtu, nam duas femellas ante pepererat.

Epiſcopus Bononienſis Dominus Thomas de Sarzana factus eſt Cardinalis per Eugenium Quartum.

Non quod ideo adductus eſt Xantes Bentivolus Nobilis Dominus Thomas Pepulus, aliàs Cognatus dicti Annibalis, qui magnam partem habebat inter Bononienſes, nimis ſe erigeret ſub prætextu tutelæ ſui Nepotis à ſimili cauſa poſt Dominus Johannes erectus eſt contra Dominum Xantem.

Thomas Serezanenſis ſedit in Epiſcopatu, & inde Cardinalis, qui & Pontifex Summus fuit appellatus Nicolaus Quintus.

Anno Domini 1446. Guilielmus de Monteferrato, & Dominus Carolus de Gonzaga Conductores gentium Ducis Mediolani revocato Bartholomæo Bergomenſi, in locum ejus venerunt Veneti, ac Florentini auxilia nobis dederunt; Thadeus Marcheſius miſſus eſt cum equis ſexcentis à Venetis; Tibertus Brandolinus cum equis quadringentis à Florentinis; Paulus Venetus cum peditibus trecentis. Bononiæ octo ſuper guerram creati ſunt.

Dux ac Gubernator exercitus noſtri, & proviſor factus eſt Galeaz Mareſcottus, vir in arte bellica peritiſſimus. Petrus de Navarino cum octingentis equis erat ad ſtipendium noſtrum. Commiſſa eſt pugna. Dominus Carolus de Gonzaga cum ſuis fuſus eſt, atque fugatus. Dominus Guilielmus prædictus pacem procurans; de hoſte noſter amicus effectus, Bononiam ingreſſus eſt. Suſceptus eſt Bononiæ cum tanta lætitia, & honore, ut omnes homines ſanctum Guilielmum appellarent, & ſic noſtra Civitas ceſſavit à prœliis, & amiſſa Caſtra rehabuit.

Societas piſcatorum deſtructa eſt, & privata, ne poſſent facere Maſſarium. Statuta eorum annihilata ſunt; conceſſum eſt unicuique poſſe vendere piſces ſoluto datio Communi.

Quia Sanctus Nicolaus de Tolentino canonizatus erat per Eugenium Quartum, Bononiæ ſolemnis proceſſio celebrata eſt.

Johannes Furlanus comprehenſus à Legato Papæ apud Rocham-Contratam capite punitus eſt.

Anno Domini 1447. mortuo Eugenio Quarto, & creato Nicolao Quinto Papa, Bononienſes in ſpem bonam erecti, ad eum dignam legationem miſerunt. Hic Nicolaus quamvis Serezanenſis eſſet, tamen à juventute Bononiæ nutritus erat, & noſtram Civitatem amabat. Ambaſciatores autem fuerunt hi, Dominus Nicolaus Sanutus, Dominus Melchion de Vizano, Dominus Baptiſta de Caſtro Sancti Petri, Dominus Gaſpar de Arengheria, Ludovicus de Bentivolis, Melchion de Malvitiis. A Pontifice gratanter recepti ſunt, & remiſſi cum honore, & multis gratiis impetratis.

Dominus Johannes de Podio Canonicus Sancti Petri factus eſt Epiſcopus Bononienſis, & conſecratus in Sancta Maria de Miſericordia extra portam Stratæ Caſtilionis, ubi habitabant Monachi Montis Oliveti. Bononiæ magna ſolemnitas facta eſt. Eodem anno Romæ mortuus eſt.

Nota, quod Nicolaus infra duos annos factus eſt Epiſcopus, Cardinalis, & Papa.

Dominus Ludovicus de Malvitiis, vir in armis ſtrenuus, cum tribus aliis vi armorum uſque ad portam Romanam Mediolani irruens, factus eſt eques aureatus; pro Venetis enim tunc militabat.

Gaſpar de Canetulo cum quibuſdam exulibus de Bononia Caſtrum Centi ingreſſus, à Bononienſibus poſt paucos dies inde ejectus eſt.

Agitato conſilio ſexcentorum, obedientia eſt Eccleſiæ data, & cum Pontifice nova unio facta.

Incurſus à noſtris in agrum Carpenſem factus eſt, & multa ab eis ablata.

Ad Pontificem miſſi ſunt Ambaſciatores Dominus Melchion de Vizano, Dominus Gaſpar de Arengheria, Melchion de Malvitiis. Dux Mediolani obiit.

Anno Domini 1448. mortuo Domino Johanne de Podio Epiſcopo Bononienſi, Nicolaus Quintus Regimini noſtro literas miſit, quibus oſtendit, quod Bononiam diligebat, & quod fratrem ſuum de conſilio Cardinalium fecerat Epiſcopum Bononienſem. Hic fuit homo idiota, & virtutibus pauper; & quia erat Cardinalis, numquam reſidentiam fecit, Epiſcopatus bona potius diſſipans, quam diſpenſans. Dominus autem Johannes prædictus qualis fuerit, Pontifex in ſupradictis literis ita oſtendit: *Vacante Eccleſia Bononienſi per obitum bonæ memoriæ Johannis Epiſcopi Bononienſis, quod nobis maximo dolori fuit, cum ipſum propter ſanctimoniam, prudentiam, & integritatem ſuam ab intimis cordis noſtri valde dilexerimus.*

Dominus Euſtorgius Epiſcopus Beneventanus dictus Spada-infaza, quia portabat inſigne cum duabus ſpatis tranſverſis, venit Bononiam Gubernator.

Grando magnam partem Comitatus Bononiæ deſtruxit.

A Canetulis Crevalcorium deprædatum eſt. Vicarius Caſtri erat Joannes Antonius de Galutiis. Baldaſſar dictus Betotius de Canetulo, qui propriis manibus Annibalem Bentivolum interfecerat, comprehenſus, & Bononiam ductus, in loco, ubi Annibalem occiderat, decapitatus eſt in Vigilia Nativitatis Domini, deinde in furcam pro pede ſuſpenſus, populo dignum ſpectaculum præbuit.

Euſtorgius Manfredus, qui dictum Baldaſſarem ceperat, taxatam proviſionem habuit.

Anno Domini 1449. Dominus Romeus de Pepulis cum ſuis fratribus, & Joannes de Fantutiis cum multis aliis, in Caſtro Sancti Petri peſtem fugientes, dominium Civitatis conabantur mutare, & totaliter Pontifici tradere Civitatem. Proditione detecta Capitaneus portæ Stratæ majoris, dictus Joannes Purgator, ſive *el Moſcha*, cum quibuſdam ſociis in platea capite puniti ſunt.

Dominus Romeus de Pepulis cum fratribus,

bus, & Joannes de Fantutiis cum multis ſequacibus de Caſtro prædicto ejecti, tamquam rebelles Civitate privati ſunt.

Quidam Rebelles Plumatium invaſerunt, inde expulſi, & Bononiam ducti ſuſpenſi ſunt. Caſtrum Medicinæ rehabitum eſt, & prædæ expoſitum, & vallum complanatum. Franciſcus Picininus hoſtis noſter Mediolani moriens Civitati noſtræ gaudium dedit. Epiſcopus Peruſinus receptus eſt cum honore prò Pontifice Bononiæ Gubernator.

Apud Richardinam Ludovicus de Gonzaga Dominus Mantuæ, & Vicerex Aragonum, cum ſuo exercitu a noſtris fuſus eſt, ducente exercitum noſtrum Euſtorgio Manfredo cum Garioto, & Gregorio de Angleria. Pedeſtres in ea pugna multa lucrati ſunt.

Ad Summum Pontificem Nicolaum miſſi ſunt Ambaſciatores Dominus Galeaz de Mareſcottis, & Dionyſius de Caſtello. Miles aureatus Dominus Galeaz à Pontifice effectus eſt. Turrim Oſellini in vallibus ſitam pro ſe, & ſuis in feudum accepit.

Anno Domini 1450. Jubilæum Romæ celebratum eſt ſub Nicolao Quinto Pontifice. Peſtis per omnes Civitates Italiæ, maxime Bononiæ, graſſabatur.

Aulæ, ſive ſalæ palatii Prætoris tectum vetuſtate conſumtum ære publico inſtauratum eſt. Architectus fuit Thomas Canicolus.

Beſſarion Cardinalis Græcuſa Nicolao V. Bononiam Legatus miſſus eſt.

Proceſſio ſolemnis Bononiæ facta eſt propter Canonizazionem Sancti Bernardini Ordinis Minorum, canonizati hoc anno a Nicolao V.

Comes Franciſcus Sforzia Regimini noſtro literas miſit, & notificavit, quomodo Mediolanenſes elegerant eum Judicem Mediolani, & hujus gaudii amicos ſuos Bononienſes participes eſſe voluit, rogavitque, ut Regimen noſtrum eo uteretur ad ſervitia ſua.

Apoſa tantum crevit de menſe Aprilis, quod fregit aquæ ductum Sapinæ ſuper ſe, ac vectem ferream, per quam ingreditur Civitatem per foveas. Fregit & alium aquæ ductum Sapinæ juxta portam Stratæ Caſtilionis; ingrediens Civitatem, dejecit partem muri horti Fratrum Sancti Dominici; omnium vicinorum cellaria implens, vegetes vini evertens, effudit ſe in campum fori, ripam diſſipans, & in canale Rheni irruens multa molendina proſtravit.

Pepuli & Fantutii totaliter expulſi ſunt à Caſtro Sancti Petri, & à Crevalcorio. Papa favit illi parti, quæ vicit, ſcilicet Bentivolis.

Anno Domini 1451. Federicus hujus nominis Tertius Imperator veniens ex Urbe Roma, & vadens in patriam ſuam, tranſitum fecit per Bononiam, ubi paucis diebus commoratus, ſicut fuerat magno cum honore ſuſceptus, ita in receſſu fuit aſſociatus. Civitatem ingreſſus eſt per portam Stratæ majoris, locatus fuit in Epiſcopatu juxta Sanctum Petrum. Cum vidiſſet filatoria ſerici, præ ordine & magnitudine admiratus eſt. Joannem Bentivolum Annibalis filium militem aureatum adhuc puerum fecit. Item Dominum Euſtorgium Manfredum de Faventia cum duobus filiis, Carolum de Malvitiis, Chriſtophorum de Cazanimicis, Baldaſſarum de Lupariis, Dominum Petrum Antonium de Paſellis. Duo apri prò ſolatio in cortili Epiſcopatus canibus expoſiti ſunt.

Canetuli, Pepuli, Zambeccarii, Vizani, coacto in unum exercitu ſuo, cum auxilio Corrigiorum, & Carpenſium, Bononiam ingreſſi ſunt fractâ portâ Galeriæ. Cum autem uſque ad Sanctum Petrum magna pars conclamando veniſſet *Canne*, *Canne*, à noſtris impetu facto rejecti ſunt. Nam Dominus Sanctes de Bentivolis, & Dominus Ludovicus cum Gaſpare de Malvitiis, & Jacobo de Lino ſuper campum fori, Hercules vero & Joannes Muſottus de Malvitiis de platea deſcendentes verſus Sanctum Petrum per viam Scutellarum, tantum terruerunt hoſtes, quod coëgerunt eos ad fugam. In ea fuga mortui ſunt multi de parte Canetulorum ad portam Galeriæ. Angelus filius Domini Carpi ab equo dejectus occiſus eſt, & in ſanguine ſuo nudus relictus.

Dominus Galeotus de Canetulo cum targa ſe convertens multis audientibus dixit: *Nondum peccata noſtra purgata ſunt.*

Dominus Franciſcus de Ghisleriis Doctor & Miles, compater Annibalis Bentivoli, & proditor, qui eidem dixit, quando advertit de proditione, & morte ſua: *Compater patientiam habebis*: a ruſticis comprehenſus cum Antonio de Vandino, & multis aliis, Bononiæ in furca ſita ſuper equimelum domus ſuæ ſuſpenſus eſt cum mitra in capite, & inaurato capiſtro.

Horologium, quod erat in Turri juxta palatium Poteſtatis ad Orientem, poſitum eſt in turri in angulo palatii Dominorum Antianorum ad Meridiem. Caſtrum Serravallis, ſive fortilitium, deſtructum eſt à Bononienſibus propter proditiones, quas ſæpe cum inimicis tractabat.

Anno Domini 1452. Dominicus de Caliſano, quia patrem ſuum & matrem interfecit, ut domus ſuæ dominus remaneret, crudelitate detecta nudus in curſu per Civitatem eſt ductus; forcipibus ignitis carnes ejus cruciatæ ſunt; ultimò in campo fori in quatuor partes diviſus eſt, ſicque crudelitatis ſuæ in parentes pœnas dedit.

Regiſtrum Bononiæ incœptum eſt, quo omnia inſtrumenta conſervantur.

Dominus Bonromeus Doctor, & frater ſuus carnalis juvenis formoſus & pulcher, filii magiſtri Jacobi cognomento Scriptoris, & quidam alius de Carpo propter quamdam proditionem, quam tractabant cum Canetulis, ad Arengheriam Poteſtatis ſuſpenſi ſunt. Primus fracto fune in terram cadens, cervice confracta iterum ſuſpenſus eſt. Fuit ſatis crudele ſpectaculum.

Societas Strazalariorum Crucem, quæ eſt in porta Lavigna, laminis æreis, ſed inauratis texit. Pro hoc opere 1000. libræ Bononinorum expoſitæ ſunt.

Dominus Nicolaus Veronenſis, Sacerdos nigromanticus, invocator Dæmonum, & qui Corpus Chriſti conſecrabat ſuper corpus mulieris nudæ, ab Inquiſitore Sancti Dominici, qui erat Magiſter Petrus de Majoritis, comprehenſus, tamquam relapſus damnatus eſt, & degradatus ſuper ædificium ligneum ante Eccleſiam Beati Dominici; Curiæ autem ſeculari traditus, dum duceretur ad campum fori, ut ibi ſententiam mortis compleret, in via invaſus à Joanne de Angelis, Aldrovandino de Malvitiis, Joanne de Imola, Luca de Sancto Georgio, Luca Bambaraſio, Antonio de la Cola, & multis aliis miſſis a Domino Achille de Malvitiis milite Sancti Joannis, de manibus Curiæ Poteſtatis vi erutus,

ad

ad domum dicti Domini Achillis ductus est, & extra Bononiam ultimo associatus. Legatus Bononiæ Bessario Cardinalis Græcus, vir justus, missis ministris suis, de invasoribus tantùm unum comprehendit nomine Maganzinum, virum omni suspendio dignum, quem illico ad arengheriam Potestatis suspendi fecit.

Constantinopolis à Turco capta est. Fossæ Civitatis Bononiæ, quæ planæ erant, & repletæ, concavatæ sunt & effossæ.

Dominus Stephanus Porcharius Romanus confinatus Bononiæ à Pontifice, cum Romam reversus fuisset sine licentia, comprehensus suspensus est detractis caligis.

Anno Domini 1453. Campana Arenghi fracta iterum fussa est.

In Agro Bononiensi grando multa consumsit. Corbis frumenti vendebatur solidis 40. Castrum Medicinæ quia tractabat cum Fantutiis contra regimen Bononiæ complanatum est, & rivalia destructa.

Campanile Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Servorum completum est, & elevatum.

Anno Domini 1454. Monasterium Sancti Michaëlis in Buscho, quod olim à Canetulis destructum fuerat, ne exercitus Martini Papæ ibi se fortificaret, expensis Communitatis Bononiæ reædificatum est, & completum. Monachi autem Montis Oliveti, qui manebant in Sancta Maria de Misericordia extra portam Stratæ Castilionis, ad dictum Monasterium redierunt.

Statuta Civitatis renovata sunt per Dominum Legatum Græcum Bessarionem Cardinalem, & per alios nostram Civitatem regentes.

Dominus Baptista Manzolus Doctor, & Canonicus Sancti Petronii, quamdam proditionem cum Canetulis procurans, detectus occulte suspensus est, & sepultus in Sancto Petro.

Duo fratres de Fuschetis, & quidam alius Civis, capite truncati sunt juxta portam Peradelli propter proditionem quamdam; rusticus autem, qui literas deferebat, suspensus est.

Diu stante Domino Jacobo de Gratis patritio Bononiensi apud Borsium Marchionem Ferrariensem, factum est, ut Bononienses liberi essent à solutione bullettarum passuum & pontium in dominio suo; & similiter Ferrarienses in nostro dominio. Hæc per præconem annuntiata sunt in platea.

Franciscus Foscari Dux Venetiarum Regimini nostro literas misit, quibus notificabat, quomodo pax facta erat inter Venetos, & Ducem Mediolani.

Dux Mediolani Franciscus Sfortia idem fecit cum literis suis ad Regimen nostrum. Florentini, qui legam fecerant cum Rege Aragonum, Duce Venetiarum, & Duce Mediolani, hoc suis literis Regimini nostro indicare curarunt.

Baptisterium novum factum est in Sancto Petro, & positum in capella Sancti Bartholomæi.

Dominus Xantes de Bentivolis Dominam Ginebriam filiam Domini Alexandri Sfortiæ Domini Civitatis Pisauri duxit uxorem cum tanta pompa & apparatu, ut Regi merito conveniret. Exenia his nuptiis missa sunt à multis Dominis, à Civibus particularibus, à Communitatibus nostris in tanta copia, quod longum esset numerare. Hi autem sunt Cives, qui Pisaurum missi sunt ad conducendum Sponsam: Dominus Achilles de Malvitiis Miles Sancti Joannis, Dominus Nicolaus Sanutus, Dominus Christophorus de Cazanimicis, Dominus Baptista de Castro Sancti Petri, Dominus Gaspar de Arengheria, Dominus Paulus della Volta, Dominus Petrus Antonius de Pasello, Ghirardus Bevilaqua Ferrariensis, Joannes de Guidottis, Joannes Felicinus, Bartholomæus de Castello, Joannes Benedictus de Barberiis, Bartholomæus de Magnanis.

Mulier quædam unici filii sui adolescentis usa concubitu, cum semel ab ea invitatus, ut secum jaceret, & ille naturali verecundia ductus refugeret, tamdem matrem detexit. Mulier convicta, in platea Civitatis nostræ apud palatium Notariorum viva combusta est.

Joannes Musotti de Malvitiis tres nautas incarceratos contemplatione Venetorum manu armata è carcere liberavit, & liberos abire permisit. Quamvis aliis hæc displicuerit, tamen res inulta permansit.

Anno Domini 1455. Comes Jacobus Picininus cum exercitu in agrum Bononiensem veniens, petens à Bononiensibus magnam pecuniæ quantitatem propter damna illata à Bononiensibus fratri suo Francisco Picinino, à Duce Mediolani Francisco prohibitus, ne mala nobis inferret, recessit. Tunc Veneti Bononiensibus fidem non servarunt, auxilium negantes. Pro auxilio nostro à Duce Mediolani missus est in agrum Bononiensem magnus exercitus.

Bessarion Græcus Legatus Bononiæ, mortuo Nicolao Quinto, Romam accessit. Vir fuit doctissimus, & justitiæ amator. Capellam novam Assumtionis Virginis in Sancta Maria in Monte ædificari fecit suis impensis. Historiam ibi pictam Assumtionis Virginis cum aliis figuris, & maxime cum naturali effigie ipsius, Galasius Ferrariensis ingeniosus juvenis pinxit.

Ad Calistum Pontificem de novo creatum missi sunt Ambasciatores Dominus Nicolaus Sanutus Comes & Miles, Dominus Ludovicus Cazalupus Miles, Dominus Christophorus de Cazanimicis Miles, Dominus Paulus della Volta Doctor & Miles, Dominus Gaspar de Arengheria Doctor & Miles, Dominus Scipio de Gozadinis Doctor & Miles.

Terræmotus Campanile Sanctæ Mariæ in Monte, & multa fumantia Bononiæ ad solum dejecit.

Processio solemnis Bononiæ celebrata est propter canonizationem Sancti Vincentii Ordinis Prædicatorum.

Ludovicus Episcopus, Nepos Calisti Papæ, Bononiam Legatus missus, postea Cardinalis factus.

Cum isto venit Bononiam causa studendi juvenis quidam, & Nepos Papæ, dictus Rodoricus Borgia. Hic postea Cardinalis factus, & Vicecancellarius, ultimo in Papam creatus est, & dictus Alexander Sextus.

Die XVII. & XVIII. Junii propter nives, quæ ceciderant in montibus, magnum frigus fuit. Ecclesia Sancti Michaëlis in Busco per Episcopum Forlivienſem consecrata fuit.

Dux Joannes Provincialis, cum 3000. equis transitum faciens per Bononiam, honorifice receptus est in domo Virgilii de Malvitiis.

Per Magistrum Aristotilem Bononiensem, virum ingeniosum, Turris Ecclesiæ de Man-

Digitized by Google

sione, sive della Masione, portata est per spatium quatuor perticarum.

Prædicata est Crux, & passagium contra Teucros per Italiam ex parte Papæ. Prædicator fuit quidam Magister Nicolaus Romanus Ordinis Eremitarum. Recoltæ sunt libræ septem millia & ducentæ cum multis armis. Collectores fuerunt hi, Magister Petrus de Majoritis Ordinis Prædicatorum, Joannes de Guidottis, Bartholomæus de Cospis, Thomas de Zanetinis, & Jacobus de Arengheria.

Campanile Sancti Blasii de Cento per Magistrum Aristotilem erectum est; ante enim pendebat per pedes quinque.

Baptista de Gnudulo cum duobus sociis ob sodomiticam artem cum comburi deberent, interventu amicorum ignis in torturam publicam commutatus est.

Anno Domini 1456. Dominus Melchion de Mollio, magnus Legum Doctor, & Vexillifer Justitiæ, vita functus est. Dicebatur quod veneno periit. Ludovicus de Cazano in platea capite punitus est, quia Canetulorum partem tenens voluit perdere Civitatem.

Dominus Andreas de Manzolino Legum famosissimus Doctor, mortuus est.

Dominus Ludovicus de Malvitiis magnus ductor armorum uxorem duxit de domo illorum de Carreto. Magnus apparatus factus est.

Duo juvenes barbitonsores, notati de vitio contra naturam, cum comburi deberent, amicis rogantibus pœna ignis & mortis in verbera mutata est. Nam nudi ligatis post tergum manibus per Civitatem verberati, verecundum & dignum spectaculum præbuerunt. Aliquæ mulieres tales inspicientes, sic dicebant: *Genitalia membra talibus præcidi deberent*.

Ser Melchion de Azoguidis Notarius Vir pro Republica valde perutilis, ac in civili vita famosus, epidimia mortuus est, & sepultus in Sancto Nicolao de Albaris.

Monasterium Sororum Corporis Christi Ordinis Minorum ædificari cœptum est. Quindecim sorores vitæ regularis de Ferraria Bononiam ad dictum Monasterium inhabitandum ductæ sunt, quarum prima nuncupabatur Soror Catherina de Nigris de Bononia. Ex bonis Baptistæ de Manzolis hoc Monasterium magnum augmentum accepit.

Venetorum Dominium Regimini nostro scripsit, quomodo contra Teucrum habuerunt magnam victoriam.

Summus Pontifex misit per omnes Christianorum Civitates, ut *Ave Maria* in meridie pulsaretur & diceretur, quatenus Christiani victoriam de Teucris reportarent; opprimebant enim tunc valde Christianos Teucri in partibus Græciæ, eo quod Constantinopolim ceperant.

Hercules Estensis, qui militabat in Regno Neapolitano, scripsit literas de magno terræmotu facto in eodem Regno, & quomodo magna ædificia, turres, Ecclesias, Palatiaque dejecit.

Ecclesia Sanctæ Annæ in Capella Sancti Mammæ data est Fratribus Eremitis Sancti Hieronymi per Calixtum Tertium. Hi Fratres ante morabantur in Sancto Christophoro de Moradellis post Collegium Hispanorum, sed pro ædificatione Monasterii Sororum Corporis Christi inde amoti sunt, & dicta Ecclesia funditus eversa; tunc enim in habitu Eremitæ incedebant; postea impetraverunt Cappam, & Scapulare cum Caputiis.

Anno Domini 1457. dira pestis multos occidit. Dominus Baptista de Castro Sancti Petri, Doctor Legum magnus, & Dominus Gaspar de Arengheria Doctor, & Miles, & de sexdecim regentium Civitatem, peste mortui sepulti sunt in Sancto Dominico.

Per multos dies Processiones per Civitatem factæ sunt, ut Deus custodiret nos à terræmotibus. Battuti circuibant Civitatem, & quando veniebant ad Cruces, omnes alta voce clamabant: *misericordia*, *misericordia*. Per octo dies à carnibus ferè omnes abstinebant; Beccarii carnes non vendebant; jejunia continuabantur, Meretrices ad concubita nullum admittebant. Ex eis quadam, quæ cupiditate lucri adolescentem admiserat, deprehensâ, aliæ meretrices ita illius nates nudas corrigiis percusserunt, ut sanguinem emitteret.

Dominus Joannes de Anania Archidiaconus Bononiensis, & famosissimus Canonista mortuus est, & magno cum honore sepultus in Ecclesia Servorum Sanctæ Mariæ. Hic vivens omnia bona sua pauperibus erogavit. Ante Clericatum uxorem habuerat. Factus Clericus nostram Civitatem lectionibus, consiliis, & bonis operibus illustravit. Eum tota Civitas, & maximè pauperes, ploraverunt.

Mortuo Domino Gaspare de Bononia Ordinis Prædicatorum Episcopo Imolensi, in locum ejus ordinatus est Dominus Antonius della Volta Protonotarius per Calixtum Tertium Pontificem Maximum. Hic Dominus Gaspar magnus Philosophus & Theologus fuit Religionis Observantiæ, qui præclarè obiit Ferrariæ, sepultus in Conventu Angelorum Fratrum Ordinis sui.

Anno Domini 1458. Angelus Aretinus Cardinalis Sanctæ Crucis Bononiam Legatus à Pio Pontifice missus est. Vir fuit Catholicus, ac Religiosorum Amicus. Multo tempore pacifice Bononiam gubernavit.

Dominus Tibertus Brandolinus, gentium armorum Ducis Mediolani magnus ductor, Bononiam veniens cum filio suo eidem desponsavit Dominam Antoniam filiam quondam Annibalis de Bentivolis; deinde Imolam vadens pro se accepit in Uxorem filiam Guid-Antonii de Manfredis. Post paucos dies iterum Bononiam reversus Sponsam filiam sui Sigismundi duxit in agrum Parmensem, ubi sua Castra possidebat.

Rex Alphonsus vita functus est. Hic habebat septem Regna sub se: tamen suam residentiam Neapoli faciebat. Ferdinandus ejus filius ei successit in Regno. Romæ in Sancto Petro duæ capsæ argenteæ cum duobus corporibus inventæ sunt valoris quindecim millium ducatorum.

Legatus Bononiæ, Nepos Calixti Papæ, intelligens, Pontificem graviter infirmum, cum Domino Scipione de Gozadinis, & Domino Nicolao Sanuto, Romam accessit.

Ad eundem Pontificem missi sunt Ambasciatores Dominus Vianexius de Albergatis, Dominus Paulus della Volta, & Carolus Blanchetus.

Mortuo Calixto Tertio, & creato Pio II. missus est Bononiam Legatus Angelus supradictus.

Magna siccitas Bononiæ fuit. A Festo Sancti Petri Apostoli usque ad diem X. Septembris nunquam pluit.

Creato Pio II. reversus est Romam Frater

Lu-

Digitized by Google

Ludovicus Bononienſis Ordinis Minorum vitæ regularis, miſſus à duobus Summis Pontificibus præceſſoribus, ideſt Nicolao Quinto, & Calixto Tertio, ut excitaret ſua prudentia Chriſtianos Orientis, Principes, & Amicos Chriſtianorum, contra Turcos: quod & fecit, ſecum adducens Oratores Michaëlis Imperatoris..... Nicolai Regis Perſarum, Coſtopi Ducis Giorgianorum, Mammarvis ..... Sultani Meſſopotaniæ, & Morachi Varbuchi Domini in Armenia.

Anno Domini 1459. Magiſter Philippus de Mediolano, Phyſicus practicus atque famoſus, mortuus eſt, & ſepultus in primo clauſtro Monaſterii Sancti Michaëlis in Buſco.

Die 15. Madii Pius Papa vadens Mantuam ad Concilium, ut expeditionem faceret contra Turcos, per Bononiam tranſiens cum magno honore ſuſceptus eſt.

In die Pentecoſtes in Sancto Petronio Miſſam cantavit, omnibus aſtantibus Indulgentiam plenariam tribuens. Venit in Civitatem per portam Stratæ majoris, & exivit per portam Galeriæ finitis diebus Pentecoſtes.

Requievit in palatio majori; & quia ſpecialiter venerabatur Ordinem Prædicatorum, omnes Fratres Conventus Sancti Dominici videre voluit. Qui proceſſionaliter ad cameram Papæ accedentes, ſunt ab eo gratiſſimè viſi. Inter reliqua verba quæ dixit, intulit: *Vos eſtis lumina Mundi, & Catholicæ Fidei defenſores: ideo merito eſtis privilegiis, quæ confirmo, muniti ab Eccleſia atque dotati. Venite ergo bini bini ad oſculandum Pontificis pedes.* Ego, qui hæc ſcribo, præſens fui.

Dominus Bornius de Sala Legum Doctor ante Pontificem orationem fecit; & quia Rempublicam regentes non parum de malo regimine gravavit, neceſſe fuit per aliquod tempus à Civitate ſe ipſum abſentare. Pontifex cum audiſſet Orationem veram, ſed mordacem, inquit: *Bene oraſti, Borni*. Tum hinc recedens Pontifex eum Mantuam ſecum duxit, ne ex Oratione facta aliquid mali pateretur. Iſte Dominus Bornius Socrati Philoſopho valde ſimilis fuit.

Dominus Ludovicus de Mareſcottis, ſive de Calvis, Legum Doctor & Miles, vir Patritius de numero XVI. regentium Civitatem, poſt multos labores pro Republica paſſos, in ultima ſenectute defunctus eſt, & ſepultus in Sancto Dominico cum Patritiorum honore.

Johannes Felicinus magnus dives carceri traditus eſt, quia mutuaverat Canetulis pecuniæ quantitatem. Malvitii, ne moreretur, ſe medios poſuerunt. Condemnatus eſt, ut libras viginti millia Cameræ ſolveret; Domino vero Xanto de Bentivolis decem millia, quia ipſe hanc rem detexerat. Omni pecunia ſoluta, Veronam ad confinia miſſus eſt.

Dominus Galeaz primogenitus Ducis Mediolani, veniens Bononiam cum magno comitatu, honorifice receptus eſt, & hoſpitatus in palatio Gregoriano, ſive de Pepulis, & in domo illorum de Mazarellis.

Expenſæ factæ, & donaria à Communi Bononiæ quando Pontifex Pius Bononiam venit, aſcenderunt uſque ad libras quadraginta octo millia; nam dono Papæ dederunt unum vas argenteum cum mille ducatis aureis; ſingulis autem Cardinalibus ſimiliter quædam exenia oblata ſunt.

Ad Concilium Mantuanum miſſi ſunt Ambaſciatores Dominus Achilles de Malvitiis, Dominus Jacobus de Gratis, & Dominus Ludovicus Cazalupus.

Anno Domini 1460. Datierii per imbuſſulationem extrahi cœperunt; ante enim datia vendebantur.

Pius Pontifex Bononiam reverſus, cum eſſet Bianori, militem aureatum fecit Reginaldum Formagninum.

Magna pecuniarum collectio, Papa mandante, Bononiæ facta eſt, ut contra Teucrum poſſet Armata componi.

Dominus Angelus Epiſcopus Aretinus, & Gubernator Bononiæ, dum in Quadrageſima cauſa devotionis habitaret in Sancto Dominico, pileum Cardinalatus accepit. Propter hoc magnum feſtum per totam Civitatem celebratum eſt. Deinde Senas ad Papam acceſſit. Profectus eſt autem cum Ambaſciatoribus noſtris, qui ante ad Papam iverant, ſcilicet Domino Paulo della Volta, & Domino Chriſtophoro de Cazanimicis, & magno cum honore ſuſceptus eſt.

Dominus Xantes Bentivolus in Strata Sancti Donati ultra Sanctum Jacobum, & domum Caroli de Malvitiis Palatium regale incepit, Magiſtro Pagno Florentino Architecto.

Indulgentia Plenaria in die Aſſumtionis in Sancta Maria in Monte à Papa poſita eſt.

A principio Madii uſque ad principium Auguſti in agro Bononienſi pluvia non cecidit.

Dominus Ludovicus Malvitius cum copiis ſuis manens in Comitatu Bononienſi, Regimini noſtro timorem incuſſit, ne aliquid moliretur contra Civitatem: quare adhibita eſt portis aliqua cuſtodia.

Hieronymus de Guidutiis de Monte Vellio proditorie occiſus eſt à duobus apud ſeralium Saragotiæ. Ex his duobus unus comprehenſus, nomine Inglerius de Mongardino, nudato corpore cum forcipibus aduſtus eſt per Civitatem, ultimo in platea in quatuor partes diviſus ad quaſdam portas Civitatis ſuſpenſus eſt. Legatus Romam acceſſit cum Domino Chriſtophoro de Cazanimicis, & Domino Jacobo de Marſiliis, qui licentiati à Pontifice Bononiam reverſi ſunt.

Dominus Paulus della Volta, exiſtens Poteſtas Senenſis, Fratres Minores ſeptem punivit, quia occiderant unum mercatorem, qui habebat in bulgiis quinque millia aureos; ſed nullum habuerunt, nam equus fugiens venit ad hoſpitium, ubi ante fuerat. Hoſpes rem videns, ad Poteſtatem acceſſit: miſſi miniſtri cum nullum alium inveniſſent, niſi Fratres Minores, eos comprehenderunt, ad Poteſtatem duxerunt. Inventæ ſunt eorum chordæ cruentatæ: auctoritate Pontificis puniti ſunt.

Circa hæc tempora claruit Beatus Frater Bernardinus Arioſtus Bononienſis Ordinis Prædicatorum.

Anno Domini 1461. Petronius Papazonus, & uxor ſua cum una famula hoc modo à quodam ſuo famulo occiſi ſunt. Nam dictus famulus viſus parare equum, dominum ſuum ingredientem ſtabulum ſecuri percuſſit, & infra paleas abſcondit. Vocavit uxorem in ſtabulum ex parte mariti; quam illico ingreſſam ſtatim occidit; poſtea famulam ſubſequenter vocatam ſecuri extinxit. Aſcendens domum quamdam puellam clamantem multis ictibus

Digitized by Google

quasi mortuam dereliquit. Postquam rebus pretiosis domum exspoliasset, fugam iniit. Deo volente apud Mezolariam in quodam boscho comprehensus est; suam autem vitam hoc modo finivit. Nam in curru per Civitatem nudus vectus, & forcipibus ignitis cruciatus, cum devenisset ad domum dicti Petronii, una manu privatus est; deinde in porta Ravignana alia manu; ultimo in plateam ductus, & in quatuor partes divisus, suæ crudelitatis sententiam complevit.

Regina Cypri à Regno per suum Cognatum ejecta, de Roma Sabaudiam vadens, Bononiæ cum honore susceptа est.

Matthæus Galeoti Canetuli filius, formosissimus adolescens, femineo habitu indutus, Romam contendebat, multis mulieribus & famulis comitantibus. A Raphaële Pistorienſi stipendiario Bononienſium in agro Pistorienſi occisus est. Res crudelis visa, & tanto assassino digna.

Anno Domini 1462. Officia, quæ dabantur pro regimine Castrorum & montium pro sex mensibus, data sunt pro anno, dummodo extracti ad Officia solverent Communitati dimidietatem salarii. Hæc autem facta sunt, ut Duci Mediolani posset dare Communitas nostra aureos viginti millia.

Princeps Achajæ expulsus à Teucro, per Bononiam transitum fecit, Romam petens.

Processio solemnis Bononiæ celebrata est propter canonizationem Sanctæ Catharinæ de Senis. Imago ejus in processione portata est cum stigmatis, ut depingitur Sanctus Franciscus. Hæc Sancta fuit de tertio Ordine Sancti Dominici.

Apposa versus Ecclesiam Sancti Martini testudine tecta est, ante enim erat discooperta.

Dominus Philippus de Sarzana, Episcopus Bononienſis, & Cardinalis, Bononiam venit, ut amoveret discordiam inter Bononienses, & Centenses, & Plebanos.

Tibertus de Brandolino incarceratus à Duce Mediolani in Porta Vercellina, gladio in guttur infixo se ipsum occidit, sepultus honorifice in Sancto Francisco.

Dominus Xantes de Bentivolis primus inter sexdecim Civitatem regentes mortuus est, & sepultus in Ecclesia Sancti Jacobi Fratrum Eremitarum. Omnes Societates temporales, & spirituales fuerunt in funere suo. Circumductum est cadaver ejus per Bononiam, & usque in plateam, antequam humo traderetur.

Indulgentia plenaria Ecclesiæ Sancti Petronii concessa est per Summum Pontificem.

Dominus Joannes Bentivolus Annibalis filius, mortuo Domino Xante, factus est Vexilliser Justitiæ, & associatus in plateam cum honore decenti; tunc enim principatum inter sexdecim iniit, ante enim ut juvenis privatus vivebat.

Anno Domini 1463. Beata Soror Catherina de Bononia de Monasterio Corporis Christi cum in fovea mortua stetisset per aliquod tempus, inde extracta integra, exposita est ad videndum & venerandum.

Apposa ultra solitum augumentum accipiens multa in Civitate intulit damna.

Bessarion Græcus Cardinalis Venetias à Pontifice missus, ut cum cunctis ordinaret expeditionem contra Teucrum, transitum fecit per Bononiam.

Jacobus de Luppariis ad Venetos missus est, ut ordinaret de duabus Galeis ab eis Communi nostro ad armandum concessis contra Teucrum.

Anno Domini 1464. Ecclesia Sancti Petronii magnum augumentum accepit, additis ex omni parte quatuor capellis. Officiales autem erant Joannes de Guidotis, Joannes Blanchetus, Bartholomæus de Cospis. Et hoc augumentum factum est procuratione, & solicitudine Domini Angeli Reatini, Cardinalis Sanctæ Crucis, viri devoti, atque Catholici, qui suis impensis Sacristiam quoque testudinatam de novo in Ecclesia Sancti Michaëlis in Monte construxit, & in Conventu Sancti Dominici dormitorium Novitiorum vetustate consumtum renovavit.

Dominus Joannes de Bentivolis desponsavit Dominam Ginebriam filiam Domini Alexandri Domini Pisauri, & quondam Uxorem Domini Xanti Bentivoli. Pius acceptis 300. aureis super affinitate dispensationem fecit.

Ad deducendam Sponsam Julii filii Virgilii de Malvitiis, filiam Comitis Marchi de Codognola, missi sunt Mediolanum Dominus Scipio de Gozadinis, Dominus Bornius de Sala, Carolus Blanchetus, Philippus de Manzolis, Eganus de Lambertinis, Joannes Antonius de Gozadinis, Joannes Malvitius, Hercules Malvitius, & Alexander Malvitius. Bononiæ factum est magnum festum: multi exenia obtulerunt.

Comes Jacobus Picininus, magnus in bellicis, transitum faciens per Bononiam, maximo honore susceptus est, & receptus in palatio Bentivolorum. Mediolanum ibat ad sibi desponsandum Dominam Drusianam filiam naturalem Ducis Mediolani Francisci.

Dominus Achilles de Malvitiis Miles Sancti Joannis Anconam, ut galeas ingrederetur, accessit cum multis, qui Crucem contra Teucrum assumserant. Pius enim II. Papa illuc accesserat, ut cum Venetis, & multo exercitu Christianorum per mare Turcum debellarent.

Dominus Jacobus de Gratis cum suo filio Alexandro, & multis aliis de Bononia Anconam, & inde Venetias vadens ad galeas Bononienſium, non ultra processit, nam Pius II. in Ancona mortuus est, & sic omnia infecta remansere. Dictus quoque Dominus Jacobus in ægritudinem cadens, mansit Clugii in Conventu Fratrum Prædicatorum, à quibus diligentissime custoditus & gubernatus est.

Quadraginta millia ducati missi sunt Regi Ungariæ ad pugnandum contra Teucrum.

Ad Paulum Secundum Pontificem Maximum missi sunt Ambasciatores Dominus Christophorus de Cazanimicis, & Joannes de Guidottis.

Anno Domini 1465. multi usurarii mortui sunt, qui mutuabant viginti aut triginta pro centenario. Ad Paulum Pontificem missi sunt duo Ambasciatores, scilicet Dominus Paulus della Volta, & Dominus Jacobus de Marsiliis.

Federicus adolescens filius Ferdinandi Regis Neapolitani in eundo Mediolanum, & redeundo receptus fuit a Civitate nostra cum honore condigno expensis Communitatis; duxit enim secum de Mediolano Dominam Hippolytam filiam Ducis Mediolani Francisci, & sponsam Domini Alphonsi Principis Tarentini. Dominus Galeaz de Maresçottis hanc magnifice recepit in suo palatio in uno prandio apud Comfortinum.

Res

Res monſtruoſa accidit hoc anno. Cardinalis dictus Patriarcha Aquilegenſis mortuus reliquit poſt ſe ſexcenta millia ducatorum. O quam bonus diſpenſator!

Comes Jacobus Picininus, Dux magnus armorum, à Duce Franciſco Neapolim miſſus ad Regem Ferdinandum, ab eo capite truncatus eſt, ſicque Dux Mediolani, & Rex Ferdinandus à timore, quem habebant de virtute Comitis Jacobi, liberati ſunt.

Dominus Joannes de Bentivolis cum maxima comitiva Civium Mediolanum ad viſitandum Ducem Franciſcum acceſſit, indeque feliciter reverſus eſt. Corbis Frumenti vendebatur ſolidis 56.

Ambaſciatores noſtri à Curia regreſſi Capitula confirmata à Pontifice portaverunt.

Super molendina augmentum, quod per 20. annos duraverat, ſublatum eſt.

Anno Domini 1466. Dominus Paulus della Volta vir patritius, & Reipublicæ prudens Doctor, ac Miles, cum Prætoriam Florentinorum, & Senenſem laudabiliter adminiſtraſſet, tamdem Bononiæ de numero Patritiorum ſeu XVI. factus, ex hac luce migravit, ſepultus in Eccleſia Fratrum Minorum Sancti Franciſci.

Jubente & ordinante Summo Pontifice Paulo novus modus regendi inſtitutus eſt. Qui erant ſexdecim Cives regentes Civitatem, venerunt ad numerum XXI. & omnes in Senatu ſedebant, & conſilia voceſque dabant; ſed nunc per prædictum Papam ſtatutum eſt, ut XI. ſedeant cum Domino Joanne Bentivolo per ſex menſes, per alios autem ſex menſes reliqui ſimiliter faciant; ſunt autem iſti:

Dominus Joannes Bentivolus, Dominus Scipio de Gozadinis, Dominus Carolus Malvitius, Dominus Ludovicus Cazalupus, Dominus Galeaz Mareſcottus, Dominus Jacobus de Gratis, Dominus Chriſtophorus de Cazanimicis, Ser Dionyſius de Caſtello, Nicolaus Poëta, Chriſtophorus de Arioſtis, Petrus de Purgo. Pro aliis ſex menſibus: Dominus Ludovicus de Bentivolis, Dominus Paulus della Volta, Dominus Nicolaus Sanutus, Virgilius Malvitius, Joannes de Guidottis, Joannes ab Armis, Meſſer Hieronymus de Ranutiis, Carolus Bianchetus, Bartholomæus de Mino de Rubeis, Petr . . . . . .

Dominus autem Joannes Bentivolus non per vices, ſed continue in Senatu ſedebat.

Quia multi Cives Florentini conjuraverant in occiſionem Petri filii quondam Coſmæ de Medicis, Dominus Joannes Bentivolus auxiliarios multos ex noſtris montibus Florentiam miſit.

Dominus Joannes de Vienna Sacerdos, quia quemdam Ferrarerium occidit in montibus, ut eum exſpoliaret, poſitus eſt in gabbia, in qua cum per aliquot menſes ſtetiſſet, depoſitus eſt propter frigus in communi carcere, qua perforata cum multis incarceratis aufugit.

Ad Pontificem miſſi ſunt Ambaſciatores Dominus Chriſtophorus de Cazanimicis, & Magiſter Hieronymus de Ranutiis Medicus.

Anno Domini 1467. apud Mulinellam Bartholomæus Cuglionus Bergomenſis cum exercitu magno contra Ducem Mediolani dimicavit in feſto Sancti Jacobi Apoſtoli. Ab hora nona uſque ad primam horam noctis pugna conducta eſt; multi mortui, & plures ex utraque parte vulnerati ſunt. Ex utraque parte numerus bellatorum quadraginta millium fuit.

Dominus Jacobus de Gratis miles, vir patritius, & pro Republica noſtra benemeritus, cum pluries ad diverſa loca Ambaſciator acceſſiſſet, & multa laude digna operatus fuiſſet, mortuus eſt multis relictis filiis, & ſepultus in Eccleſia Servorum. Hic primus fuit, qui domum ſuam illuſtravit; nam cum eſſet juvenis, Pelliparius erat; pro rebus Reipublicæ exercitatus adeo profecit, ut in legationibus ad Principes nullum ſuperiorem haberet, erat quippe facundus in vulgari ſermone, & ornatus. Nam ad Dominam Blancham Ducissam Mediolani cum Ambaſciatoris fungeretur officio, magnam ab eo gloriam, & laudem conſequutus eſt. Ferunt ipſam dixiſſe: *O quam ſapiens Pelliparius!* Mortuo eo Nicolaus quondam Domini Petri de Aldrovandis inter ſexdecim ejus locum accepit.

Marianus de Bargellinis ſpurius à legitimis fratribus, quia petebat portionem ſubſtantiæ à patre relictam, multis vulneribus impoſitis mortuus eſt.

Frater Laurentius Ordinis Servorum fucato habitu in lupanari vulneratus eſt; inde diſcedens, antequam perveniret ad Conventum, in via mortuus eſt.

Dux Mediolani Galeaz cum toto ſuo exercitu per medium Civitatis noſtræ tranſivit.

Quatuor fratribus de Tuſchis Bononiæ ſubſtantiam inter ſe dividentibus, unus à fratribus minoribus occiſus eſt.

Petrus de Purgo de numero ſexdecim Regentium Civitatem mortuus eſt, in cujus locum poſitus eſt Carolus Antonius de Fantutiis, vir prudens & diſcretus.

Corbis vini vendebatur uno ducato auri; frumenti autem abundantia erat.

Carolus Blanchettus vir Patritius de numero XVI. Regentium Civitatem mortuus eſt, & ſepultus in Sancto Jacobo, in hujus locum ſucceſſit Joannes Blanchettus.

Legatus Bononiæ Dominus Angelus vocatus à Pontifice Romam cum Magiſtro Hieronymo de Ranutiis Medico acceſſit.

Ad Pontificem Summum miſſus eſt Ambaſciator Virgilius de Malvitiis, vir callidi ingenii; nam Papa tunc moliebatur ſtatum Civitatis noſtræ mutare.

Ad Ducem Mediolani miſſus eſt Ambaſciator Dominus Paulus della Volta.

Anno Domini 1468. Dominus Achilles de Malvitiis Miles Sancti Joannis de Rhodo, & de numero ſexdecim Regentium Civitatem mortuus eſt, & ſepultus in Sancto Jacobo Fratrum Eremitarum. Hic Hæreticorum defenſor erat; & quia Uxorem habere non poterat, ex Monialibus filios procreavit. Ejus beneficium, ſive Militiæ dignitatem, accepit poſt eum nepos ejus Dominus Euſtorgius de Malvitiis Virgilii filius.

De menſe Decembri, & Januarii Bononiæ in quibuſdam hortis roſæ inventæ ſunt.

Quia omnes Domini Italiæ pacem fecerant, per tres dies proceſſio celebrata eſt.

Impetus ventorum inſolitus Bononiæ multa ædificia ad ſolum dejecit.

Dominus Joannes Baptiſta Sabellus Romanus Prothonotarius à Pontifice Gubernator Bononiam miſſus eſt. Hic in regimine ſagax & aſtutus erat. Hujus prudentiâ multa Bononiæ rectificata ſunt; carceres aperti ſunt, & captivi dimiſſi, exceptis duobus Fratribus Minoribus, qui propter proditionem quamdam ibidem ſervabantur.

Ni-

Digitized by Google

Nicolaus de Aldrovandis Patritius, & de numero XVI. Regentium Civitatem, mortuus eſt, & ſepultus in Sancto Stephano. In hujus locum poſitus eſt Dominus Albertus de Cathaneis Legum Doctor, qui conductus à Senenſibus ad legendum revocatus eſt.

Dominus Carolus de Malvitiis Patritius, & de numero XVI. Regentium Civitatem, mortuus eſt, relictis multis filiis; ſepultus in Eccleſia Sancti Jacobi Fratrum Eremitarum. Ejus locum inter Sexdecim tenuit Baptiſta de Malvitiis.

Domina Blancha Duciſſa Mediolani vita functa eſt. Sigiſmundus Malateſta, vir diabolicus, & Arimini Dominus extinctus eſt.

Ad Imperatorem Federicum Tertium, qui erat Ferrariæ, Dominus Joannes Bentivolus equum unum bardatum valoris centum quinquaginta ducatorum pro dono miſit. Ambaſciator fuit Ser Benedictus Morandus Cancellarius Communis Bononiæ, vir eruditus, & Jacobus Hiſpanus Magiſter Stabuli, cui quadraginta ducati donati ſunt. Imperator autem Domino Joanni Bentivolo conceſſit, ut poſſet deferre Aquilam cujuſcumque coloris, præter nigram.

Sorores Sancti Joannis Baptiſtæ, quia minus honeſtè vivebant, expulſæ ſunt à Monaſterio, in quarum loco introductæ ſunt ſorores Sanctæ Mariæ Magdalenæ ſtratæ Sancti Donati.

Frater Joannes de Faëllis Veronenſis Ordinis Servorum Prior Sancti Oſſani in Montibus Bononiæ, invocator Dæmonum, & Hæreticus, ab Inquiſitore Sancti Dominici comprehenſus damnatus eſt. Hic enim compoſuit quemdam Librum dictum Florem novellum, plenum multis erroribus. Cives Bononienſes coire faciebat cum Dæmonibus in ſpecie puellarum; Dæmones venerabatur, & illi oblationes faciebat.

Hercules Malvitius fuit effectus dux militaris pro Venetis 100. equitum cataphractorum contra Turcas.

Claruit Beatus Conradinus Arioſtus de Bononia Ordinis Prædicatorum, ſummæ pietatis vir, qui & hoc anno ad cœlos evolavit: ſepelitur autem in Dominicanorum Cœnobio.

Anno Domini 1469. Ser Dionyſius de Caſtello Procurator Palatii, ſive Cauſidicus, cum circa Rempublicam in multis prudenter ſe geſſiſſet, tamdem de numero XVI. Patriciorum factus, in ultima ſenectute vitam finivit, ſepultus in Eccleſia Sancti Petri; cui ſucceſſit Bartholomæus ſuus filius.

Anno Domini 1470. Quia artifices Civitatis ſtationes ſuas cum banchis ligneis ultra porrectis vias deformabant, omnia talia juſſa ſunt amoveri. Porta Ravignana lateribus coctis ſtrata eſt. Omnes viæ Civitatis lapidibus fluminum ſimiliter ſtratæ ſunt.

Galeaz Dux Mediolani Communi noſtro unum bovem pinguem & magnum dono miſit, tectum panno albo & morello cum ſuis ſignis. Conductori à Regimine noſtro donati ſunt 100. ducati auri. Renovavit Dux iſte antiquum morem ſervatum inter Vicecomites Mediolani, & Bononienſes, qui ſibi invicem mittebant, & remittebant.

Bronzina, ſive Bombarda Bononiæ facta, eſt comprobata.

Dominus Alexander Sfortia Piſauri Dominus, vadens Mediolanum, per Bononiam tranſitum faciens, receptus eſt cum honore in domo Domini Joannis Bentivoli generi ſui.

Torneamentum Bononiæ in platea in die Sancti Petronii factum eſt cum tanto apparatu veſtimentorum, & armorum, ut antiquitas Romana renovata videretur. Ex una parte fuit Dominus Johannes Bentivolus cum ſuis bellatoribus albis indutis. Ex alia parte Dominus Antonius Trottus Alexandrinus Bononienſium Capitaneus cum ſuis rubeis indutis. Magno ſpatio pugnatum eſt. Domino Joanni, & ſuis laus & triumphus datus eſt. Ad hoc grande ſpectaculum ex multis Civitatibus convenere plurimi ad videndum. Dux Mediolani octo equos tectos ducali magnificentia ornatos miſit Domino Joanni Bentivolo per Comitem Borellam virum in bellicis peritiſſimum. Torneamento completo cum donis ad propria remearunt.

Dominus Joannes Baptiſta Sabellus Gubernator Bononiæ Romam acceſſit cum Magiſtro Hieronymo de Ranutiis. Non eſt amplius Bononiam reverſus. Nam cum factus eſſet Cardinalis, & Pontifex ordinaret ut Bononiam Legatus veniret, reſpondit: *Si Bononiam irem, non eſſem Legatus, ſed ligatus.*

Anno Domini 1471. Marchio Ferrarienſis Borſius molendinum Galiatiæ dirui fecit in agro Bononienſi, quod erat Comitis Guidonis de Pepulis. Bononienſes injuriam vindicaturi, Finale in confinibus Mutinæ invadentes, quam plures domos deſtruxerunt. Rurſus Borſius dictam Galeatiam funditus evertit. Ad componendam pacem miſſus eſt Ferrariam Dominus Albertus Cataneus Doctor, & de numero XVI. Regentium Civitatem.

Omnium Dominorum Italiæ unio contra Teucrum publicata eſt. Ob hoc Bononiæ proceſſiones cum campanis ſolemniter celebratæ ſunt.

Accerſitus à Duce Mediolani Dominus Joannes Bentivolus cum magna comitiva Mediolanum acceſſit. Hi fuere ſocii Dominus Ludovicus de Sancto Petro, Dominus Eganus de Lambertinis, Carolus Antonius de Fantuccis, Pyrrhus, Carolus, & Æneas de Malvitiis, & Joannes Papazonus. Fuerunt cum magno honore ſuſcepti, & cum donariis Ducali magnificentiæ dignis remiſſi. Dominus autem Joannes factus eſt ductor equorum ſexcentorum cum ſtipendio ſeptem millium aureorum omni anno. Per Comitatum Bononienſem dicti equi locati ſunt. A Duce Dominus Carolus Antonius Elephantucius aureatus miles creatus eſt.

Mortuo Paulo II. Dominus Franciſcus de Gonzaga Cardinalis, & Legatus Bononiæ Romam acceſſit cum Domino Galeazio Mareſcotto, & Magiſtro Hieronymo de Ranutiis Medico.

Sixtus IV. creatus Pontifex Dominum Agathemnonem Mareſcottum Romanum Senatorem fecit, Dominum Achillem ejus fratrem ſuum Cubicularium, Tideum vero eorumdem fratrem ſuum Scutiferum: Dominum Baptiſtam de Cemonicis ſimiliter ſuum Cubicularium fecit.

Campanile Sancti Jacobi a primis feneſtris ſupra elevatum eſt.

Dux Ferrariæ Borſius veniens de Roma, ubi Ducis nomen acceperat, Ferrariæ mortuus eſt, & ſepultus in clauſtro Cartuſienſium.

Gioſtra virilis per tres dies Bononiæ celebrata eſt. Multi vulnerati fuerunt, unus mortuus eſt.

Su-

Digitized by Google

Super ripam Sculteннæ ſive Panarii, in via recta ad Mutinam baſtìam Regimen noſtrum fieri fecit ad tutandum rationes noſtras in ripa prædicta. Dux Ferrariæ ægrè ferens dictam baſtìam, omnes Italiæ potentatus commovit, ut ſibi auxilium ferrent contra Bononienſes. Res per aliquot annos in quæſtione remanſit. Ultimo præſentibus legationibus multorum Ducum & Dominorum judicatum eſt, ut Bononienſes uſque ad ripam fluminis ſuos terminos ponerent. In modum ergo pyramidis moles facta eſt cum armis Comitatus Bononiæ in ripa fluminis; ſicque baſtìa amota eſt. Impetus fluminis dictam molem evertit & rapuit tempore procedente.

Claruit Beatus Frater Marcus Elephantucius Bononienſis Ordinis Minorum regularium.

Anno Domini 1472. Cæſar Cazanimicus vulneratus eſt, & mortuus, & ejus frater Bartholomæus contra fidem datam Domino Joanni Bentivolo Antonium de Lino apud Conventum Cœleſtinorum vulneribus impoſitis occidit. Dominus Joannes Bentivolus cum amicis armatis ad domum Domini Chriſtophori vadens, prius eductis mulieribus, eam incendit; Bartholomæus Cazanimicus fugam accepit. Dominus Chriſtophorus ejus pater de numero XVI. Regentium Civitatem Mirandulam ad confinia miſſus eſt, patritiatus dignitate privatus. Unius fœminæ cupido tanti mali initium fuit.

Diverſo charactere hic §. interſeritur.

„ Bene adverte, Lector, ne æquivoces in „ ambiguo de cauſa hujus mali à quadam fœ„ mina pro turpi amore exorta, quia non „ fuit à rivali ſuo occiſus, neque à fratre „ ſuæ amaſiæ occiſus, aut juſſus occidi præ„ fatus Cæſar Cazanimicus, ut falſo credi „ tum eſt longo tempore a multis, licet ſo„ rorem quamdam dicti Antonii Lini idem „ Cæſar deperiret, & alii quidam, & præci„ pue is, qui dicebatur *el prete Griffono*; ſed „ cauſa ſuæ mortis hæc fuit. Nupſerat idem „ Cæſar, & frater ejus Alexander Legum „ Doctor in filias Virgilii Malvitii, ſcilicet „ ſorores. Ea, quæ Cæſari nupſit, inventa eſt „ adoleſcentulum quemdam ita deperiſſe, „ ut in lecto mariti ad concubitum induce„ ret, & minus caute. Re comperta adole„ ſcentulus ſtangulatus refertus eſt apud me„ ritoriam tabernam. Demum poſt paucos „ dies ſponſa atque uxor Cæſaris diem obiit „ ſatis repentine, adoleſcentula corpore ro„ buſta. Culpa merito in ſponſum Cæſarem „ relata, non ſine manifeſta ſuſpicione vene„ ni. In vindictam igitur filiæ ſuæ Virgilius „ generi mortem deliberavit, quam, ne di„ gnoſceretur auctor, novus amor, & rivalis, „ & amaſiæ frater adumbrarunt. Hinc in ma„ jorem vindictam ſuæ filiæ Virgilius, vir „ alioquin ſagaciſſimus, & cordatus, cum „ non ignoraret conſilio patris Domini Chri„ ſtophori generum Cæſarem uxoricidam fa„ ctum, paſſus eſt, Joannem Bentivolum & „ arbitrum, & mediatorem, & vindicem, ſo„ lum ſe interponere inter Cazanimicos, & „ Antonium Linum. Rem poſt plures annos „ ſicarius ipſe, & criminis de morte Cæſaris „ reus a juſtitia comprehenſus ob alia facino„ ra & morti adjudicatus, dum ſacramentaliter confiteretur Patri ſuo Confeſſori inte„ gre manifeſtavit. Itaque nolite ante tempus „ judicare, quoadusque veniat Deus judex „ juſtus ſcrutator cordium, qui illuminabit „ abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit con„ ſilia cordium: & utinam tunc ſit nobis „ laus a Domino.

Anno Domini 1473. Baptiſta de Manzolis vir nobilis, & dives magnarum divitiarum ac virtutum, totiuſque Civitatis noſtræ unicum exemplar, vita functus eſt, & ſepultus in Sancto Jacobo Fratrum Eremitarum. Hic ultra ſubſtantiam ſuam, quam filiabus, ac aliis conſanguineis diviſit, multa ad Monaſteria, & ad pias cauſas dereliquit. Monaſterium Corporis Chriſti ex ſuis pecuniis quaſi totum fabricatum eſt. Dum viveret, pauperum refugium erat. Is civibus, quando aliquis pecunia indigebat, mutuo ſine uſuris hilariter concedebat. Domicellas nubiles quam multas dotavit. Ex bonis operibus gloriam popularem declinabat. Circa divina officia ſedulus inſiſtebat, maximè in Eccleſia Sancti Dominici. Nemo erat, qui hunc Sanctum non diceret.

Conſtantia Xantis Bentivoli quondam filia Comiti Antonio de Mirandula nupſit.

Dominus Bernardus de Saxono patritius Bononienſis cum Romæ apud Pontificem Legatus exiſteret, impetravit, ut Dominus Joannes Bentivolus Equites aureatos, & Notarios creare poſſet.

Dominus Gaſpar de Graſſis Eques aureatus Senator Romanus à Pontifice electus eſt.

Anno Domini 1474. Hieronymus Riarius Saonenſis, procurante Sixto Pontifice Maximo, & Duce Mediolani Galeatio, Imolæ dominium accepit, inde ſine armis ejecto Thadæo Manfredo cum filiis multis.

Eodem anno Rex Daciæ, vel Daniæ Chriſtiernus, qui trium Regnorum erat Rex, venit Bononiam, Romam tendens, & ibi exiſtens viſitavit arcam Beati Dominici, & ſepulturam Regis Hentii, qui & fuerat Rex Daciæ, vel Daniæ, & ibi, ſcilicet in hac Eccleſia, Equitem fecit Annibalem Bentivolum ſexennem filium Domini Joannis.

Claruit Beatus Frater Eganus de Bianchis Ordinis Jeſuatorum.

Anno Domini 1475. Jacobus Lupparus, olim Mercator nobiliſſimus, in Genuenſem Prætorem electus eſt. Eumdem Magiſtratum cum prudentia geſſit.

Eodem anno Regina Daciæ, vel Daniæ uxor dicti Regis Bononiam applicuit, Romam tendens.

Anno Domini 1476. Andreas Gratus Domini Jacobi Grati quondam filius, cum eſſet de numero Antianorum, per Dominum Joannem Bentivolum Eques aureatus creatus eſt.

Philippus Cardinalis, & Epiſcopus Bononienſis vita functus eſt. Franciſcus Gonzaga Cardinalis eumdem Epiſcopatum in Commendam accepit, diſſipaturus ejus ſubſtantiam. Sic fecit.

Galeaz Dux Mediolani in æde Sancti Stephani à ſuis civibus aliquibus vulneribus in eadem Civitate occiſus eſt.

Claruit Beata Joanna de Lambertinis Bononienſis, Ordinis Sanctæ Claræ.

Franciſcus Gonzaga Ludovici Marchionis Mantuani filius ſedit in Epiſcopatu.

Anno Domini 1477. Dominus Alexander Tartagnus de Imola clariſſimus, & copioſiſſimus Civilium Legum interpres anno ætatis ſuæ

Digitized by Google

ſuæ quinquageſimo tertio mortuus eſt, ac tumulatus in Capella majori Eccleſiæ Sancti Dominici in ſepulcro marmoreo, miro opere ſculpto. Hic fuit decus Civitatis ſuæ, & noſtræ. Palatium in ſtrata majori contra illos de Cruce Principe dignum conſtruxit, filiiſque dereliquit.

Catherina Ducis Galeàtii ex concubina filia, Hieronymo Riario nupſit Domino Imolæ, quæ tranſitum faciens per Bononiam, honorificè in Palatio Domini Joannis Bentivoli recepta eſt.

Ser Cola Aſculanus Genti Bentivolæ fideliſſimus, cum in ea fere annis ſexaginta deferviſſet in officio Secretarii, ac fidelis Conſiliarii, mortuus eſt, & ſepultus in S. Jacobo Fratrum Eremitarum.

Dominus Albertus Cattaneus Juriſconſultus, Eques, & Patritius è vita deceſſit, teſtamento ordinans, ne pompa ſolita exequiarum ſibi fieret. Sepultus eſt juxta Eccleſiam Sancti Dominici ſine vexillis & ſcutis.

Regimen Bononiæ ordinavit, & ſtatuit, ne quis Bononienſis in ſuo funere poſſet invitare niſi unum Conventum Religioſorum. Antea enim in exequiis multæ pecuniæ expendebantur. Huic ſtatuto Legatus ſuam authoritatem appoſuit.

Bonifacius Cattaneus in numerum ſexdecim Patritiorum delectus eſt loco fratris.

Anno Domini 1478. Campanile Sancti Petri laminis plumbeis tectum eſt Plumbi pondus 8000. librarum fuit. Architectus pro ſuo labore 46. ducatos auri habuit.

Beatæ Mariæ Virginis imago vetuſtiſſima in via, qua itur ad ſtratam Galeriæ, ab Eccleſia Sancti Petri in quadam Eccleſia parvula profanata, & ad ſtabuli uſum reducta, & in qua aliàs erat Societas illorum, qui ſubveniebant pauperibus verecundis, miracula facere cœpit, & multa beneficia præſtare voventibus. Adeo erat populi frequentia ad eumdem locum, ut ex collatis eleemoſynis facta ſit Eccleſia pulcra, picturis, & feneſtris vitreis ornatiſſima. Imagines terræ, & tabulæ depictæ cum literis gratiarum acceptarum in maxima copia portabantur. Statua Domini Joannis Bentivoli armata ibi poſita eſt. Alia Statua Domini Petri Romani tunc Poteſtatis Bononiæ ob gratiam receptam magni pretii ibi parieti affixa eſt.

Joannes de Guidottis, vir Patritius, & pro Republica zelans, cum eſſet Vexillifer Juſtitiæ, mortuus eſt, & ſepultus apud Prædicatores in Capella magna, quam ædificari fecerat, relictis tribus filiis nondum regimini aptis. In locum Patritiatus ejus ſuffectus eſt Dominus Ludovicus de Sancto Petro.

Ad deſponſandam Dominam Lucretiam filiam Ducis Ferrariæ Herculis miſſi ſunt Oratores Carolus Antonius de Fantucciis, Bernardus Saxonus, Hieronymus Raynutius, & Bonifacius Cattaneus. Hos duos ultimos aureatos Milites creavit Dux pro benevolentia. Iſta deſponſatio facta eſt pro Domino Annibale Domini Joannis Bentivoli filio.

Florentiæ Dominus Franciſcus Salviatus Archiepiſcopus Piſanus, & multi alii cives Florentini ſuſpenſi ſunt ad feneſtras palatii Antianorum, quia volebant mutare ſtatum Florentiæ. Quidam juvenis Cardinalis S. Georgii, niſi fuiſſet defenſus à Vexillifero Juſtitiæ Florentiæ cum aliis ſuſpenſus fuiſſet. Propter hoc Sixtus IV. Florentinis bellum intulit. Bandinus Baruncellus, qui primus ad occidendum Julianum de Medicis in Eccleſia majori Florentiæ manum miſerat, cum per Italiam ad diverſa loca fugiſſet, & inde expulſus eſſet, ad Turcos confugit. Studio Florentinorum de Pera per magnum Turcum Florentiam miſſus eſt. Abhorruit enim Turcus ſacrilegium, & homicidium in Eccleſia patrata. In platea igitur Civitatis Florentiæ ſuſpenſus eſt.

Anno Domini 1479 Dominus Joannes Bentivolus cum magna pompa ad videndam Lucretiam filii ſui ſponſam profectus eſt Ferrariam.

Comes Nicolaus Rangonus Mutinenſis copiarum Bononienſium Capitaneus electus eſt. Huic Dominus Joannes Bentivolus Blancham filiam ſuam in uxorem dedit.

Florentini conſtituerunt, ut Domino Joanni Bentivolo ex ære ſuo publico tria millia Floren. omni anno mitterentur.

Dominus Andreas Barbatia origine Siculus, ſed Bononiæ educatus, poſtquam Jura Civilia, & Canonica uſque ad ſenium magna cum fama legiſſet, magno peculio acquiſito, relictis quatuor filiis, & aliquibus filiabus, mortuus eſt, & ſepultus in Sancto Petronio in Capella, quam ſibi vivens elegerat.

Epiſcopus Brugnatenſis de Regio cum vices gereret Epiſcopi Bononienſis, in Caſtro Centi propter ſuum rigidum regnum à quibuſdam occiſus eſt. Duo ex occiſoribus Bononiam ex Ferraria ducti, ſuſpenſi ſunt.

Anno Domini 1480. poſt mortem Galeatii Ducis Mediolani filio ejus adoleſcentulo Duce creato, ad eum viſitandum Dominus Joannes Bentivolus cum regio comitatu Mediolanum acceſſit. Conſultores, & Gubernatores Ducis Domino Joanni prædicto oppida tria in Lombardia donaverunt, ſcilicet Chovum, Antignanum & Pizzaxonum. Deinde Bononiam cum gloria reverſus eſt. Ante tamen quam è Mediolano recederet, Joannes de Marſiliis nobilis Bononienſis à Duce eques aureatus creatus eſt.

In Platea Civitatis Dominus Joannes Bentivolus ludum novum celebrari voluit. Nam centum juvenes conſtituit, quinquaginta viridi veſte, totidem purpurea ornatos, qui pilam magnam ad metam ducerent, & ille honorem conſequeretur, qui illam pluribus vicibus ad metam duceret. Viridibus datus eſt honor.

Anno Domini 1481. Georgius de Monteferrato juvenis Bononiam veniens ad literas capeſſendas, ob errores contra Fidem Catholicam ab Inquiſitore S. Dominici detentus, cum obſtinatus in ſecta Judæorum perſiſteret, & Chriſtum negaret, & ejus Matrem, quia eſſet hæreticus obſtinatus, ſententiam accepit. Traditus igitur Curiæ ſeculari in platea, ſpectante tota Civitate, in lameria ferrea in alto ſita combuſtus eſt, clamans: *eloy, eloy adjuva me.*

Anno Domini 1482. Fratres Eremitani S. Auguſtini vitæ regularis primo habitare cœperunt Monaſterium S. Mariæ de Miſericordia extra portam ſtratæ Caſtilionis. Iſte locus tunc derelictus erat à Monachis albis Montis Oliveti, qui eum inhabitaverunt poſt deſtructionem S. Michaëlis in Buſcho, ut ſupra patuit. Fratres Minores Zoculantes, qui habitabant in S. Paulo ſuper S. Mariam in Monte, videntes dictos Fratres Eremitanos habere concurſum magnum populorum pro con-

Digitized by Google

confeſſionibus audiendis, animarum zelo commoti, ne omnes ad eos accederent, & ipſi ſoli remanerent, multa millia ducatorum, quos apud diverſos cives occulte in depoſito habebant, cogitaverunt producere ad unum Conventum prope portam Sancti Mammæ faciendum, & ut cives, & dominæ facilius poſſent ad eos cauſa confeſſionis accedere. Cum magno labore conceſſum eſt, ut prope portam ædificare poſſent. Regentes Civitatem rationes adducebant, ut nullo modo tantum ædificium in tali loco fieret. Fratres autem Minores contradictionem tantam videntes, meliori conſilio ducti per uxores Regentium Civitatem, quod aliis modis obtinere non poterant, per earum interceſſionem pleniſſimè impetrarunt. Conventus igitur Nuntiatæ hoc tempore incœptus eſt.

Franciſca Joannis Bentivoli filia Galeoto Manſredo Domino Faventiæ in matrimonium conjuncta eſt. In platea Bononiæ haſta concertatum eſt, ut multi ſimul contra ſe currerent. Galea argentea à cenſoribus Comiti Nicolao Rangono adjudicata eſt; id enim fuit præmium bene certantibus expoſitum.

Dux Calabriæ Alphonſus filius Ferdinandi Regis Neapolitani Dominum Joannem Bentivolum de Aragonia, & progeniem ſuam cognominari voluit, privilegiumque dedit. Omni anno quamdam magnam pecuniæ quantitatem illi ex Neapoli deferendam conſtituit.

Bartholomæus de Rubeis dictus de Mino, vir Patritius mortuus eſt. In ejus locum Minus juvenis eruditus, & ad negotia Reipublicæ aptus delectus eſt ejuſdem Bartholomæi filius.

Claruit Beata Paula de Mezavacchis Bononienſis Ordinis Sanctæ Claræ.

Anno Domini 1483. Magiſter Nicolaus à Faba, Philoſophus, ac Phyſicus doctus mortuus eſt, & ſepultus in S. Jacobo Fratrum Eremitarum. Super hujus ſepulcrum tale epitaphium habetur.

Hæc ego ſum lutea Nicolaus conditus urna,
Altera qui fueram gloria ſumma Fabis.
Artis eram Medicæ Doctor, pedarius alter:
Æger quiſque mea tutus abibat ope.

Dominus Bernardus de Saxono ex cauſidico miles effectus, ac de numero XVI. Patritiorum factus, cum multam de ſe dicendi cauſam dediſſet, extinctus eſt, & ſepultus in S. Jacobo Fratrum Eremitarum. Hujus palatium eſt contra Sanctum Sebaſtianum pulcre & fortiter ædificatum. Primus enim fuit, qui domum ſuam nominari fecit.

Alphonſus Dux Calabriæ vadens Ferrariam ad ſuccurrendum Civitatem à Venetis oppreſſam cum multitudine Turcorum, tranſitum faciens per Bononiam, Dominum Alexandrum, Domini Joannis Bentivoli tertium filium, aureatum militem fecit. Tunc Pontifex Sixtus Quartus magno ſtipendio Dominum Joannem Bentivolum contra Venetos ad bellandum conduxit. Quia multa frumenta ex Bononia Ferrariam delata ſunt, factum eſt, ut frumentum maximo & incredibili pretio in Civitate Bononiæ venderetur. Multi fame mortui ſunt. Dominus Joannes Bentivolus frumentum ſuum ad forum mittens, pro minori ſatis pretio, quam alii, vendebat; apud plebem magnam ex hoc gratiam comparavit.

Antonium Galeatium ſecundum Domini Joannis Bentivoli filium Sixtus Quartus Protonotarium fecit.

Dominus Joannes Bentivolus in obſidione Axolæ agri Brixienſis dum laboraret, ægritudinem incidit; Bononiam reverſus valetudinem acquiſivit.

Magna diſcordia orta eſt inter Notarios propter Regiſtrum. Ad arma ventum eſſet, niſi prudentia Domini Joannis interveniſſet. Res quietata in melius proceſſit. Legationem Bononiæ Cardinalis Sancti Petri ad Vincula ſuſcepit, reſidentiam non facturus, ſed emolumenta recepturus.

Julianus à Ruvere Savonenſis Cardinalis, Sixti Quarti Nepos ſedit in Epiſcopatu, qui & Papa electus fuit Julius II.

Anno Domini 1484. Turris, quæ erat contigua palatio Marchantiæ in Carobbio, in Hebdomada Sancta a fundamentis integra cadens, domum illorum de Bolognetis cum habitatoribus oppreſſit & occidit; erant enim tunc omnes in menſa. Mortui ſunt omnes, exceptis duobus pueris, qui ad ſcholas jam iverant. In hac oppreſſione Juvenis quidam Ferrarienſis, Sponſus unius puellæ illius domus mortuus eſt, unde ambo Sponſus & Sponſa, ſub ruinis inventi ſunt amplexibus juncti.

Inter domum iſtam oppreſſam, & Turrim cum tranſiret caſu quidam fachinus portans piſces ad domum cujuſdam Civis, ſub ruinis detentus eſt, ſed non mortuus, eo quod quidam murus ipſum ne opprimeretur, defendit. Alia die inventus ſub ruinis vivus, & interrogatus, quid tunc cogitaret, reſpondit: *Putabam*, inquit, *jam ultimum veniſſe Judicium*: propter tubam, quam audiverat inſonare; quia enim tota Civitas ad tam grande ſpectaculum concurrebat, neceſſe fuit arcere multitudinem voce præconis: ideo propter illum ſonum credebat diem jam adveniſſe Judicii. Reædificata fuit poſtea Domus illa melior, & fortior, quam fuerat ante. Turris Cathelanorum antiquiſſima & altra, ſicut Turris Aſinellorum, ſita in medio lupanaris, per artifices deſtructa eſt, & paulatim uſque ad fundamenta eradicata.

Repulſare horas poſt commune horologium in Campanili Sancti Petri cœptum eſt.

Ad componendas res bellicas Dominus Joannes Bentivolus Mediolanum acceſſit.

Cum tota Italia contra Venetos quaſi duobus annis dimicaſſet, & judicio omnium Veneti omnia debuiſſent amittere, quæ in firma terra poſſident, confecta pace multa acquiſiverunt. Ludovicus Sfortia Mediolani Gubernator, Venetis ſe jungens, totam catenam Dominorum Italicorum ceu ventus fregit. Sixtus Quartus nomina pacis audiens, animam effundens mortuus eſt.

Ghibertus Pius Carpenſis Marci filius, partem copiarum Bononienſium ſtipendio accipiens, filiam Domini Joannis Bentivoli Lionoram uxorem accepit.

Joannes Blanchettus vir Patritius diem obiit cui Franciſcus nepos ſuffectus eſt.

Alphonſus Calabriæ Dux Neapolim revertens, ac per Bononiam tranſiens, receptus eſt cum honore in Palatio Domini Joannis Bentivoli. Cum viſitaſſet Conventum Sancti Dominici, voluit videre venerabilem virum, ac ſanctitate clariſſimum Fratrem Jacobum de Alemannia Converſum Ordinis Prædicatorum. Poſtquam dulciter cum eo locutus eſt, ſe illius orationibus commiſit.

Digitized by Google

Ad Pontificem Innocentium noviter creatum missi sunt Ambasciatores Dominus Ludovicus de Sancto Petro, & Bonifacius Cattaneus viri Patritii.

Anno Domini 1485. intrandi Magistratum novus & aptior modus institutus est; omnes enim Antiani novi die, qua primò ingredi debent Palatium, ad domum Vexilliferi Justitiæ veniunt, simulque cum eo illuc vadunt; antea enim unusquisque de per se à domo propria cum invitatis civibus ad Palatium veniebant; sicque Dominum Joannem Bentivolum illo mane nimium fatigabant, cum omnibus honorem pro sua humanitate impendere vellet, ab omnibus enim invitabatur, ut societatem faceret. Tribuni autem plebis, & Confalonerii populi ad quatuor constitutas Ecclesias conveniunt secundum quarterium, & exinde simul associati ad Palatium conveniunt. Ecclesiæ autem sunt istæ: Sanctus Dominicus, Sanctus Franciscus, Sanctus Jacobus, & Sancta Maria Servorum.

Pandulphus Malatesta Dominus Arimini Violantem filiam Domini Joannis Bentivoli in uxorem accepit. Ex hoc statutum est, ut inter Bononienses, & Ariminenses nullæ bullettæ currerent.

Ad solvendum vota Dominus Joannes Bentivolus ad Sanctam Mariam de Laureto cum magna comitiva accessit; erant omnes induti vestibus griseis, sive de bertino. Inde Romam accedens, Summum Pontificem Innocentium Octavum, & omnes Cardinales visitavit. Deinde Senas, Florentiam, Lucam, Pistorium properans, ab omnibus dignè susceptus est.

Legationem Bononiensem Ascanius Sfortia Cardinalis regendam suscepit. Locum suum tenentem misit Dominum Prosperum Cafarellum Episcopum Ascolanum integerrimum. Legatione apud Summum Pontificem pro Bononiensibus fungebatur Philippus Salarolus.

Ad placandum Dominum, ne pestis ulterius grassaretur, ordinatum est per Patritios, ut omnes pueri Mendicantes vestimento albo ex ære publico vestirentur, cum Cruce rubea in pectore.

Mortuo Gozadino de Gozadinis viro Patritio, in ejus locum Alexius de Ursis delectus est.

Anno Domini 1486. Frater Gregorius de Vercellis Ordinis Minorum Conventualium, ob furta, stupra, & sacrilegia cum uno Presbytero seculari, & uno juvene laico, in platea ante palatium Legati in alta furca suspensi sunt. Supra quos suspensa fuerunt vestimenta Monachorum Sancti Michaëlis in Busco, quæ paulò ante furatus fuerat. Dictus Frater Gregorius ministro Provinciæ Minorum Romæ ante Sixtum Quartum querelam movit. Citatus est ad Curiam Alexius de Ursis Vexillifer Justitiæ, & omnes, qui ministri fuerunt hujus suspensionis, acceptâ pœnitentiâ Bononiam reversi sunt.

Dominus Carolus Gratus, copiarum Domini Joannis Bentivoli imperator factus, tamquam vir prudens, & in bellicis eruditus, in auxilium Ferdinandi Regis Neapolitani missus est.

Mortuo Bartholomæo della Volta viro Patritio, in locum sui electus Alexander nepos. Hic Bartholomæus pro Republica Bononiensi zelans, dixit bonum esse vendere Regi Hispaniæ caput Beati Dominici, ut ex pecuniis habitis aliquid pro bono communi instrueretur.

A Dominus Robertus de Sancto Severino cum ex Urbe cum suis copiis reverteretur, & eum Dux Calabriæ insequeretur, ex agro Imolensi Ravennam fugit cum paucis equitibus. Reliqua pars exercitus ejus in agrum Bononiensem veniens, armis deprædata est: quæ res sapientibus atque prudentibus valde displicuit.

Ghibertus de Piis Carpensis Lionoram Domini Joannis Bentivoli filiam in Uxorem magna pompa duxit.

Dominus Eganus de Lambertinis Vir Patritius ob monetam falsam, quam cuderat, Patritiatus dignitate, & Civitate privatus est.

Bartholomæus Felicinus in Sancto Jacobo
B à Domino Joanne Bentivolo miles creatus est.

Anno Domini 1487. Palatium Prætoris, sive Potestatis, ex latere plateæ jam vetustate ruinosum, lapidibus masicinis, ac in modum rosarum sculptis, restaurari cœptum est, Domino Joanne Bentivolo Secundo principante.

Per Dominum Nicolaum de Poëtis virum Patritium, ex numero Sexdecim, Ecclesiæ Sancti Dominici picturis in testudine, & cælaturis in tecto ornata fuit. In ea fabrica sive ornatu exposuit auri mille ducatos. Tectum enim Ecclesiæ antea renovatum fuerat eleemosynis hinc inde collatis, prædicante Fratre Hieronymo de Bursellis in Quadragesima in Sancto Petronio, & ad hoc opus faciendum
C populos incitante.

Dominus Annibal filius Domini Joannis de Bentivolis filiam Herculis Ducis Ferrariæ in Uxorem duxit. Nuptiarum solemnitas tanta fuit, ut pro Rege majora non fierent. Dona omnes Artes contulerunt. Omnium fere Dominorum Italiæ per Ambasciatores exenia delata sunt. Hastiludia, & giostræ dignissimæ patratæ fuerunt. Dominus Carolus Gratus in platea fortissimorum virorum ictus in se suscipiens magnam sui corporis virtutem ostendit.

Dominus Annibal Bentivolus stipendio à Florentinis conductus est. Multa prœlia apud Sarezanum per ipsum commissa sunt.

D Hercules Ferrariæ Dux II. Romam vadens, Bononiæ honore digno susceptus est in palatio Domini Joannis Bentivoli.

Domino Egano Lambertino è Senatu pulso, in locum ejus assumtus est Philippus Salarolus.

Dominus Rubettus de Sancto Severino magnus armatorum Dux, apud Tridentum cum Suevis pro Venetis dimicans, occisus est, multis filiis magnis bellatoribus derelictis.

Thomas Tiberius, & Hercules fratres de Malvitiis mutarunt cognomen Domus, & impetrarunt appellari de Bentivolis, sicque domum progenitorum suorum abnegarunt. Multis annis dicti sunt Renegati, non Bentivoli.
E Tamdem anno MDVII. expulsis Bentivolis per Julium Secundum Pontificem Maximum, antiquum Familiæ Malvitiæ nomen receperunt.

Anno Domini 1488. Sorores Corporis Christi Ordinis Minorum per Civitatem, & quasi per totam Italiam infamatæ sunt, quod se mutuo vulneraverunt. Indicta est eis purgatio; & ad id delecti Dominus Locum-tenens, Vicarius Episcopi, Abbas Sancti Proculi, Prior Sancti Dominici, & Prædicator Sancti Petronii. Purgatæ sunt. In eo Monasterio filia Domini Joannis Bentivoli Deo serviebat.

Ad

Digitized by Google

Ad visitandum Sanctum Antonium de Padua cum magna ac regali comitiva Dominus Joannes Bentivolus accessit. Venetiis tamquam Princeps honoratus est.

Hieronymus Riarius Imolæ & Forlivii Dominus à Civibus quibusdam Forlivienſibus vulneratus in ſuo palatio extinctus eſt. Nudatum corpus in via publica ejectum multis injuriis dehoneſtatum eſt. Uxor ejus ſagacitate multa dominium invaſum rehabuit. Urſorum domus ſolo æquata eſt. Dominus autem Joannes Bentivolus cum ſuis copiis Forlivium accedens, hoſtibus viduæ derelictæ terrori fuit. Octavianus primogenitus in Principem Civitatis eligitur.

Galeotus Manfredus Faventiæ Dominus à conjuge filia Domini Joannis Bentivoli, & à quibuſdam aliis in camera quadam multis vulneribus impoſitis occiditur. Euſtorgium ejus filium in Dominum populus elegit, cum infans adhuc eſſet.

Poſt parum Dominus Joannes Bentivolus cum Faventiam acceſſiſſet, ut Nepotis parvi res componeret, à ruſticorum furore invaſus eſt. E palatio in arcem confugiens, ibi ſe recepit. Tamdem à primoribus in tutelam acceptus, Mutilianam ductus eſt; deinde Florentiam miſſus, à Laurentio de Medicis cum honore ſuſceptus, Bononiam remiſſus eſt, & à populo cum gaudio receptus. Faventiæ in periculo fuit, ne occideretur; nam Joannes Petrus Bergaminus, magnus Ducis Mediolani Capitaneus, furore populi trucidatus eſt, quia tumultum ruſticorum ſedare conabatur.

Dux Mediolani, & ejus patruus Ludovicus Sfortia, Parmam venientes, multos Dominos ad conſilium vocaverunt, inter quos vocatus Dominus Joannes Bentivolus, illuc cum duobus majoribus filiis acceſſit. Ipſe in Flaminia factus eſt Ducis Mediolani Capitaneus; filius quoque ejus Dominus Annibal magno ſtipendio conductus eſt.

Aſcanius Sfortia Cardinalis Legatus Bononienſis, in Civitatem de novo veniens, cum honore ſuſceptus eſt. Romam ad Pontificem cum eo miſſi ſunt Ambaſciatores Dominus Bonifacius de Cattaneis, & Philippus Salarolus.

Mortuo Philippo Salarolo Viro Patritio, ad ejus dignitatem aſſumtus eſt Joannes Franciſcus de Aldrovandis, vir literatus, & Reipublicæ valde utilis.

Conjuratio contra Dominum Joannem Bentivolum, quaſi Bononiæ Dominum, detecta eſt. Julius namque de Malvitiis, Virgilii quondam filius, & tres filii Baptiſtæ de Malvitiis, ſcilicet Joannes, Philippus, & Hieronymus, Jacobus de Bargellinis, Joannes Baptiſta de Refrigeriis cum multis aliis occidere prædictum Dominum Joannem conjurarunt. Re in lucem producta, quidam eorum fugerunt, quidam ad confinia miſſi ſunt, quidam vero nocte ſequenti ſuſpenſi ſunt ad merlos palatii Poteſtatis contra Occidentalem plagam. Fugerunt iſti principales, ſcilicet Hieronymus, & Philippus de Malvitiis, & Joannes Baptiſta de Refrigeriis; ad confinia vero miſſi ſunt iſti, ſcilicet Julius Malvitius, Aldrovandinus, & Alexander fratres de Malvitiis cum filiis & filiabus, & multi alii. Suſpenſi autem fuerunt circa viginti, inter quos principales fuerunt iſti, Joannes filius Baptiſtæ de Malvitiis, cujus domus erat contra predam fictam, ſive contra Judæum mutuantem ad uſuram ante Eccleſiam Sancti Petri, Jacobus de Bargellinis, & multi alii. Baptiſta quoque prædictus pater dicti Joannis cum omni ſua progenie Ariminum ad confinia miſſus eſt. Poſtea Ludovicus filius ejus adoleſcens in domo ſua inventus à ſatellitibus, crudeliter occiſus eſt. Et cum confinati bona ſua non amitterent, paucis interpoſitis diebus omnia eis ſublata ſunt. Duæ filiæ parvulæ dicti Joannis ſuſpenſi, quæ in Monaſterio Sanctæ Agnetis conſervabantur, inde eductæ Mutinam portatæ ſuut. In tanta rerum mutatione nullus armorum ſtrepitus fuit. Dominus Joannes Bentivolus in palatio Communis Bononiæ cum Sexdecim ſtetit quaſi per octo dies, donec cuncta pacata ſunt & quieta. Baptiſta de Malvitiis prædictus, quamvis conjurationis filiorum eſſet ignarus, tamen officio ac dignitate Patritiatus privatus eſt. Pyrrhus de Malvitiis Malvitiorum caput, & de numero Sexdecim, ſecundus homo Bononiæ, & qui magnam populi ſequelam habebat, hanc amittens, gemens in ſuo palatio reſidebat. Hic animo hanc conjurationem ignoravit. Ultimo cum omnium ſatellitum ſequelam, quam maximam habuerat, omiſiſſet, quamvis eſſet de numero XVI. Regentium Civitatem, ut Civitatem exiret neceſſe fuit tamquam exul. Primo Cæſenam, poſtea Romam, deinde Piſas, ultimo Lucam acceſſit.

Ex hac conjuratione hoc malum in noſtra Civitate ſequutum eſt, quod cum ſine partialitatibus eſſet, partes duæ factæ ſunt. Cum enim magnam affinitatem, & conſanguinitatem in Civitate haberent Malvitii, aliqui *Segantes*, aliqui *Malvezeſchi* dicti ſunt, & ſic eſt amiſſa unio Civitatis.

Anno Domini 1489. Jacobus de Montecalvo vir Patritius diſcedens è vita, Thomam primogenitum ſucceſſorem in dignitate habuit.

Hic Thomas duas habuit conjuges, nam primam, quæ de Bardis erat, ejecit, ſecundam introducens, ſcilicet Lauram Domini Carbo-Antonii Fantutii filiam, olimque Domini Floriani Cazalupi conjugem.

Dominus Carbus Antonius de Fantutiis Eques & Senator Bononienſis, prudens & opulentus, è vita migravit. Senatoriæ dignitati Rainaldus Arioſtus ſucceſſit.

Pandulfus Malateſta Ariminenſium Princeps Violantam generoſiſſimam Domini Joannis Bentivoli Principis filiam uxorem duxit, virginem forma, prudentia, & moribus ornatiſſimam. Domina Ginepra mater ejus ſponſæ ad Sanctam Mariam de Laureto vadens nuptias filiæ honoravit.

Franciſcus Pedocha Mirandulanus, Legiſtarum Rector, in introitu ſui Magiſtratus conſtituit, ut in foro haſta more militari certaretur.

Dominus Annibal Joannis Bentivoli filius ſatis juvenis Vexillifer Juſtitiæ delectus eſt. In hujus laudem multi ornatiſſimi Poëtæ carmina ediderunt.

Revoluto anno conjurationis Malvitiorum contra Dominum Joannem Bentivolum, ad agendas gratias Domino pro tanto beneficio, quod non fuit occiſus, in Capella ſua Eccleſiæ Sancti Jacobi Miſſam ſolemnem cantari fecit; qua celebrata in hoſpitio Montoni, ſive Arietis, trecentis nobilibus Civibus prandium paratum eſt. Finito prandio omnes ad domum Domini Joannis Bentivoli accedentes magnifice gratias egerunt, Principem Civita-

tis ipsum appellantes. Hospiti ex pecuniis Domini Joannis Bentivoli prandii pretium solutum est. Canonici Sancti Petronii ex statuto omni anno tali die solemnem Missam decantant in Sancta Maria de Galeria, præsente ad minus uno filio Domini Joannis.

Antonius de Magnanis per Dominum Joannem Bentivolum miles aureatus creatus est, deinde à Florentinis Prætor eligitur.

Anno Domini 1490. Regis Hentii sepulcrum quia propter antiquitatem consumtum erat, cum tabula inaurata epitaphio sculpto ære publico instauratum est.

Turrim à fundamentis erexit juxta palatium suum Dominus Joannes Bentivolus miro ingenio fabricatum. Pro sustentaculis, sive pontibus faciendis, nullum foramen factum est, sicut apparet in aliis turribus. Ex lapidibus massicinis in cacumine coronam cum fenestris, & scutis, sive armis multorum Dominorum Italiæ fecit. Turricellum rotundum in medio summitatis ejus posuit cum campana satis grossa ad pulsandum pro convocandis amicis.

Dominus Annibal Bentivolus cum magna pompa ad honorandas nuptias Marchionis Mantuani, qui uxorem ducebat filiam Ducis Ferrariæ, Mantuam accessit. In giostra celebrata Dominus Annibal non parvam gloriam acquisivit.

In fundamento Turris Domini Joannis Bentivoli posita sunt quædam vasa cum armis & literis incisis. Inter alia insculptum est tale epitaphium infra terram occultum: *Anno salutis MCCCCLXXXX. Joannes Bentivolus secundus Reipublicæ Bononiensis Princeps, ac columen, Mediolanensisque militiæ ductor, Turrim hanc exstruxit, annum agens ætatis duo de quinquaginta, in matrimonio habens decus matronarum Ginebriam Sfortiam, & ex ea liberos numero XI. fœminas septem, mares vero quatuor; Annibalem equitem aureatum primogenitum, Antonium Galeatium Protonotarium Apostolicum, Alexandrum & ipsum equestri dignitate decoratum, noviſſimum Hermem.* In alio angulo hujus verba sculpta sunt, memoriæ apud posteros diuturnioris ergo: *Monimentum hoc conditum à Joanne Bentivolo secundo patriæ Rectore, cui virtus, & fortuna, cuncta quæ optari possunt bona, affatim præstiterunt.*

Ludovicus Joannis Antonii Gozadini adoptatus in familiam Bentivolorum uxorem accepit. Pandulfus Malatesta Arimini Princeps, & Gener Domini Joannis Bentivoli, Bononiam veniens, magno honore susceptus est. Magnificus Raimundus Malatesta per Dominum Joannem Bentivolum miles creatus est.

Dominus Joannes Bentivolus Festum Sancti Petronii magis honorare cupiens, ludum armorum instituit, ut duo Capitanei cum armatis in platea duo vexilla defenderent. Unus habebat Vexillum Fortunæ, scilicet Dominus Alexander Bentivolus; alius, scilicet Comes Nicolaus Rangonus, habebat Vexillum Sapientiæ. Ex multis Italiæ locis convenerunt nobiliſſimi viri ad spectaculum intuendum. Certatum est magna potentia, & virtute, ac regio apparatu. Capitaneus Fortunæ sublato Vexillo Sapientiæ victoriam obtinuit. Cum triumpho more Romano Dominus Annibal curru vectus ad domum suam accessit, bravium amicis pugnantibus divisit.

Thomas de Monte-Calvo vir Patritius in die Sancti Joannis Evangeliſtæ per Dominum Joannem Bentivolum aureatus Miles creatus est.

A Anno Domini 1491. Dominus Antonius de Grassis Episcopus Tiburtinus, magnus Canonum Doctor, & Auditor Rotæ, Romæ mortuus, & Bononiam delatus, sepultus est in Ecclesia Sancti Petri in sepulcro eminenti multipliciter ornato.

Frater Jacobus Conversus de Alemannia Ordinis Prædicatorum, vir sanctitate mirificus, ac in vita, & in morte miraculis clarus, mortuus est, & sepultus in Ecclesia Sancti Dominici in Capella Sancti Thomæ de Aquino ad lævam in sepulcro supra terram. Multa miracula per eum fiunt, & multis multæ gratiæ conceduntur, ut patet ex votis, &
B imaginibus cereis, quæ ad ejus tumulum quotidie deportantur.

Ad honorandum nuptias Ludovici Sfortiæ Patrui Ducis Mediolanensis, qui Ducis Ferrarienſis filiam uxorem ducebat, Dominus Annibal Bentivolus regia pompa comitatus Mediolanum accessit. In giostra ibidem celebrata Dominus Annibal quantum in armis posset ostendit.

Comes Andreas de Bentivolis vir Patritius, ac pro Republica perutilis, mortuus est, & sepultus in Sancto Jacobo. Hercules ejus frater Patritiatum accepit.

Primogenitus Ducis Ferrariæ Alphonsus sororem Ducis Mediolani in uxorem accepit.

Ad has nuptias filii Domini Joannis Bentivoli accedentes, honorifice sunt recepti; do-
C naria regia Sponsæ largiti sunt.

Nicolaus de Poëtis vir Patritius, eloquentia suavis, consilio maturus, pro Republica zelans, & legationibus honoratus, senio confectus vitam finivit. Hic multo tempore Ducis Mediolani Philippi Secretarius fuit, à quo honores & divitias consequutus est. Ornatum Ecclesiæ Beati Dominici fecit, pro eo mille aureos exponens. Palatium à fundamentis erexit in Strata Castilionis, Principe dignum. In locum Patritiatus ejus suffectus est ejus filius Poëta.

Artem conficiendi ferrum in montibus Bononiæ Alexander della Volta, & fratres ejus
